The Catholic
Theological Union
LIBRARY
Chicago, Ill.

The Catholic
Theological Union
LIBRARY
Chicago, Ill.

B171

Digitized by the Internet Archive
in 2026

https://archive.org/details/cursusscripturae0000vari

CURSUS

SCRIPTURAE SACRAE

AUCTORIBUS

R. CORNELY, I. KNABENBAUER, FR. DE HUMMELAUER

aliisque Soc. Iesu presbyteris

COMMENTARIORUM IN V. T. PARS II

IN

LIBROS DIDACTICOS

I

LIBER IOB

Class A
Section 2
Book No. 510
Accession No.

COMMENTARIUS

IN

LIBRUM IOB

AUCTORE

IOSEPHO KNABENBAUER S. I.

Cum approbatione Superiorum.

STUDENTS' LIBRARY
ST. JOSEPH SEMINARY
TEUTOPOLIS, ILL.

WITHDRAWN

The Catholic
Theological Union
LIBRARY
Chicago, Ill.

220.6
C977i

PARISIIS
SUMPTIBUS P. LETHIELLEUX, EDITORIS
4, VIA « CASSETTE », ET VIA « DE RENNES », 75
1886

Omnia iura vindicabuntur.

The Catholic
Theological Union
LIBRARY
Chicago, Ill.

220
C977c
v.20

Quum opus, cui titulus est : *Commentarius in librum Iob*, auctore Iosepho Knabenbauer, S. I., aliqui eiusdem Societatis theologi, quibus id commissum fuit, recognoverint et in lucem edi posse probaverint, facultatem concedimus ut typis mandetur, si ita iis, ad quos pertinet, videbitur.

In quorum fidem has literas manu nostra subscriptas et Societatis nostrae sigillo munitas dedimus.

Fesulis 12 die Septembris 1884.

L. S.

A. M. ANDERLEDY, S. I.
Vic. General. S. I.

IMPRIMATUR

Parisiis die 20 Septembris 1884.

† I. Hipp. Cardinalis GUIBERT, Archiepiscopus Parisiensis.

CORRIGENDA

16, 26 pro אַ scribe אֲ. — **20**, 3 interpretum l. interpretem. — **21**, 32 libro l. libri. — **33**, 17 nt l. ut. — **34**, 16 adde Dagesch ad ב (idque saepius per librum adverte). — **36**, 9 שׂ l. שׁ. — **38**, 1 עְ l. עֲ. — **38**, 8 עדדה l. עבדה. — **44**, 24 שׂ l. שׁ. — **48**, 36 באשׁ l. שׁבא; verte l. certe. — **71**, 26 profan l. profani (in fine linearum quandoque una litera intercidit; aliquoties etiam in initio v. g. — **74**, 7; **76**, 38; **82**, 6; **117**, ult. lin.; **125**, ult. lin.; **139**, 37; **152**, 15). — **71**, 30 illustrarei l. illustrare. — **73**, 16 exprobans l. exprobrans. — **80**, 20 *Oll.* l. *Ol.* — **85**, 14 eiuss tatum l. eius statum. — **86**, 21 ע l. צ. — **89**, 19 ו l. י. — **90**, infra dele *accommodate*. — **92**, not. 1 שׁרד l. שׁוד. — **99**, 3 תרמ l. מות. — **105**, not. 1 ת l. ה. — **105**, 16 כטח l. בטח. — **107**, 40 ה l. ח. — **108**, 4 dele Dagesch (item dele in aliis quibusdam locis v. g. **131**, 2; **140**, 23). — **108**, 21 prescribit l. praescribit. — **111**, ult. lin. l. λαλιᾶς. — **117**, ult. lin. l. molestam. — **121**, 4 ב l. ג. — **123**, not. 3 l. ζήσεται. — **140**, 18 ח l. ה. — **143**, 1 בב l. בֹּר. — **150**, 4 rpimum l. primum (aliquoties enim typi qui exciderant inepte restituebantur v. g. **174**, 4 amplectatnur l. amplectantur). — **155**, not. 1 lin. 3 adiiectivi l. adiectivi. — **178**, 34 פרה l. רפה. — **179**, not. 1 שׁהח l. שׁטח. — **182**, not. 2 l. καλὸν. — **183**, not. 1 dele bis Dagesch. — **203**, not. 1 l. In textu hebr. -- **212**, 34 l. verbis. — **225**, not. 2 lin. 4 dele Dagesch et scribe שׁוּחַ,. — **227**, 21 l. *aberrasse* Baldad. — **235**, 21 l. *profecto*. — **239**, 12 l. נתץ. — **248**, 40 l. 16, 18 : Deum. — **255**, 6 l. v. 27 *quem*. — **281**, 4 l. *absque*. — **295**, 27 l. fidenter. — **330**, 13 l. *Del.* — **344**, 20 l. spernebant. — **347**, 32 l. muniunt. — **377**, ult. lin. scribe κατ' ἐμοῦ. — **386**, 32 ח l. ה. — **393**, 25 מִמְּלֹךְ l. מִמְּלֹךְ. — **400**, 31 σοφίξει l. σοφίζει. — **402**, not. 2 ult. lin. l. uti iam, *Malv.* — **416**, not. 1 dele Dagesch in ו. — **421**, not. 1 l. καὶ. — **429**, 1 l. *tenendas* (excidit ult. lit. uti etiam **440**, 2 l. ostendat). — **433**, 2 l. נֵזֶר. — **436**, ult. lin. l. יְתוּר. — **436**, not. 2 l. ערוד. — **437**, 5 l. יֶתֶר. — **447**, not. 1 l. תהתם. — **457**, not. 4 dele accentum alterum in prima voce. — Saepius puncta vocalia aut plane aut ex parte interciderunt.

LEGENTIBUS

S.

Iis qui sacrae Theologiae studio delectantur, liber Iob non uno nomine est commendandus. Continet enim disputationes gravissimas, quibus, quae sint in administrandis rebus humanis divinae providentiae partes, egregie disceptatur. Unde maximi interest, ut argumentorum series et pondus rite perpendatur; esse vero hanc rem multis obsitam difficultatibus, iam ex sententiarum varietate elucet, quae de praecipuis quibusdam rebus in libro propositis, imo etiam de Iobi Eliuque moribus apud eruditos agitantur. Hisce controversiis non minimus continetur stimulus, quo quisque veritatis amans se ad diligentem libri tractationem impulsum et provocatum sentiat.

In commentariis haec praecipue ob oculos habuimus : disputationis seriem ac progressum clare ac breviter proponere studuimus, quare singulis capitibus argumenti summam praemisimus et argumentationis progressum theologicum aeque ac psychologicum paucis adnotavimus : in explicatione ipsa aliorum sententias ita referimus, ut simul quid de illis sentiendum sit, quibus de causis ita censeamus, quibus rationibus nostram explanationem fulciamus, legentibus appareat : versionibus veteribus crebro usi sumus, praesertim graeca, quae LXX dicitur, et vetere illa latina, quae ex graeca manavit; hanc cum vel textus hebraei intelligentiae lucem afferat vel textum hebraeum confirmet, eo libentius adduximus, quia in Ecclesia latina usque ad tempora S. Gregorii Magni fere sola in usu posita erat; praeterea paraphrasin chaldaicam, versionem syriacam, Hexaplorum fragmenta in locis dubiis ac vexatis ad usum nostrum adhibuimus. In ipsa rerum tractatione *Iobi* mores

atque indolem a recentiorum quorumdam criminationibus sedulo vindicare conati sumus. Praecipuam, uti decet, curam interpretationi illi impendimus, quae in *vulgata* legitur. Eius ad textum hebr. habitudinem sedulo suis locis discussimus; versionem enim illam ex veteribus omnibus esse optimam, facile omnes etiam acatholici hodie concedunt; sed insuper nos illam variis in locis, in quibus a recentioribus vel derelinquitur, vel vituperatur, vel vix satis agnoscitur, pro vero suo valore vindicavimus, commendavimus (cf. 3, 6. 7; 6, 18; 7, 6; 8, 14; 11, 12; 12, 6; 14, 4. 6; 15, 5. 21. 28; 17, 5. 14; 18, 12; 19, 26; 20, 11; 22, 4; 26, 13; 28, 6; 33, 27; 35, 11; 41, 6, etc.), dum aliis in locis pro re nata ab illa recedendum esse duximus (cf. 10, 13-17; 33, 14; 38, 21. 36. 37, etc., quibus in locis aliisque sensus quaedam varietas inter hebr. et latin. agnoscenda est). Ubique vero et hebr. et lat. textum expendimus. Praeterea notavimus multis in locis, qua ratione versio lat. originem ducat ex hebr. Saepe enim magnum quoddam discrimen exsistere videtur inter utrumque textum, quod tamen si rem accuratius inspexeris, unius alteriusve literae vel vocis hebr. mutatione facile explicatur. Quae res sane attentione digna est, ut aequum feratur iudicium et de interprete S. Hieronymo et de statu ac conditione textus hebr. (cf. 6, 6. 13. 16. 25-28; 9, 12. 19; 10, 20; 11, 3. 10; 12, 5. 17. 21. 23; 13, 4; 14, 4; 15, 8. 11. 31. 32; 16, 9; 17, 2. 3. 6. 12. 16; 18, 9. 14; 19, 24; 20, 10. 11. 18. 25; 21, 2; 24, 6. 10. 11. 20. 22; 27, 8; 28, 4. 11. 18; 30, 5. 11. 15. 22. 24; 31, 18. 31. 34. 35; 32, 21; 33, 6. 14. 25; 34, 9. 30-33. 36. 37; 36, 24. 33; 37, 3. 11. 13; 38, 36. 37; 39, 10. 13. 32; 40, 26; 41, 13. 16. 21. 24, etc.). Ad tale iudicium ferendum etiam opus est sedulo advertere, unam eandemque vocem hebraicam saepius a S. Hieronymo et aliis veteribus varie variis in locis explicari; sat longam enumerationem ex uno libro Iob nostrisque commentariis texere possumus; confer quae adnotavimus v. g. ad hos locos : 5, 3. 7; 6, 9. 13. 16. 25; 9, 12. 13. 17; 11, 17; 13, 11. 27; 15, 3; 17, 2; 18, 12; 21, 2; 26, 5; 28, 8; 29, 4; 30, 7. 29; 31, 29. 40; 32, 21; 36, 14; 38, 36; 39, 9. 13; 41, 21.

Quae est indoles *versionis*, saepe oportet ad illam rite intelligendam textus archetypi rationem habere; id in *vulgata* quoque non raro usuvenit (cf. 11, 20; 18, 15; 19, 5; 20, 21. 28; 21, 19; 24, 12; 28, 4; 29, 24; 34, 9; 35, 13. 15; 36, 17. 18. 19. 20; 37, 7. 9; 38, 14. 34; 41,

1. 23). Quamvis textus hebr. in libro Iob magna fidelitate sit ad nos transmissus, tamen aliquibus in locis mendosus est (cf. 3, 6; 20, 10; 22, 11. 17. 21; 23, 2; 24, 12. 14. 18; 28, 13; 30, 24; 32, 10; 33, 21; 34, 6; 37, 7; 38, 8; 39, 10), quos tamen plerosque ope criticae investigationis in sensum et in veteres versiones haud ita operose sanabis. Nuperrime Dr. G. *Bickell* curas criticas inter alia etiam libro Iob impendit; illas suis locis sedulo lustravimus, quid de singulis nobis videatur, candide fassi sumus, aliqua omnino amplectenda esse, alia nimia quadam opinandi libertate proponi, alia sine ulla necessitate ab eo immutari censemus. Rationes, quibus nos ducamur, exposuimus : eas aequus rerum iudex perpendat.

Ex veterum commentariis, quos sedulo consuluimus, haud pauca ipsis eorum verbis explicationi inserere placuit, ut hac ratione constaret, multa etiamnum ex illis usui esse posse. Et sane patebit, multis in locis illos praeclare textum illustrasse; de *Iobi* moribus veteres generatim melius multo ac verius iudicant, quam multi recentiores; eo magis vero miraberis, veteres de *Eliu* eiusque in disputando partibus fere communiter tanto cum contemptu loqui. Imo recentiorum multi sermones ab Eliu habitos omnino a libro expungi volunt. Quare nobis potissimum cordi erat, veram de Eliu sententiam accurata textus explanatione eruere et propugnare.

Habes, quae in commentariis componendis cumprimis spectaverim; illos evolve. Faxit Deus, ut hac opella mea sacrarum Scripturarum studium in scholis catholicis promoveatur.

Scribebam in collegio Ditton-Hall, Widnes
in Anglia. J. Kn.

PROLEGOMENA

I. — Quid sit libri argumentum.

Erat Iobus vir aeque dives ac pius. Cuius sincera pietas cum a Satana in dubium vocetur, Deus illam ardua tentatione probari permittit. Iobus enim subito non solum fortunis omnibus et filiis orbatur, sed etiam morbo teterrimo percutitur; manet tamen firmus in pietate, quam contra ipsius uxoris prava consilia egregie tuetur.

Cum amici tres ad eum consolandum convenissent et Iobus in acerbos gemitus prorupisset, quaestio agitatur, *quaenam sit calamitatum causa*.

Prologo (cp. 1, 2) res ita disponitur, ut qui librum legit iam ediscat, Deum sincerae pietatis probandae et exercendae causa calamitates Iobo immisisse; eius autem divini consilii et Iobus et interlocutores, plane ignari sunt, unde fit, ut maiore cum voluptate disceptantium rationes et disputationes prosequamur, utpote prologo iam edocti indeque discernentes, quid veri quid falsi ab illis afferatur. Est enim hoc singulare narrationis artificium, quo profani quoque scriptores non raro utuntur, ut qui legit in altiore quasi specula constitutus quid rei sit probe sciat, dum qui res gerere narratur multarum conditionum inscius tenebris, dubiis, erroribus ad miserationem exponatur et varia discriminum certamina subeat.

Unde ad quaestionem illam in vetere foedere non semel agitatam, cur boni quoque calamitates experiantur (cf. Ps. 72, Ier. 12, 1-4. Hab. 1, 3), ipso prologo *una* iam responsio proponitur, dum Iobus et interlocutores tres in varias sententias abeunt. Id enim tribus illis communiter fixum ratumque est, calamitates tantum pro culpis sceleribusque infligi et virtutis verae mercedem semper esse prosperitatem terrestrem, cum e contra Iobus conscientiae suae testimonio innixus et circumspectus rerum et vicissitudinum humanarum iudex id vehementer negat.

Tribus disputantium congressibus res ita discutitur, ut singulis ex ordine dicentibus Iobus respondeat. Disceptationis occasionem praebent Iobi lamentationes, quibus dolorum cruciatuumque vehementiam declarans vitae suae infelicis initia devovet et mortis limbique requiem exoptat (cp. 3). Hisce Eliphaz respondet : non affligi nisi improbos; quare Iobum monet, ut ab impietate ad Deum revertatur (cp. 4, 5). Iobus hanc amici et consolatoris accusationem et insinuationem cum indignatione repellit, repetitis gemitibus et querelis dolorum magnitudinem testificans et cum Deo expostulans, cur tantas ab eo poenas exigat (cp. 6, 7). Quasi Iobus suis suspiriis Deum iniustitiae arguisset, Baldad a Deo *iuste* punitos esse filios Iobi asserit et a maiorum sapientia probat, impios ruina prosterni, pium vero non abiici; quare eadem quae Eliphaz monet (cp. 8). Hisce vero Iobus opponit, se suis lamentationibus Deum nullatenus iniustitiae insimulasse; dein contendit pios et impios affligi, imo impios quoque saepe fortuna exaltari. Ad suos dolores reversus iam conqueritur, cur Deus eum, qui ex *communi* norma nil tale meritus sit, secundum inusitatum rigorem propter leviores naevos adeo exagitet et castiget (cp. 9. 10). Id vero Sophar aegerrime ferens in Iobum invehitur, minores eum poenas, quam pro sceleribus meritus sit, dare contendens. Probationis causa Dei sapientiam et potentiam proponit, cui nemo se opponere possit; sed si Iobus resipuerit, feliciora spondet (cp. 11). Iam nunc Iobus id, quod antea paucis perstrinxerat, fusius prosequitur : sontes etiam prospere agere, et Dei agendi modum talem esse, ut prospera nullatenus semper ad virtutis praemium, neque infelices casus ad iniquitatis punitionem referri possint; quare stultum et impium esse ait, amicorum in modum velle Dei iustitiam mendaciis defendere; se esse innocentem et paratum suam integritatem coram Deo iudice defendere. Tum Deum precibus et vitae humanae miseriis propositis flectere ad misericordiam conatur (cp. 12-14). Et hisce *primus* disputantium congressus absolvitur.

In *altero* (cp. 15-21) Eliphaz oppugnat duas Iobi assertiones, ipsum innocentem cruciari, et impios prospere agere; urget, impios semper angi terroribus et misere demum interire; praeterea acerrime in Iobum invectus eius patientiam dure exercet (cp. 15). Iobus autem animo exacerbato de tam molestis consolatoribus conquestus dolores, ludibria, contemptum exponit, quibus innocens obruatur, et Deum implorat integritatis suae testem et vindicem. Ita enim suae innocentiae sibi conscius ad spem erigitur fore, ut Deus vindex exsistat; at mox ad lamenta revertitur (cp. 16, 17). Hisce Baldad suae doctrinae de impiorum poenis iteratam repetitionem opponit et impium semper manifesta ruina perire ita asserit, ut talem impium ipsum esse Iobum

clare appareat (cp. 18). Acerbae accusationi Iobus cruciatus, derelictionem, conditionem suam miserrimam subiungit et amicorum miserationem implorat; quam cum non inveniat, ad praeclaram spem Dei vindicis erigitur, qui in die resurrectionis innocentis causam egregie sit tuiturus (cp. 19). Sed, ut amicos a sententia dimoveat, frustra Iobus se innocentem asserit, frustra misericordiam expetit, frustra spem in Deum profitetur. Sophar enim maiore vehementia Iobum scelerum accusat et ruinae necessitatem, qua impius quisque obvolvatur, multis exaggerat (cp. 20). Contra quod Iobus usum et experientiam contrariam ubertim declarat, impios scil. saepe multiplici frui prosperitate et *raro* contingere illam fortunae eversionem, de qua tanta cum verbositate amici loquantur, imo impium saepe in communi calamitate servari immunem, et honoribus etiam post mortem affici. Ita Iobus amicorum sententiam falso ac fallaci inniti fundamento invicte ostendit (cp. 21), experientiam rei testem producens.

Nihilominus in *tertio* congressu (cp. 22-26) Eliphaz illam sententiam quasi *a priore* tueri studet, Deum scil. non affligere nisi scelestos; cum enim ex hominis operibus bonis nihil commodi redundet in Deum, neque ex eius peccatis quidquam incommodi Deo accidat, censet Eliphaz Deum in sortibus distribuendis neque suo bono neque suo periculo moveri et proin solius iustitiae rationem habere. Insuper Iobum multorum scelerum explicite accusat, quare dignas poenas luat, uti olim prisci viri scelerati (cp. 22). Contra tales accusationes Iobus Dei pro se iudicium efflagitat; at frustra! Cursu vitae suae commemorato se purum esse ostendit a sceleribus obiectis, sed cum tamen suppliciis a Deo excrucietur, haeret anxius et quid divini consilii hac in re lateat, nescit; hoc unum constare ait, impios saepe impune grassari, pauperes opprimi, alios fraude et occulto peccare; utinam plecterentur! at communi sorte utuntur (cp. 23, 24). Baldad iam non habet, quid ad doctrinam tuendam afferat; unde paucis quae iam dicta sunt de divina maiestate et de hominum vitiositate repetit, ita ipso sermonis habitu declarans, se esse imparem Iobi fato explicando (cp. 25). Respondet Iobus, se minime tali institutione egere, ut recte ac magnifice sentiat de Deo, cum creata omnia eius sublimitatem praedicent (cp. 26). Sophar hoc in congressu prorsus tacet; interlocutorum argumenta exhausta sunt; eorum doctrina de malorum causa manca probata est, insufficiens, falsa. Unde Iobus (cp. 27-31) victor consistit, epinicion canit: sollemniter suam testatur innocentiam, amicos de falsa doctrina reprehendit, homini vero illam deesse docet sapientiam, quae ad divinam rerum administrationem rite diiudicandam necessaria sit; unum homini esse propositum, in quo totius vitae cardo vertatur: Deum timere et recedere a malo. Dein Iobus gemebundus recolit, quanta olim

in prosperitate fuerit, quot et quantas iam experiatur aerumnas, easque post vitam innocentissime ad omnem virtutis normam exactam. Quare sponte sua redit quaestio : *cur* demum boni affligantur?

Haec igitur cum amicis disceptatio quaestionem non solvit, reiecta est doctrina illa de recompensatione terrestri aequali ; Iobus invicte demonstravit, bonos quoque et iustos affligi; spem enuntiavit, Deum olim in novissimo resurrectionis die suorum causam tuiturum ; hisce vero in terris id unice homini esse consultum asseruit, ut *incomprehenso* divinae sapientiae et potentiae consilio acquiescat. At ipse suo exemplo simul manifestat, hominem hac una responsione non esse contentum; hac enim proposita (cp. 28) iterum ad suam calamitatem perpendendam revertitur, quam vita iustissime exacta nullatenus meritus sit (cp. 29-31).

In hac igitur rerum conditione *quartus* in scenam prodit interlocutor, *Eliu*, qui tres illos de falsa arguendi ratione convincit, Iobum de nimia audacia, vehementia, impatientia reprehendit, et homines a Deo affligi docet, ut avertantur a malo, praeserventur a superbia, ut castigatione animi vulnera sanentur (cp. 32, 33). Eliu proinde aperte statuit, esse calamitates etiam bonis *salutares*, quibus ne in peccata ruant vel ut in bono proficiant, erudiantur. Cum talis sit calamitatum scopus ac fructus, hominem, etsi nullius sceleris sibi conscius sit, cum patientia illas a Deo sibi missas obire debere patet; quare Eliu Iobum nimiae temeritatis in suis cum Deo expostulationibus accusat et singula, quae in Iobi sermonibus durius audaciusque dicta sunt, acri censura perstringit, simul monens, qua ratione hominem pium deceat calamitates sustinere (cp. 34, 35). Ad quam humilem animi demissionem, quae Eliu iudice in Iobo maxime desideretur, ut eum inducat, Dei maiestatem ac sublimitatem multis ex rebus creatis commendat iisque hominis ignorantiam et imbecillitatem opponit (cp. 36, 37).

Iobus tacet. Deus vero disceptationi ab Eliu propositae calculum adiicit, dum in eadem arguendi serie pergens hominis ignorantiam et impotentiam exagitat, Dei vero multiplicem sapientiam ac providam rerum curam multis variisque exemplis illustrat. His auditis Iobus audaciorem suum loquendi modum repudiat (cp. 38, 39). Iterum a Deo humanae admonetur infirmitatis et vilitatis documentis a Behemoth et Leviathan prolatis; Iobus vero audaciae et impatientiae veniam humillime precatur. Tunc non solum pristinae felicitati restituitur, verum etiam maioribus bonis a Deo exornatur (cp. 40-42).

Ex hac argumenti consideratione iam elucet, et prologum et sermones Eliu necessario ad libri integritatem requiri. Nam iis demum rite perpensis doctrina habetur, quantum pro indole veteris foederis requiritur, completa de calamitatum quibus pii exagitentur ratione;

iis vero demptis omnia manca sunt, hiulca, lacera. Prologo enim nos qui librum legimus de *una* calamitatum causa docemur, quae adesse potest et in Iobi fato revera adsit; sermonibus vero Eliu et interlocutores et nos de aliis calamitatum causis erudimur, esse scil. poenas *medicinales*, *salutares* ipsis etiam bonis; quare Eliu orationibus id proponitur, quod et amicos et Iobum disceptantes inter se latuerit. Unum alterumve igitur si subtraxeris, tota disputatio manca est et truncata et ad nullum exitum perducta. Abscinde prologum, quid, quaeso, de Iobi lamentis, de amicorum accusationibus intelliges? omnia obscura sunt; audis homines disceptantes, sed qui sint, cur disputent, accusent, altercentur, qui verum teneat, qui ex parte, vel ex toto decipiatur, plane ignoras — habes corpus, sed capite truncatum. Praeterea una ex causis, cur Deus pios affligat, te omnino latet; latet praeclarum illud documentum de diaboli calumniatoris invidia, de bello, quod ipse iustissimo cuique infert. Fuerunt quidem aliqui ex heterodoxis interpretibus, qui prologum a primitivo libri auctore profectum esse negarent (*Hasse*, *Stuhlmann*, *Bernstein*, *Richters*, *Knobel*, *de Wette*, *Magnus*; cf. apud *Hirz*. *W. Hitz*. *De W. Schrader*, Lehrbuch der Einleitung § 351), at eorum sententia hodie apud ipsos protestantes est explosa, quare non est, cur eam pluribus refutemus[1].

Sermones vero Eliu recentiorum interpretum protestantium plerique a libri primitiva forma excludunt. At immerito. Hos enim si dempseris, iam *nulla* interlocutoribus causa patefit, cur boni affligantur. Quis vero talem libri indolem, talem disputationis exitum feret, ut quaestione acriter agitata nulla detur responsio? Unde hac sola ratione Eliu sermones probantur genuini; reliqua vide ad cp. 32.

Ex libri argumento rite perpenso facile deducitur, quid sit eius consilium, quis scopus seu finis. Dum enim in veteris foederis institutione et mosaicae legis promulgatione temporalis praecipue mercedis et poenae ratio habeatur, libri nostri est, hanc doctrinam suis circumscribere limitibus, eam perpolire et supplere ea, quae ei desint. Unde aperte demonstratur, hisce in terris neque scelera neque virtutes suam semper invenire mercedem, sed Deo vindici ea praesto esse, quibus post vitam terrestrem sua cuique reddat (cf. 19, 25-29); Deum multiplici uti rerum gubernandarum ratione, sapientia multiplici; quare ex una iustitiae norma omnes eventus diiudicare minime licere. Hisce a Iobo rite statutis Eliu veras ac salutares exponit causas, cur boni affligantur; aliam rationem supplet prologus; quare in hac quaestione ad indolem veteris foederis solvenda libri cardo vertitur. Adspergitur

1. Aperte fatetur *Renan* (le livre de Job, p. XLVII) : « le poëme est inintelligible sans le prologue et l'épilogue ».

ipsis calamitatibus propter causas salutares ab Eliu allatas aliquid praeclari, idque etiam magis ex illa probatione, quam prologus docet : esse scil. illas veras probationes, quibus sincera pietas et purissimus Dei amor comprobetur, et esse pectoris generosi et virtutis celsissimae, Deo adhaerere nulla habita commodi temporalis ratione, et tali virtute et fide constanti Deo gloriam tribui praeclaram Deumque tali virtutis documento delectari, diabolum vero calumniatorem et impugnatorem confundi et superari.

Quare liber consolatorius merito dici potest, quo pii in vitae miseriis confortentur et Dei provida cura et sapientia erigantur. Oppugnatione illa daemonis, quam Iobus inscius subit, omnes admonentur fraudis, vafritici, inimicitiarum Satanae, quas habet cum omnibus piis, ex quo tempore dictum est ad eum : *inimicitias ponam inter te et mulierem, inter semen tuum et semen illius* (Gen. 3, 15). Est enim generis humani per saecula cursus et historia nihil aliud quam bellum continuum inter Deum et diabolum, inter bonum et malum, eo utique fine et exitu, quem in Iobo cernimus, quem Christus servator in se expressit, cum diceret : *nunc princeps huius mundi eiicietur foras*, quem Paulus Romanis exoptat : *Deus pacis conterat Satanam sub pedibus vestris*, et quem in primordiis generis nostri Deus promisit : *ipsum* (mulieris semen) *conteret caput tuum*.

II. — Qualem se Iobus in aerumnis praestiterit.

Sollemne est apud recentiores interpretes acatholicos, Iobi mores in disceptatione cum amicis ita describere, quasi Deum apertae iniustitiae, durae crudelitatis ac tyrannidis accusaret, quasi desperatione et furore contra Deum iniustum ageretur, et omnem fidem, reverentiam, pietatem abiiceret (cf. *Hirz. Del. Godet* in Studien und Kritiken, 1863 p. 297, 308, 313). At falso illos verba quaedam Iobi ad speciem duriora interpretari, in aperto positum est. Nam si Iobus in tales voces blasphemas et Deo maxime iniuriosas prorupisset, si desperatione peccasset, si Dei providentiam et iustitiam negasset, *Satan victoriam de Deo reportasset*. Quod quam absurdum sit, non opus erit pluribus prosequi. Optime enim scribit *S. Greg.* ad 19, 6 : « nam si hunc peccasse in hac voce dicimus, implesse diabolum adstruimus, quod proposuit 2, 5... si peccavit, diabolus de illo quod promisit exhibuit » (*M.* 75, 1058) ; et : « quisquis ergo beatum Iob deliquisse in suis sermonibus queritur, quid aliud quam Deum, qui pro illo proposuit, perdidisse confitetur » (*M.* 76, 250)? et : « laudator Iobi Deus succubuisset » (75, 562, etc.).

Hoc igitur, quod in prologo narratur, primum est pro recta interpretatione querelarum Iobi adiutorium; sperat enim Satan, Iobum Deo in faciem esse benedicturum i. e. Deo valedicturum, blasphemiis et furore in eum iri invectum, at Deus servi sui fidem et constantiam praedicat eumque in virtute ac pietate fortiter permansurum affirmat. Unde nisi auctor sacer in Deum satiram scribere voluisse tibi videtur, necesse est fatearis, non posse ex ipsius auctoris mente sensum blasphemum verbis Iobi inesse. Quod ita quasi *a priore* colligitur — et auctoris mens ac voluntas clare expressa summa certe est atque inviolabilis interpretandi lex — id ex ipsius Iobi sermonibus facile patet, dummodo consideres : *a*) quibus ipse clamores et querelas vehementiores excuset et ad quem demum finem referat (cf. 6, 5-7. 10. 26; 7, 11); *b*) quomodo *omnes* iniustitiae vias a Deo removeat 10, 3 et seq.; *c*) quomodo profiteatur, humili subiectione cum Deo esse agendum 9, 4-14; *d*) quomodo Dei *sapientiam* agnoscat, et proinde quam longe absit ab opinione blasphema, Deum crudelitate et arbitrio regere mundum (12, 13); *e*) quoties spem suam et fiduciam in Deum praeclare enuntiet (cf. 16, 19; 17, 3; 27, 8). Quae cum ita sint, suspiria illa et clamores *psychologice* interpretari debemus ratione habita doloris, animi commotionis, amicorum reprehensionum et invectionum.

Hanc esse veram interpretandi viam, demum ipso Dei iudicio, quod in fine disputationis profert, clare ostenditur. Nam Iobum *de Deo rectum locutum* esse, Dei voce coram interlocutoribus declaratur (42, 7) [1].

Iam si Iobum a desperatione et blasphemiis vindicamus, nullo tamen modo eum ab omni defectu immunem se servasse profitemur. Nam non solum ab Eliu, verum ab ipso Deo de audaciore et arrogantiore loquendi modo et de acri illa cum Deo expostulatione reprehenditur, qua debere a Deo sibi rationem reddi de calamitatibus immissis haud obscure innuerat; insuper iis usus est loquendi formulis, quae aliis facile offensioni esse possunt; unde reverentiam Deo debitam non semel laesit. Hos naevos ipse Iobus in fine humiliter confitetur, deflet, poenitentia retractat (cf. 39, 34-35; 42, 2-6 — et Dei ad Iobum verba 38, 2; 39, 32; 40, 3).

Ceterum per singula fere disputationis capita advertere potes — et in commentariis id insinuare nobis curae erit, — quomodo Iobi virtus et patientia novis fere experimentis et duris probationibus ex amico-

1. Bene perpendit textum *S. Aug.* : « ne quis autem in illis verbis forte male intelligens scandalizaretur et putaret iustum quidem virum fuisse Iob ante tentationem, in tentatione autem gravi defecisse et lapsum esse in sacrilegam blasphemiam, finitis omnibus sermonibus et ipsius Iob et amicorum eius dicit Dominus testimonium, illos non verum locutos, sicut servum eius Iob » (in Ps. 103 n. 8; *M.* 37, 1384).

rum importunitate exerceatur; insuper quo magis sermonum series progreditur, eo planius et apertius ex ipsius suspiriis elucet, quantis cruciatibus corporis quot et quanti animi dolores et maerores accedant. Quare Iobus, etsi acerbius quandoque sit locutus, tamen iure merito tamquam insignis patientiae heros ab universa Ecclesia praedicatur.

Nam eius praeconia iam sacra Scriptura annuntiat; eius enim mentio honorificentissima fit apud Ez. 14, 14 verbis Domini : *si fuerint tres viri isti in medio eius, Noe, Daniel et Iob, ipsi iustitia sua liberabunt animas suas;* Tob. 2, 12 : *hanc autem tentationem ideo permisit Deus evenire illi, ut posteris daretur exemplum patientiae eius, sicut et sancti Iob*[1]; Iac. 5, 11 : *ecce beatificamus eos, qui sustinuerunt. Sufferentiam Iob audistis et finem Domini vidistis.* Hisce laudibus consona sunt encomia, quae SS. Patres et scriptores ecclesiastici ei abunde tribuunt; ex innumeris pauca quaedam proferam : *S. Cyprianus :* « quid Iobo in operibus promptius, in tentationibus fortius, in dolore patientius, in timore submissius, in fide verius »? et : « sic Iob examinatus est et probatus et ad summum fastigium laudis patientiae virtute provectus » *(M.* 4, 482. 633). *Tertullianus :* « o felicissimum illum, qui omnem patientiae speciem adversus omnem diaboli vim expunxit, quem non abacti greges, non illae in pecore divitiae, non filii uno ruinae impetu adempti, non ipsius denique corporis in ulcere cruciatus a patientia et fide Domino debita exclusit, quem diabolus totis viribus frustra cecidit! Neque enim a respectu Dei tot doloribus avocatus ille est, sed constitit nobis in exemplum et testimonium tam spiritu quam carne, tam animo quam corpore patientiae perpetrandae, ut neque damnis saecularium, neque amissionibus carissimorum, nec corporis quidem conflictationibus succidamus. Quale in illo viro feretrum Deus diabolo exstruxit? Quale vexillum de inimico gloriae suae extulit?... Itaque operarius ille victoriae Dei retusis omnibus iaculis tentationum lorica clypeoque patientiae et integritatem mox corporis a Deo recuperavit, et quae amiserat conduplicata possedit » (de patientia, 14; *M.* 1, 1270). Multis Iobi patientiam laudat *S. Basilius* (hom. de grat. act. n. 6 — *M.* 31, 232; epist. I, 2 n. 3 — *M.* 32, 228; serm. de animi deiect. de patientia, *M.* 34. 1284. 1289, etc.); praecipue *S. Chrysostomus :* « potius enim duxit maioribus affici cruciarique doloribus innumeraque perpeti mala, quam blasphemia ulla tantorum malorum relaxationem consequi » (*M.* 48, 936; cf. c. 855), et : « omnem transcenderat virtutem ex omnibus diaboli retibus extractus,

1. Quae verba in textibus graecis quidem non leguntur, sed *S. Hier.* ea de chaldaico archetypo transsumpsisse censendus est, de quo librum vertit; nam in versione fideliter sensum exprimere solet, minime integras sententias adiicere.

qui primus et solus tantam fortitudinem demonstravit et omne ferrum et adamantem sua animi continentia praetergressus subnervavit diaboli potestatem » (l. c. c. 500 — cf. t. 49, 26. 45. 66. 69. 270 ; t. 52, 463. 564. 578. 591 ; t. 55, 367 ; t. 56, 152 ; t. 57, 324. 395) ; et : « quo plures (diabolus) infligebat plagas, eo valentiorem cernebat ; nudatum omnibus pluribus curavit splendere bonis » (t. 57, 214. 192. 354 ; t. 61, 137 ; t. 62, 242 ; t. 63, 478), etc. Magnis laudibus eum celebrant *S. Ambrosius* (de interp. Iob et David 1, 2 ; *M.* 14, 799 ; de Paradiso cp. 2 ; t. 14, 278 ; enarr. in Ps. 37 n. 20 ; t. 14, 1018 et seq.), *S. Augustinus* (in Ps. 29 ; t. 36, 220 ; in Ps. 30 c. 255 ; in Ps. 34 c. 327 ; in Ps 47 c. 539 ; in Ps. 93 ; t. 37, 1207 ; in Ps. 97 c. 1255 ; in Ps. 103 c. 1383 ; in Ps. 120 c. 1612), *S. Hieronymus*, qui eum appellat « exemplar patientiae », qui eum dicit « invictam tenuisse patientiam », etc. (cf. ep. 53 ; *M.* 22, 545 ; ep. 39 c. 471 ; ep. 108 c. 876 ; ep. 118 c. 961 etc.), *S. Athanasius* : « fortior erat athleta tentatione » (*M.* 27, 1345), *Didymus* (*M.* 39, 1120 et seq.), *S. Hilarius* (in Ps. 68 n. 5 ; *M.* 9, 473 ; in Ps. 118 c. 537. 562 ; cf. t. 10, 723) ; inter alia eum vocat « passionum humanarum gloriosum et beatum victorem — de hoste legis triumphantem », *S. Zeno* (l. 1 tract. 7 ; *M.* 11, 317 ; l. 2 tract. 15 ; c. 439. 441 « o felix vir, qui mira patientia Deum promeruit, diabolum vicit, sanitatem recepit »), *S. Prosper* (cont. coll. 15 ; *M.* 51, 256), *Prudentius* (Psychom. v. 163-170 ; *M.* 60, 36), *S. Paulinus Nolanus* (ep. 14 ; *M.* 61, 224), *S. Fulgentius* (ep. 2 n. 16 ; *M.* 65, 316) : « beatus fuit in corporis sospitate, sed beatior est factus in vulnere ; beatior etiam in acervo squaloribus pleno quam in palatio marmoribus adornato », *Cassiodorus* (de div. inst. 1, 6 ; *M.* 70, 1118), *S. Gregorius* (moralia in Iob. fere per totum ; *M.* 75 et 76), *S. Isidorus* (de ortu et ob. P. cp. 24 ; *M.* 83, 136), *Rhabanus Maurus* (de universo, l. 5 cp. 3 ; *M.* 111, 112), *Petrus Blesensis* (Compendium in Iob ; *M.* 207, 807) ; hisce annumera Iobi commentatores, totidem eius laudatores virtutisque praecones, quos postmodum recensebimus. Unde dicere possumus in Iobi laudem et commendationem totam Ecclesiam [1] Spiritu Sancto duce conspirasse ; quare nefas est interpreti catholico eum desperationis et blasphemiae insimulare, quod quam inconsiderate fiat, etiamsi solum regulae sanae hermeneuticae spectentur, in commentariis ostendemus.

1. Id brevissime ex martyrologio Romano Græcorumque menologio demonstratur ; ibi die 10 maii legitur : « in terra Ilus sancti Iob prophetae, admirandae patientiae viri ». In menologio vero Basilii Imperatoris Porphyrogeniti die 6 maii haec habentur : « hunc (beatum Iobum) Dei testimonio iustum appellatum expetivit diabolus, ut affligeret. Cum autem Deus illum vellet magis gloriosum reddere, tradidit eum diabolo, qui eum... in stercuilinium deiecit. Verum sanctus cum omnes tentationes sustinuisset et in omnibus Deo gratias egisset, diabolum pudore affecit » (*M.* 117, 440).

III. — Quis sit libri auctor; quae Iobi res gestae.

Rem quam maxime incertam aggredimur. Id iam patet ex brevi opinionum conspectu quem subiicimus. Primo enim *Iobum* ipsum suum composuisse librum aliqui statuerunt; ita S. Ephraem, Origenes (c. Cels. 6, 43; *M.* 11, 1365), S. Gregorius M. (*M.* 75, 517), Albertus Magnus (teste Gordono), Rupertus Tuitiensis (cf. *M.* 168, 962), Pineda, Corderius, Sa, Mariana, Gordonus; alii vel *Iobum* vel *amicos eius* (ita Anonymus graecus in commentariis olim Origeni adscriptis; cf. *M.* 17, 373; Rob. Lowth, de sacra poesi, praelect. 32), vel *Eliu* auctores esse volunt (Lightfoot, op. ed. Leusden, Ultrai. 1699, I, p. 24; Rosenmüller ad 32, 2). Tum alii plures *Moysen* auctorem assignant : Philippus (ad cp. 3; *M.* 26, 624), Methodius (*M.* 103, 1145), Barhebraeus (scholia in Iob, syriace ed. Kirsch in Chrestom. syr. adornata a G. H. Bernstein p. 186), Caietanus, Sanctius, Huetius, Tostatus, Eugubinus (cf. apud Pinedam, com. I p. 6); alii *Salomonem*; ita S. Gregorius Naz., Polychronius, Spanheim, quos vide apud Calmet (in librum Iob. Proleg.), qui hanc sententiam approbat; *Isaiam* sibi visus est deprehendisse auctorem Codurcus; *aliquem ex Idumaeis* Grotius; demum librum post reditum ex Babylonia esse conscriptum, ex Theodoreto Mops. affert Barhebraeus l. c. (Theodoreti Mops. sententia legitur *M.* 66, 697).

Neque recentiorum hac in re concors est opinio. Deest enim omne indicium certae cuiusdam traditionis, ita ut ex una libri indole et dicendi genere res sit diiudicanda. At neque ex istis aliquid certi colligi potest. Nam res gestae in libro Iobi non commemorantur ullae, ex quibus temporis coniectura fieri posset, et quod aliqui ex pauperum et oppressorum sorte descripta tempus exilii colligere voluerint (ita Schaerer, Vatke apud Welte, Das Buch Job, p. XIX; et Hitzig, Das Buch Hiob) [1], quam maxime arbitrarium est, cum tales vicissitudines et iniuriae, quales in libro Iobi proponuntur (cp. 12, 24, 30), ubique terrarum et omni aetate occurrant. Aeque incerta sunt, quae ab aliis erui posse creduntur : Ewald et alii ex infortuniis tempus Manassis coniectant; Hirzel ex rebus Aegyptiacis tempus Ioachaz regis eiusque in Aegyptum abductionis; Stickel ex hostium impetu descripto tem-

1. Hitzig auctorem censet fuisse Ephraimitam, cui destructo regno Israelitico libri Iobi consilium obortum sit; Iobum esse prosopopeiam quandam populi Israelitici; sed nemo non videt, quantae stupiditatis, arrogantiae, vesaniae ille Ephraimita fuisse censendus sit, qui populum Israelem *innocentem* a Deo esse afflictum sibi persuadere potuerit. Hoc unum sufficit ad fictionem illam eiusque consectaria evertenda.

pus bellorum inter Assyrios, Chaldaeos et Iudaeos, etc. (cf. apud Delitzsch com.); Renan tempus prophetarum Amos et Osee.

Ex artis poeticae sublimitate, magnificentia, splendore illorum opinio satis commendatur, qui librum *aetati aureae poeseos hebraicae* i. e. tempori Davidis et Salomonis attribuunt (cf. Welte, Delitzsch, Zschokke in com.). Ea est enim stili elegantia, rerum variarum tractatio amplissima, argumenti dispositio grandis et conformatio ad omnem perfectionis apicem limata, ea est disceptationis varietas, profunditas, ea morum motuumque animi explicatio, descriptio, ea demum sapientiae studii inquisitio, rerum naturalium et arcanarum perscrutatio et explicandi facilitas et ubertas, quae in aurea aetate poeseos, quae tempore Salomonis in rerum illa conditione florentissima adfuisse prorsus exspectatur. Accedit, quod libri Psalmorum, Proverbiorum, Isaiae, Ieremiae, Baruch haud pauca contineant, quae ex Iobi libro deprompta vel ad eum conformata et expressa esse omnino videntur [1]. Iam quae huius consensus causa censenda est? Fieri sane potest, ut duo scriptores iisdem doctrinis imbuti easdem etiam quandoque dicendi formas, imagines proferant ita, ut inter se minime dependeant; at si talia frequentius cernantur et inter se prorsus cognata appareant, unum ab altero hausisse vel alterius libri lectione tinctum esse et quasi coloratum iure supposueris. Id vero omni dubio caret, si loci ita inter se sunt similes, uti Iob 3, 3-10 et Ier. 20, 14-17, Iob 10, 18 et Ier. 20, 18. Iam quis alterum imitatione expresserit, nemo in dubio relinqui opinabitur. Ieremias enim aliorum verba et vaticinia frequenter solet in suum convertere usum (cf. vaticinia de Moab cp. 48, de Babel cp. 50, cum Isaiae oraculis cp. 16, 13, 21 — cf. *Scholz*, *Schneedorfer* comment. in Ier.): « Iobeidos tamen auctorem ab alio quidpiam mutuatum esse, quo suum opus exornaret, quis exspectabit a tali poeta, cuius omne reliquum carmen tot tantisque propriis virtutibus elucet, ut sunt argumenti dignitas, apta digerendi ratio, sententiarum sublimitas, eruditionis pompa, ingenii fecunditas » (*Ros.*)?

Alii temporis posterioris indicium deprehendisse sibi visi sunt in linguae indole ad Chaldaismum et formas aramaizantes vergente (cf. *Ros.*). At recentiores hanc rationem merito repudiant. Nam linguae hebr. historiam variamque aetatem minime ita perspectam habemus, ut verba verborumque formas secundum temporis rationem metiri et diiudicare possimus; insuper multa quae in cognatis dialectis servan-

---

1. Cf. v. g. Iob 14, 5 et Is. 40, 6. 7; Ps. 36, 2; 89, 6. 7. — Iob 15, 7 et Prov. 8, 25. — Iob 15, 35 et Is. 59, 4; Ps. 7, 15. — Iob 21, 22 et Is. 40, 14. — Iob 9, 8 et Is. 44, 24. — Iob 12, 24 et Is. 40, 23. — Iob 12, 17. 20 et Is. 44, 25. — Iob 3, 2 et seq. et Ier. 20, 14 et seq. — Cf. *Del.* § 6. — Iob 19, 24 et Ier. 17, 1. — Iob 21, 19 et Ier. 31, 29; Ez. 18, 2. — Cf. *Hirz.* Einl. 6, *Hitz.* Einl. XLI, XLIV. — Baruch 3, 14-38, Iob 28.

tur, antiquioris linguae propria esse hodie facile concedunt omnes; unde fit, ut formae aramaizantes nullo modo aetatem posteriorem per se prodant (cf. *Herbst-Welte*, Einl. in das A. T. II, 2, p. 193; *Kaulen*, Einl. in die h. Schr. I, p. 247, 255).

Certum est ea, quae in prologo (cp. 1, 2) et epilogo (cp. 42) proponuntur, ab auctore s. tamquam res generatim vere gestas narrari [1]. Id enim iam narrationis modus adeo distinctus et rebus singulis inhaerens nativa sua simplicitate suadet; id vero potissimum Iobi in aliis locis s. literarum mentio honorifica. Si res per modum *parabolae* proponeretur, i. e. si narratio esset *ficta*, iure merito nominum rationem ad singulorum partes accommodatam exspectares. Sed interlocutorum nomina cum certa et ad rem spectante significatione careant, rem generatim veram narrari suo quoque modo suadent.

Erat igitur Iobus vir inter *Arabes* ditissimus (cf. comment. ad cp. 1). Vixit extra Palaestinam, Dei veri notione et cultu imbutus. Cum adeo longaevus describatur (42, 16), et ipse, uti Patriarchae facere solebant ante legis sinaiticae promulgationem, sacrificia offerre dicatur, haud immerito eum ante tempora mosaica vixisse plerique censent. Sedulo quoque s. auctor in ipsa disceptationum serie omnia evitat, quae legem mosaicam vel peculiares Israelitarum institutiones spectent. Interlocutores nominibus Dei utuntur generalibus illis, quibus Dei potentia eiusque ad omne hominum genus mundique fabricam habitudo exprimatur אֵל, אֱלֹהִים, שַׁדַּי; peculiari nomine יהוה, quo arcta ad populum electum necessitudo et supernaturalis Dei foederis ineundi ratio est consignata et consecrata, non utuntur, nisi 12, 9, quo in loco forma quaedam dicendi *proverbialis* cernitur, et 28, 28 in aliquibus editionibus, ubi tamen lectio minime constat, dum plerumque אֲדֹנָי fertur et LXX θεοσέβεια vertunt.

Appendix quaedam ad graecam libri versionem, quae etiam apud Theodotionem et in vetere latina versione legitur (minime vero in hebr. et ideo a *S. Hier.* in nostra vulgata omissa est), accuratiorem Iobi texit genealogiam : « hic interpretatur de syriaco libro in terra quidem habitasse Ausitide, in finibus Idumaeae et Arabiae et erat ei antea nomen Iobab; et accepit uxorem Arabissam, genuitque filium, cui nomen erat Ennon. Erat autem ipse filius quidem Zarae de Esau filiis filius, de matre vero Bosram, ita ut sit quintus ab Abraham. Et hi sunt reges qui regnaverunt in Edom, in qua et ipse regnavit

1. Ceterum numeros rotundos non sine artificio quodam efferri, satis probabile videtur. *Septem* filios, *tres* habuit filias; *septem* millia ovium, *tria* millia camelorum; mille boves et numero *dimidiato* asinas quingentas. Post cladem vixit annos 140 i. e. numerum ex *septuagenario duplicatum*.

regione : prius Balaac filius Beor, et nomen civitatis eius Dennaba; post Balaac autem Iobab, qui vocatur Iob[1] ». Sed nimis apertum est, similitudinem illam, quae in *graecis* nominibus Ἰώβ et Ἰωβάβ cernitur, hanc peperisse genealogiam apud eos, qui Iobi mentionem in Patriarcharum historiis non fieri nullo modo sibi persuadere poterant. Verum similitudo illa fallax in veris nominibus אִיּוֹב et יוֹבָב (cf. Gen. 36, 33; 1 Chron. 1, 44), uti in libris historicis hebr. leguntur, minime apparet; reliqua ex genealogia Iobab desumta et cum rebus in prologo Iobi traditis coniuncta atque commista sunt. Id autem additamentum satis ex parte esse vetustum, ex eo elucet, quod iam apud *Aristaeam* eius rei explicita mentio fit, uti ex Alexandro Polyhistore Eusebius refert (Praep. Ev. 9, 25; *M.* 21, 728); attamen ne in Ecclesia graeca quidem omnium approbationem sibi vindicare potuit; notat enim *Ol.* : « dicunt nonnulli (τινές), non esse sacrae Scripturae (illa verba), sed libro perperam adscripta (παρεγγεγράφθαι) », quamvis ipse huic iudicio non acquiescat : « nos vero cum in omnibus graecis exemplaribus librum sic scriptum invenerimus, ita omnia quae in eo scripta sunt recipimus, prout a Patribus nobis tradita sunt » (*M.* 93. 460) [2]. Verum explicite reiicit *S. Hier.* : « male quidam aestimant Iob de genere esse Esau; si quidem illud quod in fine libri ipsius habetur, *eo quod de syro sermone translatus est et quartus sit ab Esau* et reliqua, in hebraeis voluminibus non habentur » (quaest. hebr. in Gen. ad 22, 20; *M.* 23, 971). Ipse Iobi genus Hebraeorum opiniones secutus refert ad *Nachor* : « primogenitus Nachor fratris Abraham de Melcha uxore eius filia Aran natus est Us (Hus), de cuius stirpe Iob descendit, sicut scriptum est in exordio voluminis eius : *vir fuit in terra Us* » (l. c. et c. 994). Regionis igitur nomen hanc opinionem peperit. Eandem proponunt *Phil.* (ad 1, 1), *Isidorus*, *Rupertus*, *Rhabanus*, etc., (quos vide apud *Pin.*). Prioris sententiae sub nomine Iulii, Ioannis (Chrys.) et Epiphanii etiam *Barh.* meminit; dein aliam affert, quam Asaph, sacerdos hebr. et frater Esrae et Arud Canaanaeus (cf. Assemani, Bibl. or. II, p. 313) proponant : Iobum (Iobab) esse filium Ioctan, filii Heber, filii Sale, filii Arphaxad, filii Sem, filii Noe (cf. Gen. 10, 29); praeterea aliae sunt aliorum coniecturae, uti fieri solet in re plane incerta.

Ad priscam illam Patriarcharum aetatem referendam confert quoque

1. Ita quidem textus versionis antiquae, prout habetur apud *Sabatier*. (Bibl. s. vers. ant. I, p. 908). Ceterum ipse iam adnotavit textum hunc in quibusdam differre a graeco; haec praecipue notanda sunt : ἦν δὲ αὐτὸς πατρὸς μὲν Ζαρέ (ex cod. vatic.; Ζαρέθ ex alex.), μητρὸς δὲ Βοσόῤῥας (vel Βοσσόρας, ut habet cod. alex.).

2. Eanden sententiam testimonio multorum Patrum persuadere nititur *Pin.* ad 1, 1; et *Natalis Alexander* (Hist. eccl. t. I, dissert. 13, prop. II).

mentio קְשִׂיטָה (42, 11; Gen. 33, 19; Ios. 24, 32) et illorum tantum instrumentorum musicorum, 21, 12; 30,31, quae iam in Genesi (4, 21; 31, 27) inveniuntur [1].

Certum quoque videri potest, inter Iobum ulcere afflictum et amicos verba esse conserta de tanti mali causa et origine in eam ab unoquoque fere sententiam, quam auctor refert; ipsam vero disceptationem qualem eam legimus, argumentorum seriem, elocutionis vim et ornatum ad s. auctorem esse referendum, facile omnes concedent. Nam « quis putet Iobum in summis corporis et animi doloribus carmina ad uxorem et amicos fudisse, aut ipsos vicissim virum tot malis oppressum versibus esse allocutos » (Huetius, de dem. Ev. in libr. Iob; Alex. Nat. l. c. p. 249)? Praeterea sermo adeo comptus, sublimis, tantis dicendi luminibus distinctus a familiari colloquio prorsus alienus est; quare bene *Vav.*: « si cui videtur argumentum, quod omnino subest, vel amplificatum esse oratorie, vel poetice depictum, vel tractatum quoquo modo figurate, non invitus concesserim; quod res ipsa manifeste evincit; neque enim credo, ut cetera omittam, miseri dum lugent, sic ordinate lugent et artificiose, ut lascivire in malis et ornare miserias velle suas videantur; neque disseruerunt inter se versibus Iobus atque amici, aut cum iisdem egit Deus oratione ita vincta ».

A capite tertio librum versibus esse descriptum, eosque stichis iambicis *heptasyllabis* contineri, nuperrime Dr. *Bickell*, qui non sine ratione verum Hebraeorum metrorum genus se invenisse gloriari potest, amplissime versibus ex metri regulis descriptis luculenter demonstravit; cf. Carmina vet. Test. Oeniponte 1882 — de eadem re cf. *G. Gietmann* S. I. de re metrica Hebr. Friburgi Br. 1880; praesertim a p. 42 enarratio metrica libri Iob; in quibus libris regulae quoque artis metricae Hebr. magna cum rei verisimilitudine expenduntur, ex Syrorum gentis cognatae more derivantur, omniumque carminum vet. Test. metrica analysi et descriptione illustrantur.

IV. — Qui librum Iob commentati sint.

Cum omnis *versio* simul sit aliqua textus commentatio, primo pauca de antiquis versionibus, quibus in textus explicatione usi sumus, dicenda sunt.

---

1. S. Ephraem scribit eum annis mille septingentis viginti quinque ante Christum vixisse (in librum Iob; op. ed. P. Benedictus S. I. t. II, p. 2); in graeco menologio Basilii Imperatoris Christi Incarnationem praecessisse dicitur annis mille nongentis viginti quinque (*M.* 117, 440); alii, quos *Barh.* etiam commemorat, eum aequalem faciunt Iacobo Patriarchae, alii Moysi, etc. Variorum opiniones etiam refert *Pin.*

Versio Graeca, quae communi nomine vel Alexandrina vel septuagintaviralis (LXX) vocatur, orta videtur medio saec. 2 a. Chr. ita, ut ad tempus posterius *Noeldeke* iudice nullatenus referri possit (cf. Fr. Bleek, Einl. in das A. T. 3. ed. a Kamphausen p. 769). Textum originalem saepe bene exprimit; saepe vero etiam ab eo recedit; difficiliora quaedam esse penitus omissa, iam Origenes et S. Hieronymus adnotarunt. Est magni momenti, utpote testis antiquissima textus hebraei (cf. *G. Bickell*, de indole ac ratione versionis Alex. in interpretando libro Iobi, Marburgi 1863).

Hanc *graecam* fideliter exprimit *vetus latina*, quae olim in Ecclesia latina legebatur, quam *S. Hier.* curis novis ad textum graecum exegit ita, ut notis criticis, virgulis scil. et stellulis, eius ad hebr. textum habitudinem simul illustraret; « rogo, ut ubicumque praecedentes virgulas videritis, sciatis ea quae subiecta sunt in hebr. voluminibus non haberi; porro ubi stellae imago fulserit, ex hebr. in nostro sermone addita » (præf. in librum Iob *si aut fiscellam*). Hanc Iobi emendationem *S. Augustinus* valde approbavit (cf. *M.* 22, 833); legitur *M.* 29, 61-114.

Ex aliis versionibus graecis *Aquilae*, *Theodotionis*, *Symmachi* non exstant nisi fragmenta pauca, quae tamen saepius ad textum illustrandum vel veram lectionem stabiliendam utilia sunt; multa affert *Olympiodorus* (*M.* 93); collecta sunt in *M.*, 16 a *Hexaplorum quae supersunt* c. 289-568 et in opere a *Field* edito, *Origenis Hexapla quae supersunt* Oxonii 1871-1875, II, p. 4-82.

Exstat *Paraphrasis Chaldaica* vel *Targum* (*Chald.*) in librum Iob, de cuius tamen aetate certi quid statui nequit; non desunt, qui illam ad tempus et patriam *Ionathan ben Uziel*, Hilleli discipuli, et proin ad tempus a. Chr. referant (cf. *Zunz*, Gottesdienstl. Vorträge p. 64; *Hævernick*, Einl. in d. A. T. p. 400; *de W. Schrader*, Einl. in d. A. T. p. 129); in locis dubiae lectionis vel interpretationis cum utilitate consulitur; prostat in *Polyglottis Londinensibus*, ed. *Walton*, t. 3. p. 2-87.

Saeculo 2 p. Chr. orta est versio *Syriaca*, quae plerumque satis fideliter textum hebr. sequitur, quandoque etiam propius ad LXX accedit. Prostat in Polygl. Londin. l. c. et edita est a *Lee*, London 1823.

Inter omnes vero versiones omnium iudicio (etiam acatholicorum. cf. *Del.* § 12) palmam sibi vindicat ea, quam *S. Hier.* ex textu hebr. adornavit et quam in *vulgata* nostra legimus. Eam instituit a Iudaeo quodam praeceptore adiutus; « memini me ob intelligentiam huius voluminis Lyddaeum quendam praeceptorem, qui apud Hebraeos primus haberi putabatur, non parvis redemisse nummis, cuius doctrina an aliquid profecerim nescio; hoc unum scio non potuisse me inter-

pretari, nisi quod ante intellexeram » (praef. in Iob *cogor*); interpretandi difficultatem optime perspexit : « haec autem translatio nullum de veteribus sequitur interpretum, sed ex ipso hebraico arabicoque sermone et interdum syro nunc verba, nunc sensum, nunc simul utrumque resonabit. Obliquus enim etiam apud Hebraeos totus liber fertur et lubricus, et quod graeci rhetores vocant ἐσχηματισμένος, dum qui aliud loquitur, aliud agit, ut si velis anguillam vel murenulam strictis tenere manibus, quanto fortius presseris, tanto citius elabitur » (l. c.). Hanc versionem multum prae vetere praestare, bene iam perspexit *S. Greg.* qui eam plerumque in suis expositionibus sequitur et suo exemplo plurimum contulit, ut demum sola in Ecclesia latina legeretur. Ex ipso commentario patebit, quam multis in locis *S. Hier.* optime textum hebr. sit assecutus; in pluribus eam reliquis versionibus esse anteponendam, ut quae sola verum expresserit sensum, demonstrabimus; in aliquibus ab ea esse recedendum docebimus. Neque hoc mirum est, cum *S. Hier.* ipse opus suum non omnibus esse absolutum numeris testatus sit; id potius admiratione dignum est, quod tam raro in vertendo erraverit.

Iam ad ipsos veterum commentarios recensendos transeamus. Primo occurrunt *Origenis selecta in Iob;* pauca sunt fragmenta ad cpp. 1, 19, 20, 21, 27, 32, 35, 40, 41; excusa sunt apud *M.* 12, 1031-1050. — Huc statim adscribendus *Anonymi in Iobum commentarius* (*An.*), qui olim sub Origenis nomine ferebatur; eius tamen non esse probavit *Huetius;* tria tantum capita priora libri Iob complectitur; mira quadam verbositate conspicuus est et rerum diffusissima consideratione; *M.* 17, 371. *S. Ephraem* Syrus explanationem, vel potius scholia quaedam scripsit in Iobum; syriace edidit et latine satis fideliter vertit P. Benedictus S. I.; habentur in operum editione t. II, p. 1-20 (Romae 1740).

Patrum graecorum commentationes complectitur *catena*, quae a *Niceta*, Heracleensi Episcopo, saeculo 11 exeunte concinnata est et 24 Graeciae doctorum explanationibus contexta; illam edidit in latinum translatam *P. Comitolus* S. I. (Lugduni 1586 — Venetiis 1587); locupletiorem una cum textu graeco edidit *Patricius Iunius*, Londini 1637. Pleraque Nicetas deprompsit ex Chrysostomo, Polychronio et praecipue ex Olympiodoro. Iuvat aliqua accuratius indicare.

Pauca quaedam ex ea deprompta sunt *S. Athanasii* fragmenta; *M.* 27, 1343-1348.

Item *Didymi* Alexandrini (*Did.*), quae usque ad 21, 3 protenduntur; *M.* 39, 1119-1154.

Multo plura exstant *S. Chrysostomi* (*Chrys.*); *M.* 64, 505-656; quamvis magis oratoria sint praesertim ab initio, tamen utilia etiam interpreti

inveniuntur. Quam maxime vero interpreti inservit *Olympiodorus* (*Ol.*), qui singulis capitulis bonam *Protheoriam* praemittit et versus singulos nitide ac studiose, saepe feliciter, explanat; habetur *M.* 93, 13-469, ubi multa etiam ex *Polychronio* adscripta sunt.

Apud latinos Patres sane pauciora adsunt, quae etiamnum ab interprete minime sint negligenda. Habentur quidem *S. Augustini* annotationes in Iob (*M.* 34, 825-886), quae veterem lat. versionem sequuntur, sed cum fere solas allegoricas applicationes contineant, interpreti parum utiles sunt. De iis *Sanctius* ita iudicat : « eas ipse *S. Aug.* parum probat, aut potius retractat et damnat; et pene suas esse negat, cum scriptae fuerint parum accurate et excidisse potius invito auctore quam ab illo in lucem publicumque conspectum prodiisse videantur. Quare in Augustino Augustinum agnoscere non libet » (cf. S. Aug. retract. lib. 2, cp. 13; *M.* 32, 635).

Ferebantur olim commentarii sub nomine S. Hieronymi, qui variis cum additamentis etiam quandoque in Ven. Bedae operibus exhibebantur. Plerique illos attribuunt *Philippo* (*Phil.*), S. Hieronymi discipulo; quamvis allegorica sat multa exhibeant, tamen sensum quoque literalem saepius accurate illustrant; *M.* 26, 619-802; cf. de iis commentariis diatriben t. 23, c. 1103. Quae vero fertur *expositio interlinearis* libri Iob (*exp. in.*), fere non est nisi ex istis commentariis derivata; *M.* 23, 1407-1470. Praeterea ibi c. 1470-1480 leguntur quaedam alia fragmenta ex commentario quodam, quem pro genuino *S. Hier.* Meibomius haberi voluit, quae tamen opinio statim explosa est, quam primum pauca quaedam specimina interpretationis prolata sunt.

Insignes sunt mole, varietate ac subtilitate doctrinae dogmaticae, moralis, pastoralis, asceticae, miranda prorsus ingenii vastissimi fecunditate *Moralium libri S. Gregorii Magni*, sive expositio in librum b. Iob (*M.* 75, 509-1162 et 76, 9-782). Sed licet in vastissimo hoc opere pro variis s. Theologiae disciplinis multi ac reconditi thesauri inveniantur, tamen pro libro Iobi *expositione*, cum S. Doctor sensum literalem furtim tantum et saepe omnino non explanet, solummodo pauca in interpretis utilitatem derivari possunt. Hoc iam iudicium tulit *Sanctius* : « de Gregorio id dico, quod negare potest nemo, gravissimos edidisse commentarios divinum aliquid ubique spirantes; in quibus licet mirificam tanti Doctoris sanctitatem agnoscere et admirabilem de virtutum vitiorumque natura, de religionis studio, religiosoque progressu doctrinam. Sed cum id spectet magnus Doctor, non adeo curavit, commentarii ut essent literae tenaces. Atque *ideo non magno mihi fuerunt subsidio*, qui id curavi maxime, ut germanos e litera sensus eruerem ».

In Iobi expositione allegorica vestigia S. Gregorii presse sequuntur ita, ut fere excerpta solum aliqua ex ipso exhibeant : *Glossa ordinaria* (*M.* 113, 747-840) ; *S. Bruno* (*Br.*), Astensis, Abbas Montis Casini et Episcopus Signiensium; legitur eius *expositio in Iob M.* 164, 551-696; et *Rupertus*, Abbas Tuitiensis (*Rup.*), *super Iob commentarius* legitur *M.* 168, 963-1196. Prae hisce vero multum excellit *S. Thomas* Aquinas, qui in sua *expositione* sensum literalem optime consequitur, subtiliter et ingeniose deprehendere et enucleare studet rerum argumentorumque seriem ac nexum et saepe prorsus feliciter ac luminose explicat. Quos hucusque recensui latinos interpretes, impune omittere quis potest et sine ullo expositionis damno, at *S. Thomam* sedulo consulat, qui unus in Iobi expositione omnes praedecessores quam maxime superat; haec iam est eius laus praecipua, quod unam literalem explanationem iure consistere sua explanatione contra allegoricos illos vindicaverit.

Ex oriente circa idem tempus commemorandus est *Gregorius Barhebraeus* (*Barh.*), qui Abulpharagius ab Arabibus vocatur, scriptorum Iacobitarum facile princeps, patria Melitinensis, patre Aaron medico natus anno 1226, ex quo *Barhebraei*, h. e. Hebraei filii cognomen traxit (cf. *Assemani*, Bibl. or. t. II, p. 244). In eius *Horreo mysteriorum*, in quo expositionem et correctam lectionem s. Scripturae collegit (cf. l. c. p. 272), inveniuntur etiam notae quaedam vel scholia in Iobum, quae *Kirschius* in Chrestomathia syriaca ex codice Bodleiano descripta syriace edidit (cf. editionem a *Bernstein* adornatam p. 186-210); multa textus syriaci lectionem spectant, nonnulla etiamnum in utilem textus explicationem derivari possunt, quae suis locis indicare nobis eo magis curae fuit, quia haec scholia apud nullum Iobi interpretem allegata vel adhibita invenimus.

Ex illis, qui *postillas*[1], composuerunt, sufficiat unum nominasse *Nicolaum de Lyra* († 1340), qui sensus literalis expositioni multam et saepe non inutilem curam impendit; multa ex S. Thomae commentariis in suos transtulit. Post sensum literalem textum *moraliter* exponit. Singulari interpretandi genere notus est *Thomas de Vio* Cardinalis et Episcopus *Caietanus;* ipse linguae hebr. ignarus textum ab aliis sibi propositum enucleare studuit secundum sensum literalem, idque non raro feliciter praestitit, saepe tamen in coactas ac subtiliores explanationes abit; prodierunt *Commentarii* in librum Iob Romae 1535, Lugduni 1539, etc. — Commemoranda est Hieronymi *Osorii*, Episcopi Silvensis († 1580) *Paraphrasis in Iob*, quam quidem videre non licuit;

1. Etiam *Albertus Magnus* scripsit *Postillas super Iob*, quae in codice mscr. bibliothecae Mediceae exsistere dicuntur; cf. *Quetif* scriptores ord. Praed. I, p. 179.

at si ea ratione est conformata, ut eiusdem *Paraphrasis in Isaiam*, valde erit commendatione digna; omnino recte *Du Pin* de eo: « Theologiae studiosi cum fructu Osorii legent opera, quo discant apte eloquenterque dicere atque scribere », et addit *Calmet*: « totus est in indagando sensu et connexione » (cf. *Hurter*, Nomenclator literarius I, 58).

Neque omittenda est *Franc. Titelmanni*, O. Min., Theologi Lovaniensis, *Elucidatio paraphrastica* in Iobum, quae Antverpiae saepius (1547, 1550, 1553, 1566) et Lugduni 1554 prodiit. Hebraicae ac Chaldaicae linguae notitiam ad explanationem adhibuit *Augustinus Steuchus, Eugubinus;* scripsit *Enarrationes in librum Iobi*, Paris. 1578; Venet. 1591, 1601; multa ex eo refert *Pineda*. Multum laudatur *Didacus de Zuñiga* (etiam *Stunica, Estunica*), O. Erem. S. Aug. Salmanticensis († 1589); edidit *Commentaria in librum Iob*, quibus triplex eius editio vulgata latina, hebraea et graeca, nec non et chaldaea explicantur, inter se conciliantur et praecepta vitae cum virtute colendae moraliter deducuntur. Toleti 1584. Notat *Nic. Antonius:* « quod genus et concilium scriptionis nemo ante id tempus fuerat secutus » (Bibl. hisp. nova I, 325); laudatur Stunica etiam propter sermonis latini puritatem (cf. l. c. 324 — *Hurter* l. c. I, 157). Commentarios in librum Iob « doctissimos » scripsisse ab Antonio Daza perhibetur Franc. *Orantes* (*Horantius*) O. Min. Episcopus Ovetensis († 1584 — cf. *Antonius* l. c. I, 452). Feruntur quoque *Lectiones in Iob* (Romae 1617), quas *Tuccius* Lucensis, protonotarius apostolicus edidit. Sed longe praestantissimi sunt et stupenda eruditione referti Ioannis de *Pineda* S. *I. Commentariorum in Iob libri tredecim;* voll. 2 Matriti 1597-1601; Coloniae Agrip. 1600-1603; Hispali 1602 etc. *Pineda* (*Pin.*) aliorum expositiones studiose refert, subtiliter perpendit et excutit, dein ad verba textus, loquendi modos, mores antiquitatis etc., elucidanda ex innumeris pene scriptoribus plurima profert et eruditissimas digressiones inserit. Plurimum laudis ei ab ipsis acatholicis tribuitur; ita v. g. *Schultens* (Praef. comment. in Iobum) scribit: « completissimum Pineda dedit commentarium, in quo omnes fere veterum et recentiorum e communitate praesertim Romana explicationes summo iudicio et ordine percensuit atque exactissima trutina pensavit » et *Delitzsch* opus vocat eruditione stupenda conscriptum et etiam a protestantibus usu et admiratione habitum [1] (cf. *Antonius* l. c. I, 760 — *Hurter* l. c. I, 608). Pinedae commentarius omnino dignus est, qui hodie quoque assiduo volvatur.

1. Ein staunenswerth gelehrtes Sammelwerk, auch protestantischerseits benutzt und bewundert; Einl. § 12.

Minoris quidem molis est, at explicationis methodo, claritate, soliditate plurimum commendandus est commentarius in l. Iob, quem condidit Caspar *Sanctius* (*Sanchez*) S. I., Lugd. 1625. Feliciter et ingeniose praestitit, quod sibi proposuit : « id curavi maxime, ut germanos e litera sensus eruerem; quod fecerunt alii item in hoc saeculo, quibus habendae sunt gratiae, quod rem tentaverint non adeo expeditam ac facilem et ab aliis pene omnibus ad haec usque tempora derelictam ». En quanti literalem explicationem aestimat eamque in Iobo a veteribus neglectam dolet! Virum multis ac bene meritis laudibus cumulat *Antonius* l. c. p. 532.

Ad idem tempus referuntur : *Enarrationes* in Iob, quas edidit Iacobus *Iansonius*, Iansenii magister et Baii amicus, Amstelodamensis, Lovanii 1623, 1643 (cf. *Hurter* l. c. I, 627); *Exercitationes* in l. Iob Pictavis 1628 edidit Henr. Lud. *Castanaeus* (Chasteigner de la Roche-Posai), in diversis locis Abbas, dein Episcopus Pictaviensis, famosi *Sancyrani* amicus et protector (cf. *Hurter* l. c. I, 802). Quid sibi Iacobus *Bolducius*, O. Cap. Parisiensis proposuerit, operis titulus indicat : Commentaria in librum Iob, quibus praemissa hebraei idiomatis accurata versione eiusque perbrevi paraphrasi variae cum editiones, tum lectiones cum Vulgata collatae expenduntur, nec non idiotismi, phrases et singula textus vocabula potissimum hebraea diligentissime explanantur ex iisque omnibus genuinus ac primarius literae sensus tandem eruitur; Parisiis 1638 tomi duo in f. Verum quidquid habet boni et eruditi et solidi, id (iudice *Schultens*) Pinedae debet; ceterum non raro opinionum novitate capitur et ad peregrina ac insolita placita comprobanda proprio genii pondere fertur et *s.* Scripturam saepe ad inauditum sensum detorquet (cf. *Hurter* l. c. 803).

Meritas sibi laudes comparavit Balthasar *Corderius* S. I. Antverpiensis; *Iob elucidatus* prodiit Antverp. 1646, 1656 etc., et iterum excusus est a *Migne:* Scripturae sacrae *Cursus* completus, Parisiis 1839 in t. 13 et 14. Tale ibi (t. 13, p. 221) fertur iudicium, quod veritate niti *Welte* omnino vere affirmat : « quidquid probatissimi antea commentatores et praecipue eruditus Pineda in Iob elucubraverant, sedulo lustraverat Corderius; quidquid verae scientiae sanaeque critices in iis sparsum erat, peritus elicuit ac suum fecit »; et revera saepe valde dilucide textum explanat, graecas versiones et etiam textum hebr. in subsidium adhibet; praeterea vero in id sedulo incumbit, *interpretis* munus longe praetergressus, ut spiritales doctrinas et asceticas institutiones eliciat easque Patrum sententiis « in gratiam concionatorum » (ut ipse ait in praef. ad lect.) fusius subinde ac uberius explanet. Pariter Antverpiae 1661 evulgavit *literalem elucidationem* in Iob Henricus de *Longhem* O. S. Franc. (cf. *Hurter* I, 793). Merito commendandus

est *Iobus brevi commentario et metaphrasi poetica illustratus*, scripsit Franc. *Vavassor* S. I., Paris. 1638. 1679; Francof. 1654 etc., in editione omnium eius operum Amstelodami 1709 p. 413-532. Breviter. dilucide et sano cum iudicio sensum exponit [1]; « metaphrasis ob stili nitorem et elegantiam magnam laudem adepta est » (*Ros.*); « stili elegantia et nobilis ille genius res perspicue exprimendi id efficit, ut doleamus in hoc argumentum diutius virum illum non laborasse » (*Calmet*, Bibl. s. in eius *Dictionario biblico*); orator enim et poeta aliis multis scriptis et curis districtus praeter Iobum solum Osee brevi commentario illustravit [2]. Hebraeum textum accurate respiciunt *Scholia seu adnotationes in Iobum, ad sermonem sacrum Ebreum adornata*, Parisiis 1651, quae Philippus *Codurcus* non sine eruditione magna et ingenii laude composuit. Quanti habita sint, ex eo patet, quod *Criticorum sacrorum* tomo secundo inserta sunt. Eidem inserta sunt haec, quae a catholicis prodierunt : *Vatabli* annotationes et *Isidori Clarii* O. S. Ben.

Iam ex numero illorum interpretum, qui fere totam s. Scripturam notis et scholiis illustrarunt, etiam pro libro Iob speciali mentione digni sunt hi : Emmanuel *Sa* S. I. († 1596), cuius notationes in totam Scripturam (Antverp. 1598) receptae sunt in *Biblia magna*, quae de la Haye adornavit et in *Biblia cum selectissimis Litteralibus Commentariis*, Venetiis 1749. In hoc opere etiam excusa sunt *Scholia* in V. T., quae scripsit Ioannes *Mariana* S. I. († 1624), et quae multis encomiis iuremerito celebrantur (cf. *Hurter* l. c. 598; et ex acatholicis *Diestel*, Geschichte des A. T. in der christlichen Kirche p. 441). Item ibidem excusa sunt, quae Thomas *Malvenda* O. Praed. († 1628) summo stu-

1. Quantopere fama inclaruerit, cf. *Hurter* l. c. II, 427.

2. Quo plenior habeatur rei literariae conspectus, alios subiunginus, quorum commentarii vel minoris sunt momenti vel in manuscriptis adhuc codicibus inediti latitant : *Thomas Langford* Anglus Essexiensis O. Præd. († 1314) edidit postillam super Iob « non ineruditam neque lectu indignam » (*Quetif* l. c. I, 523) ; *Franc. de Beluno* O. Praed. († 1352) *Commentaria* reliquit *in Genesim, Iob et Tobiam* (l. c. 640); *Iacobus de Lausana* O. Praed., a patria ita nuncupatus, *Moralitates* in multos s. Scr. libros scripsit († 1321), quae partim Lemovicis 1528 typis vulgatae sunt (l. c. 548). Quae B. *Nicolaus Bocasinus* O. Praed. Papa *Benedictus XI* dictus scripsit in *Iob*, etc., in manuscriptis delitescunt (cf. l. c. 447). *Simon de Heintun* vel Hentonia (Wintonia) *in Iob* item c. an. 1360; item *Commentarius super librum Iob*, quem *Ioannes de Francovordia* O. Praed. c. an. 1441 (l. c. 795), et probabiliter etiam *Commentarium super Iob insigne*, quod *Damiano Crasso* († 1515) O. Praed. attribuitur. Iam ante 1516 edita est *Expositio per modum lectionum super Iob* ab *Antonio Beccaria* O. Praed. — Composuit quoque Franc. *Foreiro* O. Praed. *Commentaria in Iob*, sed non videntur esse edita (cf. *Antonius* l. c. 427 — *Quetif* II, 262); quod si ex reliquis viri scriptis coniectura est facienda, certe est dolendum. *Cyprianus de Huerga*, O. Cist. scripsit Commentaria in librum b. Iob, quae postuma edita sunt Compluti 1582. *Ioannes a Iesu Maria* O. Carm. *librum Iob paraphrastice explicatum* Romae 1611 edidit (cf. *Antonius* l. c. 260, 714). *Augustinus Cermelli* O. Praed. Genuae 1636 edidit *catenam in Iob ex SS. Patrum scriptorumque ecclesiasticorum sententiis concinnatam* (cf. *Quetif* l. c. II, 669).

dio ad textus hebr. elucidationem collegit (cf. *Antonius* l. c. II,308; *Quetif* II, 456 — etiam *Diestel* l. c. eius adnotationes dignas esse ait quae legantur). Ibi quoque inveniuntur breves illae, sed lucidae et succosae notae, quas Iacobus *Tirinus* S. I. († 1636) edidit; eius *Commentarium in V. et N. T.* saepe est editum (cf. *de Backer*, Bibliothèque des écrivains de la C. d. J. s. v.), quo quanto in pretio sit habitum ostenditur. Etiam hodie utiliter consulitur. Neque sine laude et approbatione manserunt *Biblia sacra cum commentariis ad sensum literae*, quae edidit Parisiis 1632 Iacobus *Gordonus* S. I. († 1641); Richardus *Simon* ea multis laudibus celebrat (Histoire crit. du V. T. 3, 12). Maximam approbationem nactus est Ioannes *Menochius* S. I. († 1655), cuius *brevis explicatio sensus literalis s. Scr. ex optimis quibuscunque auctoribus per epitomen collecta* (vel, ut aliae editiones titulum ferunt: Commentarii totius Scr. ex optimis quibusque auctoribus collecti) saepe est edita (cf. *Hurter* l. c. 813; *de Backer* l. c.), et revera breviter, dilucide, saepe etiam feliciter sensum explanat. Huc etiam referendae sunt Guilelmi *Estii* adnotationes in loca difficiliora s. Scr. — saepius editae sunt; etiam insertae literalibus Bibliorum commentariis Venetiis editis et partim Scr. s. cursui completo, quem Migne concinnavit.

Commentarium edidit *in universam Scripturam* Franc. *Carriere* O. Min. (Lugduni 1663) sensum literae referentem captatim cum brevi et solida latentium et insurgentium quaestionum resolutione (cf. *Hurter* l. c. II, 122). Commentarium literalem et moralem gallice composuit in universam fere scripturam Franc. *Pean de la Coullardiere*, in Pentateuchum et *Iob*, Parisiis 1680. Item *Laurentius a s. Francisca romana* O. S. Aug., cuius exstat *sacrum theatrum bibliorum*, in quo exponuntur commentaria literalia et moralia, Romae 1690. Item Benedictus *Laugeois* O. Cap., qui edidit L'Explication littérale et françoise de toute la Bible selon la méthode que N. S. a enseignée à ses Apôtres, Paris 1675-1682; etiam latine sub titulo: *Scientia universalis* s. Scr. Iis vero notior est Ludovicus Isaac le *Maistre de Sacy*: La sainte Bible en Latin et en François avec le sens propre et littéral, Paris 1682, et saepius v. g. 1789-1804. « Duos ille sensus complexus est literalem scil. et moralem seu spiritualem; in elucidatione vero sensus spiritualis potissimum laborat, hinc aedificationem magis spectat, difficultates leviori brachio attingit et originales textus ac varias interpretum opiniones ad calculum non revocat, gratiam ex se victricem tuetur » (*Calmet*, Bibl. s.; *Hurter* l. c. II, 418 et seq.).

Universam quoque Scripturam locuplete compendio explicavit Caspar *Kuemmet* S. I., Moguntiae 1706; ita etiam Ludovicus *Carrières* congr. Orat., Parisiis 1701-1717, sed breviter omnino; commentarius utilis censebatur, unde saepius est recusus (cf. *Hurter* l. c. II, 753). Hos

tamen longe superat merito et celebritate Augustinus *Calmet* O. S. Ben. Commentaire literal... Parisiis 1724 et seq. — latine reddidit Ioan. Dominicus *Mansi : Commentarius literalis in omnes libros...* Wirceburgi 1789. Is sedulo etiam hodie consulendus est, methodum sequitur claram et sanam; versiones veteres aliorumque expositiones breviter ac lucide recenset, diiudicat, contextui inhaeret, notis historicis et archaeologicis sensum elucidare studet. [1] — Inter alia plurima, quae vastum illud sed nimis singulare ingenium, Ioannes *Hardouin* S. I. « hominum paradoxotatos », suscepit, etiam Iobo curas impendit; edidit enim *le livre de Job paraphrasé avec des remarques*, Parisiis 1729. Opinionum singularitatem etiam hic consectatur; tuetur enim Iobum floruisse circa an. 770 a. Chr. et esse auctorem partis dramaticae libri a 3, 3-42, 7; sed Ezechielem librum redegisse et reliqua adiecisse (cf. *Hurter* l. c. II, 1106). Eodem ferme tempore Iacobus Iosephus *Duguet* scripsit *Explication du livre de Job*, Parisiis 1732; aliqua ex eius placitis leguntur in *Cursu completo* ed. Migne. Laudantur viri opera a stili elegantia, sed deest debita accuratio; in commentariis sensum quidem literalem non plane negligit, sed praecipue sensum typicum prosequitur, harmoniam inter V. et N. T. illustrat, ingenio tamen suo saepe indulget (cf. *Hurter* l. c. II, 1039).

Ex aliis Bibliorum versionibus cum notis et explanationibus nominasse sufficiat : opus, quod *Bible de Vence* vocatur; Germ. *Cartier*, Constantiae 1763, 1770; Ignatius *Weitenauer* (Augustae Vind. 1779-1781); Henricus *Braun* (Augustae Vind. 1789-1797); Eugenius de *Genoud* (Parisiis, Lugduni 1821-24); Thaddaeus Antonius *Dereser* (Francof. 1805); Antonius *Martini* (Florentiae 1852); Ios. Fr. *Allioli* (Landshut et München, saepius); *Loch et Reischl* (Ratisbonae 1851, 1867).

Ex recentiore tempore hi commentarii notandi sunt : Il divino libro di Giobbe, esposto in lezioni teologico-critico-morali dal P. Rosario *Parisi* d. C. d. G. Palermo 1843; Das Buch Job, übersetzt und erklärt von Dr. B. *Welte* (*W.*); Freiburg i. Br. 1849; qui commentarius excellentissimus est; praebet elegantem versionem ex hebraeo, accurate in dictionum hebr. formam et sensum inquirit, nexum et progressum cogitationum lucide exponit. Neque omittenda metrica versio : Das Buch Job. In gereimtem Versmaasse übersetzt von Heinrich *Hayd;* München 1859. Versio est elegans et fidelis; notae adduntur breves, utiles. Versio quoque elegans praebetur simul cum perspicuo rerum

1. Multis eum laudat *Diestel* : « Durch eine Fülle trefflicher historischer Bemerkungen, durch unbefangene Kritik der patristischen Exegese, durch besonnene Rücksichtnahme auf alte Versionen, durch Verschmähung der mystischen Allegorie entschädigter für manche Deutungen (wie bei Gen. 3, 15), und bleibt einer der ausgezeichnetsten und klarsten katholischen Exegeten ». Geschichte des A. T. in der christl. Kirche p. 441.

argumento et notis eruditis in opere, quod ex scriptis a *Le Hir* viro doctissimo relictis edidit M. Grandvaux : Le livre de Job, traduction sur l'Hébreu et commentaire, Parisiis 1873. Das Buch Job übersetztund erklært von Dr. Hermann *Zschokke* (*Zsch.*) ; Wien 1875. Commentarius est perspicuus, laude dignus; proh dolor, Iobi mores auctor nimium exegesi protestantium confisus iniquius describit eiusque querelas desperationem et Dei iniusti ac crudelis accusationem spirare vult [1]. Hoc si ex libro demas, commentarius commendatione valde est dignus. Breves sunt sed succulentae et explanationi valde proficuae notae, quas I. *Pierik* (*P.*) S. I. edidit in libro : Het Boek Job. Naar 't Hebreeuwsch letterlijk vertaald ter vergelijking met de Vulgata. Gulpen 1881.

Demum nominandus est Dr. Gustavus *Bickell* (*B.*), qui nuper edidit *Carmina Veteris Testamenti metrice;* Oeniponte 1882 ; notas adiecit criticas, aliquas etiam explanatorias ad librum Iob; verum in textu mutando quandoque audacior est.

Iam ex castris *protestantium* omnes Iobi commentatores enumerare, non est in animo. Illos recensitos reperies apud *Rosenmüller* (de quo statim), *Keil*, Einl. in d. A. T. §. 120; *Schrader* (de Wette, 8. ed.)Lehrbuch d. Einl. p. 544. Aliquos tantum adscribere placet : Ioh. Christ. Frid. *Schulzii* Scholia in V. T. continuata a G. Laur. Bauer; vol. 6. librum Iobi complectens, Norimbergae 1792. Ern. Frid. C. *Rosenmülleri* (*Ros.*) Scholia in V. T.; editio secunda auctior et emendatior, Lipsiae 1824. *Hiob*, erklært von Ludwig *Hirzel* (*Hirz.*), zweite Auflage, durchgesehen von Dr. Justus Olshausen, Leipzig 1852. Biblischer Commentar... das Buch Job, von Franz *Delitzsch* (*Del.*), Leipzig 1864. Das Buch Hiob, übersetzt und ausgelegt von Dr. Ferd. *Hitzig* (*Hitz.*), Leipzig und Heidelberg 1874.

V. — Quale genus interpretationis sequendum sit.

Hanc quaestionem paucis attingimus, quia veteres Iobi interpretes in expositione *morali* et *allegorica* tantum operis et laboris posuerunt.

Secundum sana interpretationis catholicae principia exsistit in s. Scriptura sensus *literalis* et *mysticus*. Sensus prior ei est communis cum omni libro, alter ei est proprius et quam maxime Deum s. librorum *auctorem primarium* indicat. Nam ut S. Thomas optime dicit :

---

1. Melius de eadem re idem auctor iudicat Iobique mores verius describit in opere praeclaro : Historia sacra antiqui Testamenti; secunda editio; p. 224 et seq. (Vindobonae 1884).

« auctor enim rerum non solum potest verba accommodare ad aliquid significandum, sed et res potest disponere in figuram alterius » et « sicut enim homo potest adhibere ad aliquid significandum aliquas voces vel aliquas similitudines fictas, ita Deus adhibet ad significationem aliquorum ipsum cursum rerum suae providentiae subiectarum » (Quodlibet. VII, qu. 6, art. 14, 16). Sensus vero mysticus in eo consistit, ut *res* et *personae* veteris foederis ex Dei consilio novum foedus et varia in hoc foedere respiciant, adumbrent, praefigurent. Ad hunc sensum inveniendum interpretes catholici hoc generale statuunt principium : sensum mysticum in iis omnibus et solis V. T. locis admittendum esse, ubi sufficienter constat de intentione S. Spiritus quasdam *res* vel *personas* destinantis ad alias res vel personas significandas (cf. Ub. *Ubaldi*, Introductio in s. Script. vol. III, p. 20, 96). Ex qua re simul patet, minime omnibus locis talem sensum subesse; verum studium istud ubique sensum mysticum quaerendi id tantum efficere, ut (verbis utor cl. Ubaldi, professoris Romani in Seminario pontificio) Scripturae expositio inepta reddatur et pene ridicula; « si enim interpreti semel persuasum fuerit sub omnibus vel plerisque Scripturae locis latere sensum aliquem mysticum, cum reipsa in magna locorum parte nullum huiusmodi sensus vestigium occurrat, ingenium suum torquebit, similitudines longe petitas captabit, imaginationis vires contendet, ut aliquid huiusmodi proferat, atque ita demum interpretationes in medium adducet violentas » (l. c. p. 94). Praeterea ex notione sensus mystici elucet, inter figuram et figuratum talem habitudinem esse debere, ut illa longe inferior sit isto et veluti umbra cum corpore solido comparata, aut imago cum eo quod per illam repraesentatur (cf. *Ubaldi* l. c. 117).

Hisce ad Iobi libri explicationem applicatis facile quis admittet, in ipso Iobo, quem Satanas princeps huius mundi ad tentationem expetit, qui tamen cum Satana congressus insignem de eo victoriam in ipsa afflictione reportat, cerni figuram quandam et adumbrationem Christi. Innocens Iobus affligitur; Satanas enim, qui perpetuas inimicitias cum Deo Deique cultoribus exercet, eum oppugnat; est haec oppugnatio pars quaedam ex pugna illa Satanae contra Deum, quae a primordiis creati hominis usque ad mundi consummationem conseritur; sed simul Iobi victoria est prolusio quaedam et umbra illius victoriae, quam Christus reportaturus est, et quam in Christo et per Christum omnes iusti reportant. Iam haec victoria sine vulnere non consistit. Deus enim huius certaminis agonotheta hanc statuit normam : « inimicitias ponam inter te et mulierem, inter semen tuum et semen illius; hoc (semen) conteret tibi caput et tu conteres ei calcaneum » (Gen. 3, 15 secundum hebr.), i. e. adest pugna inter hominem et serpentem; serpentis caput

conteritur i. e. serpens vincitur, sed dum vincitur, ipse victor non sine vulnere, non sine labore et dolore a diabolo inflicto victoriam reportat. Christus est homo ille eximius qui serpentis caput contrivit sui corporis crudeli laceratione victoriam acquirens; ad passionem subeundam se accingens, *nunc*, inquit, *princeps huius mundi eiicietur foras*. Quare etiam Iobo victoria non sine vulnere constitit, quare in universum quotquot semen illud Dei in se suscipiunt et tamquam filii Dei Christum induti ad arenam illam descendunt, non sine vulnere et labore victores evadunt. Est praeterea constans SS. Patrum assertio, Christi figuram ac typum in Iobo exprimi [1] (cf. *An. M.* 17, 471; *Phil.* t. 26, 623; *S. Greg.* t. 75, 953; *S. Zeno* l. 2, tr. 15; t. 11, 441; *S. Isidorus* allegor. n. 53; in libr. V. et. N. Test. n. 31; t. 83, 108. 163; *Rhabanus Maurus* de universo l. 5 cp. 3; t. 111, 112; etc.).

An vero praeterea in Iobi libro alia ratio typica in ulla re vel persona deprehendi iure possit, valde dubito. Neque enim pro alio typo notio ac definitio typi sensusque mystici adesse et exprimi invenitur, neque concors et constans SS. Patrum consensus exstitisse reperitur, verum in reliquis omnibus studium tantum cernitur, quo pro suo quisque ingenio *allegorias* captat sensumque literalem *improprio, translato, accommodato* modo ad alia vitae christianae praecepta vel religionis documenta transfert. Haec autem quantopere *interpretationis* limites et officium praetergrediantur, non opus est pluribus prosequi. Rem hanc paucis exemplis illustrabimus.

Septem Iobi filios *Phil.* explicat intelligi septiformem Spiritus S. gratiam; tres filias legem, prophetiam, Evangelium; *Glossa ordinaria* vero cernit in filiabus tres virtutes theologicas; *Lyranus* fidem SS. Tri-

---

1. In quibus et quam multipliciter haec typica ratio cerni possit, accipe ex *Tir.* (ad 42, 14) : « coronidis loco breviter ex ante dictis contraham hic in unum, quibus in rebus Iob figura et typus fuerit Christi : 1° Iob rex fuit Idumaeae; Christus rex coeli et terrae; 2° Iob excidit omnibus bonis et opibus suis; Christus omnibus etiam vestibus exutus nudus pependit in cruce; 3° Iob filiis simul omnibus et filiabus una hora privatus fuit; Christum captum omnes eius Apostoli deseruerunt; 4° Iob omnes pene morborum et dolorum species sustinuit, ulcerosus a capite usque ad talos; Christo totum corpus flagris concisum fuit et omnia membra doloribus acerbissimis excruciata; 5° Iob in animo sensit ingentem maerorem, taedium, anxietates; Christus in horto coepit pavere, taedere; 6° Iob ab amicis quoque, imo et a propria uxore gravia probra sustinuit, dictus impius, etc.; Christus a principibus sacerdotum et magistratibus, adeoque tota synagoga audivit blasphemus, impostor, etc.; 7° in Iobo vexando et affligendo daemon laxatis sibi a Deo habenis omnes suas vires exseruit; sed multo magis in Christum; 8° Iob queritur se ab omnibus, etiam intimis amicis derelictum; Christus etiam ad Patrem suum coelestem exclamat : *ut quid dereliquisti me?* 9° Iob omnia haec mala sustinuit incredibili patientia, humilitate, constantia, sed exclusa morte; Christus usque ad mortem inclusam, mortem autem crucis; 10° Iobo reddita omnia duplicia; Christo autem centuplicia ». Addi potest et debet tentatio daemonis eiusque clades. — Alia *P.* ad cp. 16 prosequitur.

nitatis, dum in septem filiis *universitatem* discipulorum signari vult potentium bene operari et docere, in filiabus autem significari censet personas non potentes gignere filios verbo praedicationis et doctrinae, potentes tamen concipere conceptus devotionis per verbum praedicationis. *S. Greg.* in filiis Apostolos, in filiabus tres ordines fidelium, pastorum scil., continentium, coniugatorum accipi vult. *S. Bruno* vero scribit : « sed quid tres filiae, nisi tres mundi partes intelliguntur, in quibus Ecclesia tota consistit; Asia videlicet, Africa et Europa »?

In tribus amicis Iobi *S. Ephraem* figuram esse docet pontificum, sacerdotum, prophetarum populi; *S. Greg.* vero figuram haereticorum, qui sub specie consulendi agunt negotium seducendi (sim. *Phil. Br. Rup.*); ita *allegorice; moraliter* vero in iis cernit *vitia*, quae virtutum faciem sumunt, sed hostili invectione nos feriunt (sim. *Rup.*). Sed *Lyranus* per illos intelligi vult eos qui amicis afflictis vere compatiuntur; dum *Duguet* eos esse contendit Iudaeorum figuram, « qui ne comprirent rien non plus que les princes du siècle et les démons, dans la profonde sagesse de Dieu cachée dans le mystère de la croix de son fils ».

Cap. 39, 5-9 legitur onagri descriptio. Iam in *mystica* onagri explanatione *S. Ephraem* diabolum deprehendit et malos, qui sicut Cain dicant : *eamus foras; S. Aug.* vero scribit : « mirum nisi eos per onagrum significat, qui pauci ab omni negotio liberi Deo serviunt »; hoc etiam *S. Greg.* approbat; « non incongrue vitam eorum significat, qui remoti a turbis popularibus conversantur »; imo postmodum in *allegorico* sensu scribit : « nec indignum quis iudicet, per tale animal incarnatum Dominum posse figurari » et totam onagri descriptionem de Christo explicat. *Lyranus* in onagro cernit « contemplativum a servitute carnis liberum effectum ». *S. Aug.* leaenam (38, 39) intelligit diabolum; *S. Greg.* vero Ecclesiam; corvos (38, 41) *S. Aug.* peccatores nigros figurare dicit; *S. Greg.* vero gentiles, Iudaeos, imo et praedicatores. In struthione (39, 13) *S. Greg.* hypocritam figurari dicit (idem *Glossa ord. Br. Rup. Lyranus*), et iterum synagogam; hanc etiam *S. Ephraem* agnoscit; *Phil.* vero Ecclesiam exprimi cernit « secundum spiritualem intelligentiam sensusque divinos »; *S. Aug.* eos, qui temporalem felicitatem fortiter contemnunt, quia veram illam aeternam desiderant. Vel si de *mystica* quam vocant accipitris (39, 26) significatione inquirimus, *S. Ephraem* in ave ea videt diabolum; *S. Aug.* autem et *Phil.* hominem novum et sanctum; *S. Greg.* : « quid est ergo accipitrem in austro plumescere, nisi quod unusquisque sanctorum tactus flatu S. Spiritus concalescit »? *Rup.* gentilitatem renovatam designari vult, *Lyranus* vero poenitentem. Ita aquilam (39, 27) plerique in bonam partem interpretantur de animis coelesti desiderio elevatis (*S. Aug.*), vel

de subtili sanctorum intelligentia et de volatu dominicae ascensionis (*S. Greg.*), vel de Christo (*S. Ephraem*); *Phil.* vero confidenter scribit : « aliquando in bonam partem aquila dicitur... hic vero a Deo potestas adversaria aquila dicitur, quae ex permissu Dei elata in superbiam multum possit » et totum locum, quem alii de Christo et de sanctis explicant, de diaboli descriptione nos docere contendit.

Hisce exemplis satis elucet, quam incerta res sit haec mystica vel allegorica et moralis explicatio. Negari autem non potest, si *mystici* sensus notionem et definitionem tenemus, talem exponendi modum ad eum minime pertinere; eum non esse *literalem*, luce clarius est; igitur non relinquitur, nisi ut ad accommodatum quem vocant sensum eum ablegemus. Iam nemo mirabitur, nos in interpretatione sensum accommodatum penitus negligendum esse censere.

LIBER IOB

PROLOGUS

(Cap. 1 et 2.)

Arg. — Describitur Iobi probitas et prospera fortunae et familiae conditio (1, 1-5). Cuius sincera pietas cum a diabolo in dubium vocetur, Deus illam tentatione probari permittit (1, 6-12); quare uno die non solum omnibus fortunis, verum etiam ipsis liberis spoliatur. Manet tamen firmus et constans in pietate (1, 13-22). Quod cum diabolus iterum simulatae pietatis specie fieri calumniaretur, ne scil. gravius quid ei infligeretur et ipse in vitae (quod homini est carissimum) discrimen adduceretur, novo probationis genere i. e. morbo teterrimo atque molestissimo Iobi pietas sincera exercetur, quam contra ipsius uxoris prava consilia egregie tuetur (2, 1-10). Conveniunt ad eum solatio erigendum tres eius amici, attamen cruciatu Iobi vehementissimo perspecto stupore perculsi inter maxima tristitiae signa tacent (2, 11-13).

a) Iobi eiusque familiae conditio 1, 1-5.

Dilucide et quae in hac parte contineantur et quo tendant, *Ol.* explanat : « in prima hac parte iusti nomen ac regionem Scriptura indicat ac primum auditorem praemuniens, animi eius pulchritudinem describit, ut iuxta illam viri existimationem in nulla re perturbatus sed firmiter de eius iustitia sibi persuadens et quae ab eo dicuntur audiat; addit deinde, quemadmodum et multa et praeclara sobole ornatus fuerit et bonis omnibus quae homines felices reddunt, affluxerit. Docet praeterea filiorum eius concordiam et fraternam caritatem, patris item curam et numinis divini cultum, quantaque cum sollicitudine quae sibi erant carissima educarit, omnem scil. providentiam adhibendo, et quae ab illis per cogitationem et contra voluntatem peccata committebantur, sacrificiis et precibus ad Deum expiando ».

v. 1 « *Vir erat in terra Hus nomine Iob* » ; — non desunt, qui iam peculiarem quandam emphasim dicendi in nomine viri quaerant. *Chrys.* : « primo loco *naturam* ostendit, ut institutum eius mirere, qui cum natura unus e multis esset, virtute tamen multis antecelluit : quod naturae commune fuit dixit, ut quod propositi peculiare esset, indicaret ; quia qui eiusdem naturae cum ceteris particeps fuit, quae natura atque homine maiora erant, gessit ». Aliis hoc nomine virtutem animi ac robur designari placet, ita ut statim ab exordio Iobi animus fortis ac generosus commendetur (ita *An. exp. in. Thom. Cord. Cod.*). *Pin.* demum titulum honoris ac dignitatis interpretatur, quo Iobus « supremus illius regionis magistratus, dux vel rex » dicatur. Iobum magna quadam auctoritate, quam facile dixeris regiam, floruisse, nemo negabit (cf. 3, 14 ; 19, 9 ; 22, 8 ; 29, 7. Tob. 2, 13) ; at id simplici hoc exordio indicari, quis crediderit ?

Ubinam Hus regio sita fuerit, non constat inter omnes. Ut certa ab incertis secernamus, notandum 1° Iobum connumerari 1, 3 inter בְּנֵי קֶדֶם, filios orientis, quo nomine potissimum Arabes dicuntur ; 2° regionem ita collocari, ut facile et latrones *Chaldaei* et *Sabaei*, quos Arabiam septentrionalem incoluisse ferunt (cf. *W. Zsch. Del.*, irruere potuerint. LXX regionem hanc עוּץ ἐν χώρᾳ τῇ Αὐσίτιδι [1] transtulerunt, et in additamento quodam ad calcem libri ἐπὶ τοῖς ὁρίοις τῆς Ἰδουμαίας καὶ Ἀραβίας haec regio fuisse perhibetur. Distinctius *S. Ephraem* regionem *Basan* indicat et eam fere partem, quae tribui Manasse trans Iordanem assignata fuerat, quae sententia etiam *Pin.* placuit. *Bark.* in scholiis suis isto nomine omnem terram ab introitu Aegypti usque ad Damascum comprehendi censet. Neque recentiores in unam conspirant sententiam. Sufficiat dixisse, insigni commentatione hanc quaestionem prosecutum esse *Wetzstein* (legitur ad calcem commentarii a *Del.* adornati, qui applaudente *Del.* Iobi patriam traditionis antiquissimae vestigia diligenter relegens ibi fuisse contendit, ubi usque ad nostros dies monasterium quod Iobi vocatur visitur, i. e. in Hauran in regione Nukra prope Nawâ [2]. Alii aliquantum magis ad orientem versus in regionem quam El Tellul appellant, i. e. ad orientalem plagam montium Hauran nostrae historiae scenam esse amandandam opinantur (cf. quas rationes exponat *Fries* in periodico Studien und Kritiken 1854, p. 300 et s.).

Quid patriae mentio ad Iobi laudem conferat, audi *S. Greg.* : « ideirco

---

1. Ita quoque interpres *vulg.* Ier. 25, 20 *cunctis regibus terrae Ausitidis ;* ex quo loco, uti etiam ex Lam. 4, 21 aliqui coniiciunt, terram Hus prope fines Aegyptiacos et Edom sitam fuisse, sed immerito prorsus.

2. Haec sententia non adeo longe recedit ab illa, quam *S. Ephraem* et *Pin.* propugnant. Nam sors tribus Manasse extendebatur in magnam partem eius regionis quam hodie Hauran vocant ; cf. *Winer* s. v. Manasse. Alii fallaci quadam sonus similitudine allecti vallem prope Damascum amoenissimam *al-Gutha* assignarunt ; cf, *Schulz*, scholia in V. T. t. 6 p. 4. *Ros.* Proleg. in Iobum p. 29. At obstat iam nomen בְּנֵי קֶדֶם.

sanctus vir ubi habitaverit dicitur, ut eius meritum virtutis exprimatur. Hus namque quis nesciat quod sit terra gentilium? Dicatur itaque, ubi habitaverit, ut hoc eius laudibus proficiat, quod bonus inter malos fuit... immensi est praeconii, bonum etiam inter malos exstitisse » (similia apud *Ol. Am. Rup. Br. Cord. Vav.*). Neque omittendum est, quod adnotat *S. Thom.*, patriam addi et nomen « ad firmandum hoc quod dicitur non esse parabolam ».

Quae de nominis *Iobi* significatione et etymologia traduntur, et varia sunt et prorsus incerta. Veteribus (*exp. in. Phil. Greg.* — alios vide apud *Pin.*) multum ex ipsa re gesta probata est explicatio *dolentis;* ex interpretatione enim graeca familiare erat Iobum eundem censere ac *Iobab*. Iobab autem non sine quadam specie facile ad verbum יבב Iud. 5, 28 *anxie vociferari, ululare* referri poterat. *Barh. amicum, dilectum, familiarem* interpretatur, forte איב et אהב inter se commutans. Recentiores vero duas potissimum ineunt vias : alteram, ut ab hebr. איב *infensus fuit, odio habuit* derivantes significatu passivo ex analogia formarum יולד *natus*, שכור *ebrius, inebriatus* et formationum in nominibus propriis saepius occurrentium v. g. הנם, צפור significationem *hostiliter habiti, tractati* voci subiiciant; alteram, ut ex voce arabica אוב *reverti, resipiscere* nominis vim eruant i. e. qui denuo redit, convertitur ad Deum vel resipiscit. Atque hoc ultimum ex ipso hebr. aliqui colligi posse opinantur. Advertentes enim, eundem virum, qui Gen. 46, 13 dicatur יוב, efferri Num. 26, 24 ישוב, eodemque modo ut *legatur* a Masora praecipi 1 Chron. 7, 1 (cum ibidem parva inflexione *scribatur* וישיב), radicem statuunt יוב eiusdem significationis atque שוב i. e. reverti, converti, nomenque איוב Alef fixo prosthetico formatum ex hac radice derivandum censent (cf. *Cord. Ros. Hirz. Ges.* Thes. ling. hebr. *Fürst, Del.*). Attamen haec ultima etymologia et audacius est conficta et quod praecipuum est longe a veritate abhorret, cum certissimum sit Iobum non a veri rectique tramite ita excidisse, ut resipiscentia et ad Deum conversione opus fuerit. Quare haec nominis explicatio non e rei veritate est enata, sed potius arte quadam videtur esse excogitata, ut opinioni illi recentiorum quorundam de Iobi lapsu nescio quid splendoris vel auctoritatis ex ipso nomine concilietur [1]. Magis ad veritatem accedit prior illa, praecipue si de Iobo a Satana hostiliter tractato intelligatur; quam in rem apte *Pin.* notat : « mihi magis arridet illa interpretatio Origenis hom. 14 in cap. 11 Iosue, quod Iobab (Iob) idem sit quod inimicitiae... quasi qui daemonis tum etiam suorum quondam amicorum graves adversus se inimicitias sustinuerit ».

Nihilominus ego assentior *Calmeto*, qui sentit in eiusmodi indagatione non opus esse, ut quis adeo diligentem se exhibeat. Nam cum cetera huius historiae nomina propria sine peculiari quadam et quasi ad rem facta notione et etymologia efformata esse planum sit, cur in uno Iobi nomine scriptorem sacrum nescio quid mysterii abscondere voluisse opinaremur? Retulit nomen, quale ex rei veritate ferebatur; habuit Iobus, antequam probationi subiiceretur, ut Scripturae plana

1. Neque quisquam iure allegabit id quod in Alcorano legitur Sur. 38, 44, ubi Iobi historia mythis aspersa in haec desinit verba : « euge servum quippe erat *resipiscens* », vel ut alii (cf. *Hitz.*) vocem explicant : « addictus Deo » i. e. vir religiosus (awabon), quo verbo ad vocis etymon allusi aliqui statuerunt. Idem enim in eodem Alcorani loco etiam de aliis, de Davide, de Salomone praedicatur; dein quem sanae mentis talis verborum lusus in Alcorano movebit? Neque si apud Arabas haec esset nominis vis, continuo sequeretur, eandem omnino nostro heroi esse tribuendam.

narratione proditur; illud autem prophetico modo ei fuisse inditum tamquam futuri tentaminis omen et praesagium, *otiosam* dico coniecturam, cum in re sacra nihil ex mero arbitratu asseri liceat. Unde praestat fateri nos huius et ceterorum nominum, quae in hoc libro offeruntur, significationem ignorare.

« *Et erat vir ille simplex et rectus ac timens Deum et recedens a malo* »; — assignata patria et nomine viri virtutum laudes celebrantur[1]. Atque primo praedicatur תָּם i. e. *perfectus*, *integer*, LXX ἄμεμπτος, *Sym.* ἄμωμος, quae virtutis summa suas quasi in partes dividitur et ex quo fonte manaverit, indicatur sequentibus attributis : *rectus* יָשָׁר qui rectam viam teneat, normam veri iustique sine ulla obliqua deviatione prosequatur et in se exhibeat speciem iustitiae morumque probitatis; haec autem rectitudo cui fundamento fuerit innixa, explicat tertium encomium *timens Deum* i. e. Deum sacra reverentia (*S. Thom.*) et inviolata fide prosequens, Dei cultor (*An.*), illo scil. timore imbutus, qui sit principium sapientiae (Prov. 1, 7; 9, 10), disciplina sapientiae (Prov. 15. 33), corona sapientiae (Eccli. 1, 22), initium dilectionis, paradisus benedictionis (Eccli. 25, 16; 40, 28), cuius insignes laudes celebrantur Eccli. 1, 11 seq. Cum totius religionis fundamentum et radix in humili agnitione maiestatis divinae consistat, facile patet, cur in s. literis totius pietatis religionisque munus nomine timoris Dei comprehendatur. Qui vero Deum ubique praesentem et animorum scrutatorem reveretur, ille erit *recedens a malo* i. e. toto animo conatuque suo ab innata se seducens ac retrahens mali cupiditate, ita ut non tantum manus et opera a flagitio cohibeat, sed intimum etiam horum fomitem. animum, cogitationes, desideria compescat. — Ita verbis pauculis s. auctor *perfecti* viri speciem ac formam omnemque officii et in Deum et in homines rationem descripsit et simul legentium animos ad talis viri admirationem inducens optimum suae historiae exordium condidit.

Nexum cum sequentibus ita proponit *Cord.* : « postquam scriptor sacer illustres eius animi dotes brevi hoc elogio complexus esset, corporis exinde bona prosequitur; inter quae cum primas semper obtinuerit felix et fecunda liberorum procreatio, quae inter veteris Testamenti benedictiones haud minima habebatur, subiungit » : v. 2 « *natique sunt ei septem filii et tres filiae* »; — copiosa enim proles, ut bene advertit

1. Cur ita fiat, haud incongrue delineat *S. Greg.* : « mos vero esse narrantium solet, ut cum palaestrae certamen insinuant, prius luctantium membra describant... ut cum prius aptos certamini artus ostenderint, tunc demum magnae fortitudinis ictus narrent. Quia ergo athleta noster contra diabolum fuerat certaturus, quasi ante arenae spectaculum sacrae historiae scriptor in athleta hoc spiritales virtutes enumerans mentis membra describit ».

S. Chrys., ut virtutis praemium olim a Deo concedebatur et generatim veteres sobolem numerosam loco beneficii praecipui a propitio Deo concessi habere solebant; cf. Lev. 26, 9. Deut. 28, 4. 11. Ps. 111, 2; 127, 3. Eccli. 44, 11. Cur vero in maiore *filiorum* numero maior quoque Dei favor Iobo exhibitus agnoscendus sit, *S. Thom.* prosequitur : « quia parentes affectare solent magis filios quam filias, tum quia id quod perfectius est, desiderabilius est, tum quia in auxilium rerum gerendarum solent esse parentibus magis potentes nati quam natae ». Addi potest, in filiis potissimum id residere, quod veteribus erat optatissimum, generis ac nominis propagationem.

Numeros ipsos et septenarium filiorum et filiarum ternarium sacrum quiddam prae se ferre, et veteres (cf. *Pin. Cord.*) agnoverunt, et recentiores (*W. Zsch. Del.*) non diffitentur, etsi non una sit omnium explicandi ratio. Profert inter alia *Cord.* hunc ex catena Didymi locum : « quis ignorat numerum septem esse septem charismatum indicem, sicut trium appellatio ad id quod est perfectius atque divinius referri solet »; alia vide apud *Did. An.* c. 382 etc. *Greg.* c. 534.544, et in *exp. in.* — Alii numerum ternarium interpretantes symbolum numinis, quaternarium rerum creatarum, septenarium utpote utriusque coniunctionem tamquam symbolum perfectionis et sanctitatis a numine rebus impressae, expressam ibi cernunt et Iobi sacram quandam dignitatem eiusque pietatem et singularem Dei gratiam (cf. *Bæhr*, Symbolik des mos. Cultus I, p. 138, 187).

Adiungit s. auctor alteram bonorum temporalium benedictionem, quae in veteri quoque Testamento maximi fiebat et propitii numinis argumentum credebatur, quaeque tunc temporis in agrorum possessione et in pecorum armentorumque copiosa multitudine potissimum consistebat (*Cord.*). v. 3 « *et fuit possessio eius septem millia ovium* » —etc., enumerationis ordinem recenset *S. Thom.* : inter animalia primo ponuntur ea quae maxime deserviunt ad victum et vestitum (7 *millia ovium*), dein quae maxime deserviunt ad onera deferenda (3 *millia camelorum*), tum ea quae deserviunt ad culturam agrorum (500 *iuga boum*), tum quibus homines ad vecturam utuntur[1] (500 *asinae*); cf. Gen. 22, 3. Ex. 4, 20. Num. 22, 23. Iud. 5, 10. 4 Reg. 4, 24 etc. « Et quia (verba sunt *S. Thom.*) homines multas divitias possidentes ad eas gubernandas multitudine indigent famulorum, convenienter subditur : *ac familia multa nimis* ».

---

1. Asinas propter lac in itineribus illis per vasta deserta cumprimis usui esse et commodo, adnotant; cf. *Ros.* Das alte und neue Morgenland t. 3 p. 319. — Notum est praeterea, asinos etiam oneribus ferendis potissimum inservire cf. Gen. 42, 26. 1. Reg. 25, 18. Neh. 13, 15 etc. Etiam hodiedum camelorum copia inter Beduinos nomades maximi fit, ita ut pauper habeatur, qui 40 tantum camelos possideat; cf. *Hirz.* p. 12.

Ita quoque vox hebr. עֲבֻדָּה de famulitio, de servorum familia est interpretanda, uti iam veteres versiones docent; *Aquila* enim, uti monet *Ol.*, δουλεία, *Sym.* vero οἰκετία transtulit. Quod *Chald.* habet פּוּלְחָנָא idem exprimit, servitium scil. vel ministerium (cf. Esr. 7, 19); perperam voci hebr. et chald. *Cod.* aliique pauci notionem *agricolationis, operis rustici* adscribunt. Graeca versio h. l. utramque interpretationem exhibet καὶ ὑπηρεσία πολλὴ σφόδρα (hanc obelo notari ὠβέλισται advertit *Chrys.*) καὶ ἔργα μεγάλα ἦν αὐτῷ ἐπὶ τῆς γῆς, quamvis in uno loco Gen. 26, 14, in quo vox עבדה invenitur, γεωργία (עֲדָדָה?) legatur. Attamen interpretationem S. Hier. et veteres fere omnes et recentiores uno consensu approbant ac tuentur.

« *Eratque vir ille magnus inter omnes orientales* » ; — varie vocem *magnus* explicant, vel nobilis, clarus, illustris, de generis claritudine et nobili prosapia (ita LXX εὐγενής), vel de famae nominisque celebritate et gloria (*Ephr. Chrys. Thom.*), qua late per orientales plagas florebat, vel quod huic intime nexum est, de honore ac reverentia quae ipsi ab omnibus et prae omnibus exhibebatur, vel speciatim de sapientiae laude ; attamen cum de hisce nihil in antecedentibus innuatur, illud videtur commodissimum, ut verbis utar *Pin.*, ut ad divitias referatur et possessiones amplissimas; namque verbis simillimis vel potius iisdem locupletissimus Isaak et dives Nabal describuntur (Gen. 26, 13. 1 Reg. 25, 2); ita quoque *Greg.* (divitibus ditior) *W. Zsch.*; dum *Cord.* (neque abnuit *Pin.*) hanc vocem quam amplissime sumi optimum censeat, ita ut simul omnes recensitas magnitudinis formas complectatur. Sed aptius et arctius ad contextum est, quod *Vat.* affert, referri et ad possessionis amplitudinem et dici, quia cum opibus polleret ac floreret liberis, nihilominus pietatem, iustitiam, ceteras virtutes, sincere atque ex animo coleret; de his enim duobus sermo est in antecedentibus. *Inter omnes* notus est Hebraismus; bene sensum expressit *Sym.* μέγιστος πάντων τῶν ἀνατολικῶν (*Chrys.*), vel ditior, maior omnibus; *orientales* בְּנֵי קֶדֶם filii orientis, illi potissimum dicuntur, qui Gen. 25, 13-16 collato v. 6 recensentur (*W.*), et generatim qui *Arabiam* (et desertam et petraeam et felicem) tractusque terrae usque ad Euphraten incolunt; immo Mesopotamiam terram קֶדֶם dici elucet ex Gen. 29, 1. Num. 23, 7. — Apte monet *Ol.* cerni in Iobi exemplo, divitias posse coniungi cum summa virtute. Et *S. Greg.* has opes recenseri dicit, ut ostendatur, quantae virtutis exstiterit, cum haec omnia patienter amiserit. « Scimus enim, quia ad maiorem dolorem mentem commovent damna maiora... et quae sine dolore perdidit, constat quia sine amore possedit ».

---

1. *Cod.* provocat ad R. Kimchii auctoritatem, qui utique in lexico suo (ספר שרשים liber radicum) vocem illam *proventum terrae* explicat (תוצאות האדמה), cuius interpretationis etiam meminit *Vat.* — Studet illam *Cod.* etiam internis rationibus comprobare, attamen certe potius servitii ac familiae mentionem h. l. exspectaveris.

Apte sequentia adnectit *S. Thom.* : « ad maiorem ipsius Iob commendationem consequenter disciplina domus eius describitur, quae erat immunis ab illis vitiis, quae opulentia generari solent plerumque..., erat enim ibi concordia iucunda, caritas, aequa frugalitas ».

v. 4 « *Et ibant filii eius et faciebant convivium per domos, unusquisque in die suo, et mittentes vocabant sorores suas, ut comederent et biberent cum eis* » ; — *et ibant* Hebraismum verbi הָלַךְ bene explicat *Pin.* de consuetudine aut cursu nunquam intermisso in ea re, quam verbum subsequens significat. Erant haec convivia fraternae benevolentiae et concordiae opus, ut ait *Ol.*, simulque eorum laetitia prosperam Iobi fortunam delineat ; illa vero concordia et mutua sine invidia aut avaritia benevolentia fundabatur, ut bene observat *Cord.*, in omnimoda virtute filiorum Iobi, cum inter malos vanum sit stabilem concordiam et unanimitatem sperare. Iam quoties huiusmodi epulae instruebantur? vel quid sibi vult phrasis ex hebr. *in domo eius, cuius esset dies* vel *uniuscuiusque die suo? natalem* diem intelligunt *Cod. Vav. Ros. W. Zsch.* qui generatim aliorum interpretationem de conviviis singulis diebus habitis et per vices ab unoquoque fratrum instructis (*Chald.* [1] *Greg. Rup. Thom. Pin. Gord. Del. Hitz.* et probabiliter *Ol.* cum dicat ἐκ διαδοχῆς συνεκάλουν) nimiae intemperantiae accusant. At si singulis annis septem tantummodo celebrabantur convivia, qua ratione v. 5 Iobus dicitur sic fecisse i. e. eos expiasse, postquam in orbem transissent dies convivii, *cunctis diebus*, cum septies tantum in anno hostias et victimas pro illis obtulisset? Dein, si quisque *semel* in anno prandium reliquis apponeret, vix insigne quoddam concordiae et amoris documentum exsisteret, quod tamen hoc loco a scriptore sacro innui interpretes iure merito assumunt. Hoc sentientes aliqui tertiam statuunt sententiam, eamque mediam, scil. festis diebus, vel statuto die, vel saepius generatim per annum a singulis ordine suo convivia fuisse proposita (*Ephr. An. Cord. Vav. Men. Calm.*) ; sed quo iure? Verba textus adeo plana secundam omnino suadent sententiam de quotidianis epulis. Ita satisfit locutioni *et ibant*, qua consuetudo indefessa notatur ; ita continuum adest concordiae vinculum et indicium ; ita hebdomada quavis transacta Iobus sacrificia obtulit expiatoria, proin crebro per annum, id quod *sic faciebat cunctis diebus* omnino significat. Neque si alibi *dies* alicuius dicatur eius natalis (— allegant scil. Iob 3, 1 et Gen. 40, 20 ; sed ultimum hunc locum perperam, cum

1. In Polygl. Londin. ita habetur : unusquisque die suo, *donec complerentur dies septem* ; quae tamen ultima verba non in omnibus editionibus leguntur. — In veteri lat. versione legitur : faciebant convivium quotidie, donec eorum numerus impleretur ; sed tem uti apud *S. Aug.* habetur.

ibi addatur יוֹם הִלֶּדֶת —), continuo efficitur idem pro nostro loco. Sed urgent, quantopere dedeceant quotidianae istiusmodi comessationes. Respondendum est cum *Cord.* : « quasi vero fratres ac sorores eiusdem familiae quotidie simul vesci et pariter comedere ignominiosum sit, et non potius honorificum ac manifestum fraternae dilectionis indicium ». Annon ipsius naturae necessitas fert *quotidie* mensae accumbere? qui igitur Iobi filiis vitio verti potest, si singulis hebdomadis suo quisque die (ducto initio a primogenito; cf. ad v. 13) mensam pro omnibus apponeret?

v. 5 « *Cumque in orbem transissent dies convivii, mittebat ad eos Iob et sanctificabat illos, consurgensque diluculo offerebat holocausta pro singulis* ». — Septemdiali igitur conviviorum circulo peracto Iobus liberos ad spirituales quoque epulas, quibus animum reficerent, invitare solebat (*Cord.*), insigne edens documentum et suae in Deum pietatis et paternae sollicitudinis de vera liberorum salute; *mittebat* i. e. accersebat eos, ut octavo quoque die i. e. prima die hebdomadis, in qua convivii circulus a *primogenito* denuo *incipiebat* (de die dominica novi Testamenti facile incidit mentio, quasi Iobus huius diei sanctitati prolusisset; cf. *S. Greg.*), totam familiam sacro cultu et religione expiaret, ipse tamquam paterfamilias et sacerdos, ut mores ferebant ante legem mosaicam. *Sanctificationem* ex analogia rituum mosaicorum de sacris lotionibus et lustrationibus, quibus ad rem sacram praepararentur, plerique intelligunt; attamen cum tempora agantur et mores vel ante Moysen vel certe extra omnem legis leviticae ambitum, res est valde dubia; potest haec sanctificatio in ipsa expiatione per oblationem holocaustorum consistere, aliqua tamen praeparatione praemissa, ut usus constans fert etiam in gentilium sacris. Tempore quidem patriarchali eiusmodi praeparationem postulavit Iacob; Gen. 35, 2. 3. — Obtulit *pro singulis*, « ut victimarum numerum aequaret cum filiis; est enim in hebr. *pro numero omnium suorum* » *Vav.*

« *Dicebat enim, ne forte peccaverint filii mei et benedixerint Deo in cordibus suis. Sic faciebat Iob cunctis diebus* » ; — *ne forte... benedixerint* i. e. valedicere, usu transsumpto a consuetudine alicui bona apprecandi, cum in eo sis, ut ab eo discedas; ita monet *Cord.* et confert Gen. 47, 10; idem elucebit infra 2, 9. Nam quod aliis (*Est. Men. Tir. Le Hir*) placet, benedicere per antiphrasin et euphemismum dici pro maledictione et blasphemia in Deum prolata, durius certe est atque impium nimis. Quid enim habet probabilitatis, ut filii talis patris disciplina instituti iecerint in Deum maledicta et tantum scelus admiserint (*Vav.*), vel ut pater crimen tantum in suis suspicatus sit? Quare plerique interpretes

merito sensum mitigare studuerunt, idque varia ratione, v. g. supplentes negationis particulam i. e. ne non benedixerint, ne non oraverint, ne non gratias egerint Dei scil. obliti, dum hilarem in modum epularentur (*Mar. Vav.*) — vel sequentes versionem graecam μήποτε ἐν τῇ καρδίᾳ αὐτῶν κακὰ ἐνενόησαν πρὸς τὸν Θεόν eamque quam mitissime accipientes pro levi quadam cogitatione errabunda et ab honesto rectoque aliena (*Pin.*). Sed optime voci convenit *valedicere* i. e. seponere, parum curare, deflectere ab eius reverentia (*Ros.*), Domino detrahere (*Rup.*), eius oblivisci (*Del.*), cum quasi missum facere et ita oblivione et omissione eius cultum negligere, ab obsequio parumper discedere, reverentiae nuntium renuntiare *in cordibus* i. e. mente, cogitatione; ita verbum antecedens *ne peccaverint* magis per epexegesin determinatur et suis limitibus certoque sensu id circumscribitur, quod de se ambiguum est et latissime patet. Notat *Pin.* : « certus itaque Iob de honestate operum et verborum puritate et candore, de cogitationibus tantum filiorum erat sollicitus », et bene *Ol.* : « animadvertis exquisitum cultum evangelicum; cum enim sit in evangelicis iussis neque mente fornicandum esse neque temere irascendum, sanctus Iobus pro peccatis liberorum quae mente tantum conceperant, Deum hostiis placabat ».

Qua patris cura et pia sollicitudine optime absolvitur probitatis eius descriptio. Nam, ut ait *Cod.*, quod tam anxie procurarit peccata natorum si quae latebant, arguit quam severus censor et castigator fuerit eorum quae patebant. Denum id Iobus pie atque solerter obit, quod esse debet in curis praecipuis patris familias, ut scil. Deus religiose colatur a tota familia (cf. *S. Greg. Cod. Cord.*).

b) Satanae in Iobum livor 1, 6-12.

Bene hanc partem priori adnectit *Gord.* : « tantum defuit Iobo, ut probaretur virtus eius et probata vinceret ».

v. 6 « *Quadam autem die, cum venissent filii Dei, ut assisterent coram Domino, affuit inter eos etiam Satan* ». — Singula paucis sunt expendenda. Notat *S. Thom.* : « praemittitur, quomodo Deus de rebus humanis curam habeat et eas dispenset. Hoc symbolice et sub aenigmate proponitur, secundum consuetudinem sacrae Scripturae, quae res spirituales sub figuris rerum corporalium describit. » Consessus igitur, hic et consilium habitum humano more describitur (*Aug.* [1] *An. Cod.*

1. « Affectio animae ad veritatem non potuit aliter narrari, nisi temporaliter et localiter quodam modo diceretur ».

Vav. Sa), sed ita ut involucra haec rei spiritualis veritatem non laedant, sed potius ad hominum mentes aptissime adumbrent; neque opus est cum aliquibus ad visionem imaginariam auctori libri oblatam hanc totam narrationem referre (cf. apud *Pin. Malv.*), praesertim cum tale indicium prorsus non adsit. *Sanct.* quidem scenam explicat, uti illam 3 Reg. 22, 22 relatam; « si statuamus angelum ibi (quod scholastici doctores communiter probant), sicut alibi millies divinam repraesentare personam, nihil ibi apparet admirabile ac novum, cum daemones cum angelis bonis congredi audeant et illis in rebus etiam gravibus adversari (cf. Dan. 10, 13) ». Aliter tamen rem concipiunt *S. Chrys.* et *S. Thom.* etc., de quibus infra.

Hebraicum הַיּוֹם cum articulo non necessario refertur ad certum quendam atque statutum diem v. g. pro tali iudicio vel consessu — uti intellexit *Chald. die iudicii* vertens — sed potest generatim poni in initio narrationum cf. 2 Reg. 4, 18, ita ut dies ex ipsa subiuncta narratione demum qualis fuerit describatur, unde versio vulg. optime sensum expressit. — Dicuntur *filii Dei* angeli, prout omnes rite exponunt uno dempto *S. Ephraem* qui *iustos* generatim intelligit; patet ex ipsa scena angelos tutelares et provinciarum et hominum (cf. Dan. 10, 13) potissimum esse intelligendos, qui ad ministerium suum obeundum Domino se sistunt, vel officii iniuncti quasi rationem reddituri ad Dominum reverti finguntur. Bene enim *S. Greg.* : « per hoc quod missos cognoscimus, unde veniant invenimus ». Recte vero angeli cum emphasi quadam *filii Dei* dicuntur (cf. Ps. 28, 1; 88, 7. Dan. 3, 92) nomine utique cum iustis hominibus communi, attamen ipsis iure singulari proprio « in quantum Deo per participationem gloriae similantur » (*S. Thom.*). — Assistere *coram* Domino : phrasis hebr. עַל inde explicatur, quia herus *sedet*, quem servi *stantes* circumdant; cf. Is. 6, 2. Dicuntur *assistere*, ut ratio officii designetur, qua sunt administratorii spiritus (Hebr. 1, 14) ad omnem nutum divinum parati. הַשָּׂטָן, Satan a verbo dictus quod adversari, acerbo odio prosequi (Ps. 38, 21 ; 71, 13 ; 109, 20 hebr.), accusare, agere actorem (Zach. 3, 1) significat, unde nomen est appellativum adversarii, inimici, accusatoris (cf. 1 Sam. 29, 4. 1 Reg. 5, 18; 11, 14. 23. 25. Num. 22, 22. 32. Ps. 109, 6), dein significanter cum articulo appellatio eius qui a primordio generis humani eius erat inimicus infensissimus[1]. Dicitur autem *adesse*

1. Iuvat hic contra eos, qui diaboli notionem non nisi seriore aetate et fere a Persis ad Iudaeos perlatam esse perperam contendunt, paucis perstringere, iam ex narrationis modo Gen. cp. 3 clare colligi spiritum malum : 1) serpens inducitur loquens et proin ratione praeditus; sed cum in ipso creationis modo maximum discrimen statuisset auctor

inter angelos coram Deo, « quia eo intuitu, quo omnipotens Deus cuncta spiritalia conspicit, etiam Satan videt... quia vis divina, quae intuendo penetrat omnia, immundum spiritum vidit. Quia enim et ipsa, quae Deum fugiunt, latere non possunt, dum cuncta nuda sunt superno conspectui, Satan adfuit absens praesenti » (*S. Greg.*).

Bene etiam quid scena haec sibi velit, perpendit *S. Chrys.* : « cum angelis *adesse* dicitur, quoniam is quoque in divinae ditionis atque imperii locis consistit et exspectat, dum sibi mortalibus inferendarum tentationum potestas detur, non ut obsequium ullum praestet Deo... atque haec ipsa ut facilius ipsi perciperemus, *typo quodam et quasi figura* Scriptura expressit... Quoniam nos angeli tuentur et curant, contra saluti nostrae diabolus adversatur, atque de una eademque re, id est de homine, inter se pugnant ac decertant, hac de causa simul *adesse* dicuntur, Deo interim cuncta quae geruntur intuente ». In eandem prorsus scenae huius explanationem etiam concedit *S. Thom.*, qui inter alia ita : « (secundo modo) assistere convenit non solum omnibus bonis angelis, sed etiam malis et etiam hominibus, quia quaecunque ab eis aguntur divino conspectui et examini subduntur ; et propter hoc dicitur, quod cum venirent filii Dei ut assisterent coram Domino, affuit inter eos etiam Satan. Et quamvis ea quae per angelos bonos vel malos administrantur, continuo divino conspectui et examini subiiciantur, et sic semper filii Dei assistant et Satan inter eos assistere dicatur, dicitur tamen *quadam die* secundum morem Scripturae, quae ea quae supra tempus sunt, interdum per tempus designat ex aliquibus quae dicuntur in tempore... ita et nunc quia factum de quo nunc intenditur, determinato tempore exstitit, dicuntur administratores huiusmodi facti quadam die coram Domino assistere, quamvis coram ipso assistere nunquam desistant ». Similia apud *An.*

v. 7 « *Cui dixit Dominus : unde venis? Qui respondens ait : circuivi terram et perambulavi eam* » ; — cur interrogationis forma adhibeatur, rationem in universum reddit *S. Chrys.*, quo magis distincte rei veritas exprimatur, in specie vero subtiliter notat *S. Thom.* : « quia non consuevimus interrogare de iis quae nos facimus, sed de iis quae absque nobis fiunt, ideo non dicitur, quod Dominus ali-

---

Geneseos inter animalia et hominem et nemini in mentem venire posset, illum animalia et ratione et lingua donata sibi finxisse, iam necessario concludendum erat, serpentem ab alio quodam, qui vi et intelligentia polleret, agi ; 2) repetitis vicibus inculcaverat auctor Geneseos, omnia creata, de quibus narrationem instituit, esse *bona*, unde consilium tantae malitiae et perversitatis, quantae a serpente suggeritur, non potest ullo pacto a serpente proficisci, etsi ille fingeretur ratione praeditus. Quare in ipsa narratione ea continentur, quibus perpensis innotescere debuit legentibus, consilium illud ab inimico quodam potenti, sagaci, rerum et eventuum periti, qui et Deo et generi humano esset infensissimus, datum fuisse. Et cum bonorum angelorum ad hominis tutelam et auxilium apparentium crebra fiat mentio in priscis illis de patriarchis narrationibus, Hebraei, etsi omnis alius fons esset occlusus, mox tamen in cognitionem de diaboli exsistentia pervenire necessario debebant.

quid quaesierit a filiis Dei, sed solum a Satan » ; cum enim mali spiritus voluntate sua a Deo discordent, ut idem advertit, ea quae ipsi agunt, a Deo aliena exsistunt quantum ad eorum intentionem. Apte quoque ad rem monet idem, locutionem Dei fieri « diversimode secundum quod congruit eis quibus dicit » ; hominibus enim sensu praeditis eum loqui aliquando sono formato in aliqua creatura subiecta (Matth. 3, 17; 17, 5), vel per imaginariam visionem, uti prophetis saepe ; « aliquando autem intelligibili expressione ; et hoc modo intelligendum est Dominum ad Satan dixisse, in quantum eum intelligere facit, quod ea quae ipse agit a Deo conspiciuntur. Sicut ergo dicere Dei ad Satan est ei notitiam praebere, ita Satan respondere Deo est non quidem alicuius rei notitiam tradere Deo, sed considerare omnia sua divino conspectui aperta esse ». Similiter *S. Aug.* : « ipsa interrogatio vis divina est, in qua non permittitur agere quod libet ».

Quaestione vero ipsa innuitur, Deum non tantum acta et intentionem Satanae examinare (*S. Thom.*), sed etiam « vias eius ac negotia animadversione occultae districtionis increpare » (*S. Greg.*) i. e. notari diabolum, qui ordine spirituum ministrantium derelicto vias a Dei voluntate benefica alienas prosequatur, unde quaestio est *exprobrantis* (*An. Ol. exp. in. Rup. Cod. Pin. Cord. Zsch.*)[1]. « Diabolum autem ei respondere est omnipotenti maiestati eius nihil posse celare » (*S. Greg.*), unde statim etiam « vias suas insinuat » (*S. (Greg.*) ; *circuivi* in hebr. *a vagando in terra* etc., שׁוּט discurrendi celeriter et vagandi notionem habet (cf. Num. 11, 8. 2 Sam. 24, 2. 8), dum הִתְהַלֵּךְ peragrari lente, consulto, utrumque vero attentione et studio quodam perlustrare dicit. Bene monet *S. Chrys.* et diabolum indicari tamquam erronem vagum qui cunctas regiones perlustret, ut contra genus humanum bellum moveat (vel, uti *Chald.* habet, ad pervestiganda opera hominum), et nos edoceri orbem terrarum tum angelis tum daemonibus repleri, utrosque autem sub potestate divina esse ; cf. 1 Petr. 5, 8. Eph. 6, 12. Neque abs re est, quod notat *Pin.*, libera illa inambulatione, quod proprie ad publicam officii et magistratus administrationem pertineat, daemonem profiteri vel potius mentiri potestatem et dominationem, quam sibi huius mundi princeps arrogasset.

v. 8 « *Dixitque Dominus* » — alter iam modus est secundum *S. Greg.* quo Deus loqui perhibetur ad diabolum « electorum suorum contra

1. Vel, ut etiam exponunt : Deus quasi ignorans quaerit, quia diaboli facta reprobat, ea scientia approbationis non complectitur ; cf. *An. S.Greg. Pin. Cord.* — *Del.* h. l. multum laudat *Cocceium* ob explanationem iam diu ante Cocc. a catholicis datam.

illum iustitiam proponit » ; « *numquid considerasti servum meum Iob, quod non sit ei similis in terra, homo simplex et rectus ac timens Deum et recedens a malo* » ? — hebr. *posuistine cor tuum*, qui loquendi modus exactam mentis observationem et studiosam animi attentionem designat (*Cord.*), quasi dicat : ecce adest in terra *vera* virtus ! id quod invido spiritui est perquam molestum. Laudes easdem quas Iobo tribuit auctor sacer, non sine emphasi Deus repetit. Est igitur homo iustus revera spectaculum mundo et angelis, ipseque Deus indicat, quanti sit vir pius ac probus, quo nihil spectabilius in orbe terrarum, et qui solus Dei oculos quodammodo pascat et attentionem moretur (*Vav.*). Potest iure cum *Ol.* interrogatio pro vi assertionis exponi i. e. scio te advertisse animum ad Iobum, indignabundus es scil. de tanta virtute, plusque ex illo molestiae capis atque invidiae, quam ex ceteris qui vitio tibique sunt addicti, honoris et lucri (*Pin. Cord.* sim. *Cod.*). Excellere dicitur Iobus inter omnes aequales, uti olim Noe, Gen. 6, 9 ; 7, 1. At optime hominum calumniator et accusator depingitur responsione : v. 9 « *Cui respondens Satan ait : numquid Iob frustra timet Deum* » ? — pietatem deprimit quantum potest ; illam constare uno Dei timore, qui infimus esse gradus potest, huncque non inniti nisi in larga utilitate percepta. Ipse respondendi modus apte daemonis impudentiam (*Ol.*), iram, invidiam illustrat. Bene eius indolem delineat *S. Greg.* : « antiquus adversarius cum quae accuset mala non invenit, ipsa ad malum inflectere bona quaerit ; cumque de operibus vincitur, ad accusandum verba nostra perscrutatur ; cum nec in verbis accusationem reperit, intentionem cordis fuscare contendit, tamquam bona facta bono animo non fiant et idcirco perpendi a iudice non debeant. Quia enim fructus arboris esse et in aestu virides conspicit, quasi vermem ponere ad radicem quaerit ». Sim. *Ol.* ; quasi dicat : ecce, quid mirum, si pro tantis commodis tantillum reddat timoris? abstinet a scelere, ne perdat vitae suavitatem.

Quare v. 10 « *Nonne tu vallasti eum ac domum eius universamque substantiam per circuitum? Operibus manuum eius benedixisti et possessio eius crevit in terra* » ; — Dei curam, custodiam, benignitatem Iobo eiusque rebus impensam exaggerat ; inaccessus est et obseptus omni muniminis genere ; non immerito inde colligit *Ol.* : « vide, ut diabolus ostendat se saepius conatum fuisse Iobum perdere ». Hac vero enumeratione et Deo detrahit, quasi veros ac sinceros cultores minime sed fictos tantum ac mercenarios haberet amicos, et Iobo, quasi non virtutem coleret sed mercaturam exerceret (*Cord. Pin.*), simulque insinuat, facile esse, cum numen colere, cui omnia ex animi sententia cedant, qui nunquam adversa passus oblectamentis atque deliciis sit delibutus

(*Cod.*); haec demum Iobum timere ne amittat, et ea de causa timore Deum honorari. Quare et Deum contra illum accendere conatur (*Cod.*); v. 11 « *Sed extende paululum manum tuam et tange cuncta quae possidet, nisi in faciem benedixerit tibi* » ; — *paululum* addidit vulg. ex sensu; hebr. אוּלָם, *verum enimvero mitte quaeso manum tuam*, emittere manum phrasis est usurpata ad laedendi et percutiendi notionem; cf. Ex. 3, 20; 9, 15. Postulat, memor suae ad nocendum impotentiae (*S. Greg. Cord.*); *tange* i. e. attingendo amove, perde; meiosis est digna improbitate veteratoris Satanae; ita quidem *Malv.* aliique; attamen iure observatur a *Pin. Vav.*, verbo *tangendi* plerumque graviorem dici plagam; *nisi* אִם־לֹא asseverantis atque iurantis est particula [1]. Adeo igitur Iobi probitatem flocci habendam esse diabolus maxima audacia contendit; *in faciem benedicere* i. e. impudenter, attrita fronte, procaciter tibi valedicet, nuntium tibi remittet. Dum ab aliquo *digredimur*, ei bona apprecamur (cf. 1, 5); unde verbi significatione transsumpta, benedicere *idem est ac* valedicere, idque dein facile in malam partem flectitur, quamvis plurimis placeat per antiphrasin vel euphemismum poni pro maledictione vel blasphemia (*exp. in. Rup. Pin. Cord. Vav.*).

Subtilius tamen esse videtur assumere, *vel* diabolum specioso vocabulo esse usum, ne Deum verbo asperiore figere videretur (*Did.*), *vel* ipsum quasi noluisse ingratum verbum referre, ac si ipse rusticitatem vitii ingratitudinis exhorreret, ne scil. vel infamen ingratitudinem verbo tenus usurparet (*Cord.*), *vel* libri auctorem pro re foeda a diabolo prolata mitiorem rei expressionem delegisse (*An.* alii apud *Pin.*); quare prior explicatio de valedicendi notione praeferenda est, cui recentiores quoque magna cum consensione acquiescunt (*Ros. Del. W.*). Apte *Vav.* adnotat : « bonus verebatur pater, ne quod liberi tacite secum conciperent scelus; affirmat Satanas fore, ut Iobus non iam animo et cogitatione admittat contra Deum aliquid, sed praesenti et audienti ore impuro et scelesto maledicere non dubitet ».

Iam ut eius virtus omnibus fieret manifesta (*S. Thom.*) et posteris patientiae et aerumnae medicamenta relinquerentur (*S. Chrys.*), Deus permisit diabolum patientiae illius vexatorem fieri et probitatis exploratorem, « ne scil. pro more suo postmodum calumniator ille causari merito posset aut ullo modo praetexere, vel leviorem quam oportebat in Iobi sanctitate probanda Dei manum exstitisse, vel aliquem

1. Integram iurandi atque sese devotandi formulam habes 3 Reg. 2, 23; 20, 10; 1. Reg. 3, 17; 14, 44. Ruth 1, 17. 2 Reg. 3, 9. 35; 19, 10. 4 Reg. 6, 31.

intervenisse dolum vel fascinum... » (*Cord. Pin.*). Pugnam enim inire diabolo conceditur, ut pateat, qualiter vincendus sit ab optimo quoque, ut adumbratio quaedam habeatur ac praeludium illius victoriae, qua per Christum caput eius conteretur et ope Christi per electos. Utique nullibi desunt diaboli conatus ad calcaneum conterendum i. e. ad plagas oppugnatoribus suis infligendas. Simul perspicitur, diabolum sine Dei permissione ne minime quidem nocere posse. Quare bene *S. Greg.* advertit, Deum tertio quodam modo loqui ad diabolum, cum tentandam electorum innocentiam concedendo permittat, et quarto, dum eum rursum a tentatione prohibeat, vel certis limitibus eum adstringat, uti fit v. 12 « *Dixit ergo Dominus ad Satan: ecce universa quae habet, in manu tua sunt; tantum in eum ne extendas manum tuam. Egressusque est Satan a facie Domini* »; — Deus autem athletam suum primum exerceri sinit in bonis externis, et ita eum per gradus quosdam ad summam probitatis exhibitionem perducit (cf. *S. Greg. Ol.*); *et egressus est* i. e. concessa semel venia sine cunctatione opus aggressus est (*Ol.*); nihil enim aliud cupiebat quam facultatem nocendi Iobo; ea proin impetrata nihil moratus, nihil respondens celeriter abit (*Pin.*), vel secundum *S. Greg.* quasi vinculis illis solutus, quibus eius nocendi cupiditas ligabatur, foras prorupit. Ceterum etiam h. l. advertendum, quod monuit *Barh.*, quo res facilior sit clariusque intelligatur, auctorem quasi corpore induisse narrationem, quia ad res spirituales difficulter animum applicent indocti; neque opus est, ita eum *Pin. Sanct. Cord.* aliisque contra allatas veterum expositiones literae inhaerere, ut dicamus, revera consessum angelorum celebratum, cui angelus superior qui sit et appelletur Dei facies, Dei nomine praesideret, et in quo diabolus adstaret medius et tota haec sermocinatio mutua angelorum et diaboli collocutione haberetur; a quo cum diabolus recederet, recessisse a facie Dei i. e. ab angelo, qui ex Dei persona ei locutus esset.

c) Iobus varie afflictus 1, 13-22.

Narratione praemissa et Dei consilio patefacto animi legentium mirum in modum acuuntur, ut singulari attentione ulteriora Iobi fata prosequantur, probe scientes id quod ipse Iobus ignorat, quare et a quo calamitates immittantur; unde magna quadam et exspectatione et delectatione excitantur, ut qua ratione Iobus sit acturus perdiscant. Narratio vero ita est artificiose contexta, ut calamitates describantur iis modis atque conditionibus, quibus Iobi animus quam maxime et doloris acerbitate obruatur et subitanea rerum omnium

amissione ad impatientiam provocetur. Astutiam hac in re veteratoris illius admirari licet. Seligit scil. *primo* tempus et diem, quo Iobus expiatione pro omnibus facta de divino favore quam maxime securus minime tantae calamitatis pondus animo praesagiret; nam v. 13 « *Cum autem quadam die filii et filiae eius comederent et biberent vinum in domo fratris sui primogeniti* » ; — i. e. cum ordo dierum et conviviorum ex aetate cuique obtigisse censendus sit (— unde v. 4 *unusquisque in die suo*), orbe evoluto et sacrificiis oblatis rursum apud primogenitum, cuius convivium certe propter aetatis honorisque praerogativam singulari laetitia et delectatione celebrabatur (cf. *S. Thom.*), accumbunt; quare bene in hebr. *et erat dies (ille) et filii eius... comedentes... in domo primogeniti* i. e. et erat ille dies, quo prandebant in domo primogeniti. *Secundo* cum *S. Thom.* « considerandum est, quod ab iis quae *subito* superveniunt hominibus, animus magis commovetur », iam quatuor calamitates ita rapide devolvuntur, ut priore nuntio adhuc loquente alter, tertius, quartus novae plagae ictum narraturus irrueret. Narrant *tertio* quasi ex composito iisdem verbis : *et effugi ego solus ut nuntiarem tibi* quasi ad iracundiam et impatientiam provocandam factis. Calamitates deinde et ab hominibus et ab ipso Deo (— unde ignis Dei ex coelo v. 16 et ventus vehemens v. 19 —) inflictae perhibentur, ut Iobus sese intelligeret et ab hominibus impetitum et ab ipso Deo proditum et magis derelictum. Adde, quod scite *S. Thom.* advertit, « ut a singulis adversitatibus Iob propriam afflictionem sentiret et sic magis ad impatientiam commoveretur, incepit Satan a minore adversitate affligere et paulatim processit ad maiora; nam ille qui maiore adversitate oppressus est, minorem non sentit, sed post minorem sentitur maior ». Praeterea in singulis enarrandis quaedam ad dolorem acuendum efformata esse videntur. Bene enim ad v. 14 *S. Greg.* : « intuendum est quam callide ipsa damna nuntiantur. Non enim dicitur, boves a Sabaeis ablati sunt, sed qui ablati sunt boves, *arabant*, ut videlicet memorato fructu operis causa crescat doloris; unde et apud Graecos non solum asinae, sed fetae asinae raptae referuntur, ut dum minima animalia audientis animum minus ex sui qualitate perculerent, amplius ex fecunditate vulnerarent ».

v. 15 « *Et irruerunt Sabaei* » ; — בְּאֵשׁ [1] est populi nomen, verte hoc loco

1. LXX cum habeant οἱ αἰχμαλωτεύοντες שׁבה legerunt, quod iam *Cod.* notat; Syrus vertit *turmae* (sim. Arabs), unde צבא legisse videtur. — Regio *Sabu* etiam in inscriptionibus cuneiformibus saepius legitur. Fried. *Delitzsch.* eam in Arabia septentrionali fere inter mare mortuum ac mare rubrum collocandam esse censet; cf. Wo lag das Paradies? p. 303.

non ad Cuschitas (Gen. 10, 7. 1 Par. 1, 9), sed ad posteros Iectan (Gen. 10, 28. 1 Par. 1, 22) i. e. ad *Arabes* referendum, forte ad eos, qui cum Abraham nepotibus sanguinis cognationem inierunt (Gen. 25, 3). Quamvis Sabaeorum regio Arabia quam vocant felici contineatur (cf. *Winer* s. v.), tamen hoc loco iure interpretes tribus arabicas intelligunt in parte septentrionali vitam pastoritiam exercentes a sinu persico et Euphrate ad Idumaeam usque (cf. *Del. W. Hitz. Zsch.*). Insolita crudelitate non solum omnia rapiunt, sed servos quoque trucidant, *et evasi ego solus* apte *Vav.* : « hoc etiam acerbius ad dolorem, quod significatur unus aliquis effugisse ex tantis miseriarum incendiis, eo consilio, ut nuncios Iobo tam tristes deferret... nam quod in ceteris valet ad faciendum dolorem et ad acceptam cladem exaggerandam, ut ne nuntius quidem calamitatis superfuerit, id contra fit hic, nihil ut sit insignius ad calamitatem quam quod e maximis et miserrimis naufragiis fortunarum omnium reliquus semper ac superstes unus aliquis fuerit, qui singula identidem referret ». Ipsum autem diabolum nuntii formam ac habitum induisse, id quod veteribus nonnullis placet (cf. *Ps.Chrys.* de patientia Iob hom. 2. 3. *Ol. Barh. Mar. Gord.*), nulla ratione textus sacer suadet.

Si quis ab hominibus mala experiatur, ad Deum confugere solet. Unde altero nuntio Iobum ab ipso Deo percussum legimus (cf. *Chrys. Ol. Thom. Rup. Pin. Cord.*). v. 16 *Ignis Dei* i. e. ac si diceretur, illius animadversionem sustines, quem tot hostiis placare voluisti; illius iram toleras, cui quotidie serviens insudabas (*S. Greg.*); neque licet phrasin cum *Cod.* ita emollire, ut ignis *magnus, vehemens* tantum dicatur; phrasis potius est, ut *An.* notat, ita accommodata, ut acerbissimam Sodomae et Gomorrhae cladem referre videatur : « non sunt, inquit, terrenae insidiae hoc quod factum est, sed coelestis est furor; non haec est violentia humana, sed contritio divina » (*An.*). Et plaga eo magis a Deo vindice incussa esse videri poterat, quia etsi fulminis ictu unum aut alterum perdi contingat, nunquam tamen totus grex cum custodibus percutitur (*Vav.*). Quod vero recentiores quidam praeferunt exponentes de vento urente (Samum), alienum est ab usu vocis; cf. 3 Reg. 18, 38. 4 Reg. 1, 12. Num 11, 1. Gen. 19, 24.

A Deo quasi repulsam passus etiam ab hominibus nova adversitate percellitur. v. 17 *Chaldaei;* כַּשְׂדִּים parum sane hoc loco refert, utrum hae latronum turbae a potentissima illa et perantiqua Chaldaeorum gente fuerint, vel potius ad posteros כֶּשֶׂד Cased (Gen 22, 22), ad filium Nachor sint referendae.

Uti Sabaei fere a parte meridionali, ita Chaldaei ab oriente et septentrione irruunt, ut Iobi possessio omni ex parte proscindatur. Agmen tripartito diviserunt, quo securius, certius, et maiore cum impetu ac terrore irruerent, fugam intercluderent, omnia vastarent. Acerbissimae demum calamitatis auctor, repentinae liberorum cladis et exstinctionis, iterum Deus innuitur. v. 19 « *Ventus vehemens irruit* »; — « quia enim notum est, quod absque superno nutu moveri elementa non possint, latenter infertur, quod ipse contra illum elementa moverit, qui moveri permisit » (*S. Greg.* sim. *An.*); *a regione deserti* hebr. propric : von jenseits der Wüste, ab ulteriore, extrema parte deserti scil. arabici, unde vehementissimae procellae oriri solent (cf. Is. 21, 1. Ier. 4, 11; 13, 24). Placuit sane diabolo, acerbissimum de interemtis liberis nuntium ultimo loco servare, « ut dum gradatim deteriora cognosceret, in eius corde doloris locum omne vulnus inveniret » (*S. Greg.*).

Sensit Iobus ingentis doloris pondus [1] neque iam in pectore inclusum tenere valet; edit luctus signa apud orientales consueta; habitu induitur squalido, caesariem ornatumque capitis amovet, in terra, in pulvere lugentium more consedit, at probatae pietatis vir hisce addit numinis *adorationem*. v. 20 « *Tunc surrexit Iob et scidit vestimenta sua et tonso capite corruens in terram adoravit* »; — i. e. ad adorationem se prosternit. Iam animi sensus pandit quibus illas subeat adversitates : et primo quidem sese erigit, labilem vitae cursum et mortis instantem necessitatem mente volvens, dein Domini voluntatem ita esse agnoscit, qui quod dederit etiam auferre possit, et demum in hac Dei voluntate placide acquiescens eius maiestatem humili laude veneratur.

v. 21 « *Et dixit : nudus egressus sum de utero matris meae* »; — bene *S. Thom.*: « rationabiliter demonstrat, etsi tristitiam pateretur, se tristitiae non debere succumbere, primo quidem ex conditione naturae », nam pro servanda patientia, ut ait *S. Greg.*, illud tempus ad memoriam reducit, quo necdum ista quae perdidit habebat, et simul illud solertius inspicit, quo hinc erit demigrandum ; « qui ergo accepta sed relinquenda perdidi, quid proprium amisi »? *et nudus revertar illuc* terram intelligit, quae quasi est ex formatione protoparentis

---

1. *S. Greg.* : « non est enim pondus verae virtutis insensibilitas cordis; quia et valde insana per stuporem membra sunt, quae et incisa dolere nequaquam possunt ».

Solita facundia calamitatis conditiones expendit S. Chrys. : « cogita quantum sit tot filios mortuos cernere. Quid enim non dolorem inferebat ? Quod omnes raperentur, quod omnes simul una die, quod in ipso aetatis flore, quod cum iam egregium dedissent virtutis specimen, quod supplicii more vitam finirent, quod post tot plagas haec postrema inferretur, quod pater esset liberorum amans, quod defuncti amabiles . .» t. 48 c. 1022; cf. t. 51 c. 62; t. 52 c. 564. 593. cf. t. 61 c. 236; t. 63 c. 479.

communis omnium mater, quare uterum matris analogice dicens ad hanc dicendi rationem deflexit. Bene iam *S. Thom.* affert Eccli. 40, 1 : « occupatio magna creata est hominibus et iugum grave super filios Adam a die exitus de ventre matris eorum usque in diem sepulturae in matrem omnium »; cf. Ps. 138, 15. Quia enim Adami corpus e vulva terrae formatum est, terra omnium mater, cum sit quasi primi ex quo omnes descendunt, apte dici potest. Hac autem se philosophia, ut *Ol.* latius explicat, solatur : quid mali, inquit, passi sumus, cum a natura quidem nihil habeamus, si rebus nobis a Deo datis rursus spoliemur, quarum non multo post nobis amissio erit necessario sustinenda? Deinde divinae providentiae gubernandi rationem confitetur, et beneplacito divinae voluntatis (*S. Thom.*) plane ex animo laudem dicit praeclaram : « *Dominus dedit, Dominus abstulit; sicut Domino placuit ita factum est; sit nomen Domini benedictum* ». — « Talibus verbis iustus diabolum quasi telis perfodit estque illud admiratione dignum, quod tum Deo gratias agat, nec quidquam de mentis constantia remittat, cum se a Deo spoliari advertit » (*S. Chrys.*).

Quam egregie diaboli exspectationem fefellit! Non modo Deo nuntium non remittit, sed ampliore eum laude cumulat [1]; ita heros primum vicit diaboli impetum; quare et ab ipsa Scriptura v. 22 « *In omnibus his non peccavit Iob labiis suis neque stultum quid contra Deum locutus est* » — ei laudis quam meruit praeconium penditur. *S. Greg.* : « vim doloris vertit in laudem conditoris, superbum hostem humilitate perculit, crudelem patientia stravit »; *neque stultum* hebr. *neque inepti quidquam attribuit Deo* i. e. Deo non vertit vitio, non contulit culpam in Deum (*Vav.*), cf. 6, 6; 24, 12 [2]. Apte concludit *S. Chrys.* : « quemadmodum in statuis et imaginibus postquam aliquem finxerimus, infra in basi subscribimus *hic* vel *ille posuit,* sic etiam hoc loco auctor libri, postquam animi iusti simulacrum verbis delineasset, quasi in basi infra subscribens dicit : *in omnibus his non peccavit* »; et *Ol.* : « suis diabolum iaculis configit; is enim usus ironia

---

1. Apposite *Petrus Blesensis* : « commotum est vas pigmentarium et dedit suavitatem odoris; contrita sunt aromata et fragrantiam emiserunt. Afflictus est Iob et ad laudes Domini se convertit » (Migne t. 207 c. 809). — Illud *sicut Domino placuit, ita factum est* additum est ex LXX et *vet. lat.;* in hebr. et apud *Chald.* et *Syrum* et in ipsa versione *S. Hier.* (cf. Migne t. 28 c. 1085) non invenitur. Est epexegesis ad sententiam priorem. — Ceterum bene S. Chrys. : « beatum Iob hoc maxime clarum reddidit, hoc laudibus affecit, hoc coronavit, quod tempore tentationis, morbi et paupertatis immutabili eiusmodi animo apparuerit et mente immobilis, quibus gratias ageret Deo verba obtulerit et spirituale illud sacrificium; erant enim sacrificium verba eius, quae dixit : Dominus dedit »... in Ps. 5. Migne t. 55 c. 71.

2. Alii נתן *edere, pronuntiare, dicere* (*Vat. Cod.*) interpretantur.

dixerat : *si non in faciem tibi benedixerit* i. e. si non improbas in te voces iactarit, hic autem in illis quae acciderunt calamitatibus ad gratias agendas comparato hymno vocem Deum laudans effert ».

d) Iobus ulcere percussus 2, 1 — 13.

Iam alter cum diabolo congressus, isque peracto longe maior, describitur. Quantum autem inter utrumque temporis intercesserit, frustra nonnulli quaerunt, cum nullum eius rei indicium appareat; sufficit statuere cum *Calm.*, tale intercessisse spatium, quale satis sit, ut Iobi patientia iam experimento cognita et explorata habeatur et a Deo suis laudibus coronetur. Diabolus primo certamine victus denuo maiori vi pugnam instaurare pro sua contumacia, astutia, verae virtutis contemptu non dubitat (cf. *Cord.*). Ut Iobi sincera pietas eluceat, restat ostendere, uti notat *S. Thom.*, postquam eius intentionem non esse ad exteriora bona obligatam innotuerit, illam neque ad salutem proprii corporis esse incurvatam; ita demum castissimus Dei amor qui nullo proprio commodo misceatur, comprobatur.

Et primo quidem v. 1 — 3 iisdem pene verbis ut antea 1, 6 et seq. certaminis occasio enarratur. v. 3 « *tu autem commovisti me* »; — « ad nostra verba divina voce descenditur, ut eius factum ab homine utcunque capiatur » (*S. Greg.*), humano scil. more loquitur; decreverat scil. Deus in Iobo vivum quoddam exemplar virtutis spectandum exhibere, quare Iobi probitas exercenda erat; exercebatur autem, cum ad Satanae calumniam calumniatori plenam in omnes eius facultates grassandi veniam concederet (cf. *Pin. Cord.*); id igitur instigatione diaboli factum esse, eatenus vere dicitur, quatenus Deus qui ab aeterno disposuerat Iobum temporaliter affligere ad demonstrandam virtutem eius, ut omnis malignorum excluderetur calumnia (*S. Thom.*), ab hac ipsa diaboli calumnia occasionem quasi capit exsequendi consilii; « *ut affligerem eum frustra* »; — consentiunt fere interpretes, illud *frustra* non ad Deum neque ad Iobum, sed ad diabolum referri, et quasi ex diaboli consilio frustrato usurpari; quasi dicat : condonavi tibi hominem, vexasti ad libidinem; quid consecutus es? idcircone is minus in officio fuit (*Vav.*)? Ceterum daemon astutus, qui et detractione exultat et Deo obloqui nunquam non cessat (— unde tota narratio amplam praebet ad diaboli indolem delineandam materiam uberemque segetem, ex qua multa fusius pertractant *An. Chrys. Pin. Cord.* —) « tam illustrem Iobi victoriam aequo animo ferre non sustinens novas tantae luci calumniae tenebras offundere conatur » (*Cord.*); unde contendit, idcirco Iobum tot extra se flagella aequanimiter pati, quia paveat, ne

ipse feriatur (*S. Greg.*); eum habere scil. adhuc, quod perdat, et timore maioris poenae coerceri a scelere; veritus enim est, ne te iracundia inflammaret suoque corpore plagam exciperet (*Ol.*).

v. 4 « *Cui respondens Satan ait : pellem pro pelle, et cuncta quae habet homo, dabit pro anima sua* » ; — locutio sane est proverbialis, quam varie elucidant interpretes.

S. Ephraem quidem pellem intelligit pecorum filiorumque a Iobo libenter datam esse, ut propriam servaret ; sim. *S. Thom.* multique alii, quorum sententia ex ipso altero versus membro confirmatur. *Ol.* inde locutionem explicat, quia natura institutum est, ut manu praetensa, vel alio membro obiecto membra alia tueamur, quam explicationem etiam aliqui recentiores approbant (cf. *Del.*). *Cod.* vero adagium ex permutatione rerum, ex emptionibus et venditionibus petitum esse vult, in quibus pretium merci ex aequo opponatur, cui interpretationi assentitur *Zsch.* Alii ita : uti in proverbio dicitur pellem pro pelle i. e. aequalia dari ut aequalia accipiantur, ita et homo omnia dabit, ut quod sibi pretiosissimum est servet (cf. *Hitz. P.*). Minus apte explicat *Olshausen :* quamdiu tu eius pellem non tangis, neque ipse tuam pellem i. e. teipsum blasphemiis proscindet.

Videtur esse explanatio quam maxime facilis et obvia, ut comparationis particula subintellecta dicamus : uti res rebus et merces aequo pretio emuntur, ita *a fortiore* Iobus gaudet, quia quod ipsi pretiosissimum est, ceterorum bonorum minorum iactura sibi servaverit; unde diabolus subdole infert quasi : quid mirum, si nondum tibi valedixit? *bonam exercuit mercaturam*, non enim aequali pretio (pellem pro pelle) sed multo minore rem omnium carissimam sibi retinuit. Quare v. 5 postulat, ut Deus os eius et carnem tangat i. e. percutiat, et addit impudenti audacia, tunc demum, si iam nihil habeat, cuius detrimentum in poenam sceleris ipsi fieri possit, flagitium ab eo iri commissum. Annuit Deus postulationi et *ipsum diabolum* exsecutorem v. 6 esse et poenam infligere concedit, ut saeviat quantum velit, ut acerrima plaga Iobi virtutem et constantiam exploret, « ne scil. diabolus forte diceret : tu quidem vulnus ei tamquam famulo tuo in speciem inflixisti » (*Ol.*; sim. *Chrys.*[1] *Cord.*). Ex tali

1. Cur Deus diabolum calamitatis infligendae ministrum adhibuerit, oratorie prose quitur S. Chrys. : « non illum ipse percussit Deus, ne rursum diabolus diceret : pepercisti, et non tantam quantam oportebat intulisti tentationem; sed ipsi tradidit diabolo et gregum perditionem et carnis potestatem. Confido de certatore, inquit, idcirco non prohibeo ipsi quaecunque velis inferre certamina. Sed quemadmodum spectati palaestritae, et arte et corporis robore fidentes, non recti adversariis ut plurimum congrediuntur, neque de pari, sed seipsos illis medios apprehendendos praebent, ut illustriorem victoriam referant; sic et Deus medium tradidit sanctum diabolo apprehendendum, ut cum post tantam conflictus praerogativam superarit soloque prostraverit, clarior corona reddatur. Aurum est probatum ; pro lubitu proba, ut placet examina, sordes in ipso non invenies ». *M.* 49, 27.

autem diaboli affirmatione et spe de Iobi lapsu inferre, eum divinae gratiae vim ac virtutem ignorasse, uti infert *Pin.*, et audacius esse videtur et nonnihil a scopo narrationis aberrare. Attamen vitae Iobi parcere iubetur. Nihil cunctatus opus aggreditur Satan; v. 7 « *percussit Iob ulcere pessimo a planta pedis usque ad verticem eius* »; — שְׁחִין ulcus est inflammatum (cf. Ex. 9, 9. 10. Lev. 13, 18. 19 pustulae et maculae leprosae); locutio huius loci deprompta videtur ex Deut. 28, 35 : « percutiat te Dominus ulcere pessimo.. sanarique non possis a planta pedis usque ad verticem tuum » quo in loco v. 27 etiam de *ulcere Aegypti* sermo est, quem morbum leprae nigrae genus in Aegypto serpens intelligunt eumque *elephantiasin* medici appellant. Iobum *elephantiasi* fuisse perculsum, plurimorum est sententia.

Ita iam veteres censuerunt : *Origenes* (c. Cels. l. 6. n. 43 : ἀγρίῳ ἐλέφαντι, t. 11 c. 1365), *Chrys.* (ἔπληξεν αὐτὸν λώβῃ καὶ ἐλέφαντι καθ' ὅλου τοῦ σώματος), *exp. in.* (elephantiae morbo a quibusdam creditur percussus), et (quos allegat *Calm.*[1]) *Polychron. Apollin.* in catena, *Barh.* (qui morbum *arjonutho* vocat i. e. leontasin, lepram leoninam[2], a voce אַרְיֵה, אַרְיוֹת); hisce adsentiuntur recentiores : *Malv. Sa, Calm. Michaelis*[3], *Ros. Schulz* (scholia in V. T.), *Hirz. Hayd* (das Buch Job, p. 153), W. *Del. Hitz. Le Hir, Zsch. P.*, inter quos aliqui variis medicorum testimoniis adducti hanc sententiam proponunt. Vide etiam *Vigouroux*, Manuel biblique II, 218.

Et certe quaecunque de morbo inflicto eiusque tristissimis effectibus hoc nostro libro dicuntur, elephantiasi congruunt : totum corpus ulcere contectum, ulcera scatere sanie et vermibus (7, 5), illa radi testa (2, 8); nam quominus manus admoveret, ipsum manuum inflammatio, digitorum tumor et lenta exesio prohibebat; cutem contrahi macie et ariditate, atro colore infici, rugisque disrumpi, foedeque demum abiici (7, 5; 16, 8; 19, 20; 30, 15. 30); alia membra partesque extremas foede intumescere, alia defluere quasi et corrodi (16, 17; 19, 20; 16, 8. 14; 30, 27), halitum reddi foetidum (19, 17), dira angina suffocari (7, 15), in ipso somno quasi spectris, terriculis, variisque horroribus dirisque somniis angi (7, 14), cruciari viscerum doloribus (16, 14; 30, 27), et intimo quodam torreri calore et igne (30, 30), vocem esse asperam, raucam, ut ferarum modo rugire videatur (3, 24), demum totam hominis figuram, speciem ita mutari, ut iam non possit cognosci(2, 12). *Pin.* non uno genere morbi contentus integrum morborum agmen recenset (p. 112-126) quo Iobus fuerit aflictus, a qua re neque *Cord.*

1. Calmet : dissertatio de morbo Iob, in t. 2 dissertat. in vetus ac novum Test. lat. trad. a I. D. Mansi, pg. 42. cf. quoque Thom. Bartholin. in *Ugolini* Thes. antiq. t. 30 pg. 1537.
2. Quem morbum elephantiasin Graeci vocant, ut addit *Bernstein* in lex. syr. ad Kirschii Chrestom.
3. In notis ad vers. germ. bibl., in notis ad Lowthum p. 688, in iure mosaico l. 4. p. 232, in introd. in libr. V. T. p. 1. s. 1. p. 56.

neque *Tir.* abludit, imo eum volunt luc quoque venerea perculsum a daemone in maiorem ignominiam.

v. 8 « *Qui testa saniem radebat* »; — hebr. *sumpsit testam, ut se ea scaberet*; sim. LXX. In elephantiasis enim initio intolerabilis persentiscitur prurigo, ut a fricando manus et ungues abstinere nemo possit; habent hodie in oriente manum eburneam, aut alia materia constantem, qua se scabunt (*Ros.*); « *sedens in sterquilinio* »; — hebr. *in cinere*, vel in pulvere [1], more scil. lugentium. Ceterum apte monet *Calm.* : « apud LXX sedet Iobus in stercore extra urbem. Ubique gentium elephantiaci ab hominum commercio arcebantur, ne contagiosi morbi lues propagaretur. Sed in hebr. nihil satis expressum de sterquilinio; docentque itineraria, in iis regionibus sterquilinia, qualia apud nos, non occurrere,.. igitur explicandum est de loco sordido, ubi Iobus in pulvere et in sordibus sedebat ».

Ad haec quid diabolus? Belle *S. Greg.* : « quia putrescentem foras sanum adhuc interius stare conspexit, et quem exterius nudum reddidit, hunc interius ditiorem fieri per exhibitam laudem conditoris invidit, callide cogitans pensat, quod contra se athleta Dei unde premitur, sublevatur, victusque ad subtilia tentandi argumenta convertitur. Nam antiquae artis insidias repetit, et *quia scit quomodo Adam decipi soleat, ad Evam recurrit* ». Reliquerat diabolus Iobo uxorem, ut per eam viri iusti mentem pulsaret; verba enim eo magis provocantia sunt, quanto a persona magis coniuncta proferuntur (*S. Thom.*). Coniux enim, ita *Ol.*, tamquam machina quasi extrema ad evertendum munitissimum murum a diabolo reservata fuit; vel, ut *S. Chrys.*, ei ad tentationem et insidias relicta est [2]. v. 9 « *Dixit autem illi uxor sua : adhuc tu permanes in simplicitate tua* » ? — hebr. *adhuc tu retinens* (firmiter) *integritatem tuam* i. e. etsi exspectans te acriter cernis delusum, adhuc retines integritatem? iamne vides et sentis, te pietate constanti tua nihil proficere? quin potius valeat per te Deus (*Vac.*)! Hoc consilio daemonis telum (*Chrys.*), adiutrix diaboli (*Aug.*) effecta est; « *benedic Deo et morere* »! — eodem malo sensu, uti supra. Haec enim verba non esse mitius interpretanda, uti aliquibus videtur (cf. apud *Pin. Cord.*). liquet ex acri reprehensione qua Iobus mulieris impietatem et irrisionem reiicit. v. 10 « *Qui ait ad illam : quasi una de stultis mulieribus locuta es* »; — hebr. נָבָל eum dicit, qui sit impius, scelestus. Magna

1. Uti *Sym.* ἐπὶ σποδοῦ.

2. Crebro et oratorie id *S. Chrys.* pertractat; cf. Migne, t. 47 c. 494; t. 49 c. 62; t. 52 c. 418; t. 54 c. 649; t. 55. c. 37. 367; t. 56 c. 152; t. 61 c. 236; t. 63 c. 480 etc. — Sim. *S. Cyprianus* (Migne, t. 4 c. 633) « armat diabolus et uxorem ». — Sim. *Lu.* (c. 476 et seq. 495); *Athanasius* (Migne t. 27 c. 1345); crebro etiam *S. Aug.* (Migne t. 37 c. 1151. 1207. 1382. 1732. 1738. 1881. etc.).

proin indignatione Iobus suasionem illam tamquam scelere plenam repellens animum suum firma fide Deo adhaerentem testatur ; adiungit rationem pietate dignissimam : « *si bona suscepimus de manu Dei, mala quare non suscipiamus* » ? — mala illa utpote a Deo immissa esse pio animo tamquam a manu Dei accipienda. Vim sententiae bene perpendit *Cord.* : « nil subtilius, nihilque de Iobo excellentius dici potuit : tam alte enim tamque profunde de Deo sentiebat, ut ad tot tantaque mala sufferenda non aliam necessariam aestimaret rationem, nisi quod Deus eas immisisset; sic supremum eius recognoscens dominium, ut simul et in eo summam bonitatem ; sic ut summa sit iustitiae et aequitatis ratio, quod ipse fecit ». Ita scil. Iobus sinceram in Deum pietatem declarat, qua Deo non propter bona sed propter ipsius maiestatis reverentiam et amorem cultum exhibuerit, et hac animi sui manifestatione triumphum agit de diabolo maxime insignem. Sanctissimus enim in Deum amor tunc adesse noscitur, quando Dei flagellantis manum eodem amore exosculamur. « *In omnibus his non peccavit Iob labiis suis* » ; — ita Iobi victoria sigillo divino confirmatur et contra diaboli impudentiam asseritur; simul tamen non obscure innuitur, postmodum utique Iobum verbis aliquatenus esse lapsum.

Novum iam tentationis genus Iobo parari per ipsos amicos, ex sermonibus subsequentibus luculenter patet. Unde merito *S. Greg* : « sed antiquus hostis quo valentius vincitur, eo adhuc ad insidias ardentius instigatur ». v. 11 « *Igitur audientes tres amici Iob omne malum quod accidisset ei, venerunt singuli de loco suo : Eliphaz Themanites* » ; — uti Eliphaz nomen est apud Idumaeos usitatum (Gen. 36, 10), ita Theman regio est Idumaeae (Gen. 36, 34. Ier. 49, 7. 20. Ez. 25, 13. Amos 1, 12. Hab. 3, 3). Exsistebat adhuc tempore Eusebii et Hieronymi Theman villa distans ab urbe Petra quinque (quindecim apud Eus.) millibus. Sapientia Themanitarum quasi in proverbium abiit; cf. Ier. 49. 7. Abd. 8. Baruch 3, 22. 23. « *Baldad Suhites* » ; — הַשּׁוּחִי, de regione שׁוּחַ nihil certi innotescit [1]. Hoc nomine vocatur (Gen. 25, 2) filius quidam Cethurae, qui cum ceteris concubinarum Abraham filiis « ad orientalem plagam » a patre separatus est. Cum regio Σακκαία, cuius meminit Ptolemaeus (5, 15. 25) in orientali parte Batanaeae, a patria Iobi non ita distet, neque nomen adeo variet, fortasse opinari licet, Baldad inde originem traxisse. « *Sophar Naamathites* » ; — occurrit quidem urbs נַעֲמָה tribui Iudae concessa Ios. 15, 21. 41; at situs Sophar ex ea oriundus, valde incertum. Hi tres nuntio accepto et communicatis inter

1. Assyriologi regionem *Suhu* invenerunt, quam *Delitzsch* ab ostio fluminis Belich ad ostium fluminis Chabur extendi censet (cf. Wo lag das Paradies? p. 298 et quae affert *Schrader*, Keilinschriften und Geschichtsforschung, p. 142. 222).

se consiliis ad Iobum solandum adveniunt. At eius calamitas omnem famam malique exspectationem longe superavit. Ita enim forma eius ac species acerbissimi morbi corrosione iam erat foedata, ut eum non cognoscerent i. e. fateri cogerentur, nihil pristini splendoris et pene ne figurae quidem humanae superesse v. 12. Vident eum procul, nam lepra qui infecti erant, ab hominum domiciliis separati certa quadam sibi assignata et circumsepta regione et sub dio potissimum degere solebant. Tot tantarumque miseriarum aspectu stupefacti (attende, quomodo amicorum hac admiratione et tristi silentio auctor sacer simul quantae sint Iobi adversitates, illustret —) maximi luctus signa edunt dolorisque magnitudinem verbis non valentes exprimere silentio tristissimo testantur (*An.*) v. 13. Lugent eum quasi mortuum per septem dies (*Calm. Cord. Pin.*). Ipse autem taciturnus amicorum consessus, etsi initio aliquid certe levaminis ac consolationis Iobo attulerit, tamen per ipsam diuturnitatem nullo alloquio recreatam molestiam auxit; adde, si placet, quod *S. Chrys.* habet, casuum nostrorum acerbitatem alienorum bonorum conditionisque florentis intuitu nos perspicacius contemplari. Unde mirum non est, Iobum demum in acerbos clamores et vehementem doloris significationem prorumpere, quibus totius disceptationis occasio et exordium continetur.

DISCEPTATIONIS EXORDIUM

Cap. 3.

Arg. — Iobus, ut declaret quantis excrucietur doloribus, vitae suae initia devovet (v. 1-10) et limbi requiem multis exoptat (v. 11-19); demum cum omnia haec sint desideria cassa, novis querimoniis doloris laxat habenas (v. 20-26).

a) Iobi dirae in diem natalem 3, 1-10.

v. 1 « *Post haec* »; — non sine emphasi, post hos scil. septem dies, quibus doloris sensus quam altissime animo eius imprimebatur idque ipsis cruciatibus (uti fit in tali morbo) crescentibus, neque minus amicorum lugentium aspectu, et iam ipsa dolorum diuturnitate; quo enim diutius perdurant ac torquent, eo magis animi fortitudinem ebibunt quasi et enervant; « *aperuit os suum* », — phrasis est orientalibus consueta, ut quod dicendum sit tamquam rem sollemnem, gravem, multa consideratione profectam innuant. Simile quid indicat *S. Thom* : « ne perturbata mente loqui videretur, dicitur *aperuit*, cum enim aliquis loquitur ex impetu passionis, non ipse aperit os suum, sed passione agitur ad loquendum »; « *et maledixit diei suo* [1] ». — Certe hoc loco eo sensu verbum usurpatur, qui ex subsequentibus imprecationibus *pereat* etc. colligitur, neque est tantum accusare, vituperare (*Mar.*), conqueri, vel dicere infelicem (*Sa*, *Men.*), sed locutio est vehementer exoptantis, ne unquam exstitisset ille dies, qui tamquam tot malorum occasio et fons diris oneratur; *diei suo* i. e. natali, id quod Syrus ipsi versioni addit, et quod v. 3 et praesertim v. 10 patet. Attamen neque dies *anniversarius* est omnino excludendus, quia facile ex consequenti, cum dies ille singulis annis recurrens celebrior haberi soleat, sermo ad eum delabitur (cf. *Malv. Cod. Sa*, *Vav.*).

Tantis miseriis obrutus Iobus exoptat, ut nunquam natus fuisset. Optime notat *S. Chrys.* : « haec verba tamquam a moerente animo pro-

---

1. *Et maledixit* קִלֵּל conviciari, opprobriis impetere, cf. Ex. 22, 27. 2 Sam. 19, 22. Eccl. 10, 20, devovere diris, maledicere; adhibetur in membro parallelo cum אָרַר, et in oppositione ad בֵּרֵךְ Gen. 12, 3.

fecta consideremus; si enim illa locutus non fuisset, communis expers naturae videri potuisset »; sim. *Ol. An. S. Hier.* (ad Ier. 20, 14) *S. Ambr.* (de bono mortis cp. 2) — exoptat scil. eo sensu, ut dicat satius esse nunquam fuisse natum, quam tot tantisque adversitatibus esse obnoxium, eo modo quo Eccl. 4, 3 : « laudavi magis mortuos quam viventes et feliciorem utroque iudicavi qui necdum natus est, nec vidit mala quae sub sole fiunt ». Haec vero animi afflicti suspiria, quae Iobus tantae patientiae ex cp. 1 et 2 heros edit, simul egregie illustrant, in quantum dolores eius aucti sint et quantis probationibus fides eius ac in Deum pietas exerceatur. Proinde, ut quae sequuntur suspiria rite intelligantur, probe est et constanter ob oculos habendum, quod iam *S. Ephraem* ad Ieremiae locum similem (20, 15) et h. l. *Barh. Sanct.* (et ad 2 Reg. 1, 21. Ier. cp. 15. 20) monent, eiusmodi clamores et vociferationes acerrimi doloris magnitudinem testari, quae ululatibus effundi ac leniri soleat. Maledicit igitur, ut *S. Hilarius* dicit (in Ps. 119, 5), provectum se per incrementa corporis in has molestias corporei incolatus.

Iam suspirium hoc *utinam non natus fuissem* ita effert poetico modo, ut primo diem nativitatis et noctem conceptionis devoveat v. 3; deinde duplicem hanc v. 3 partem v. 4-5 et 6-10 latius prosequatur.

v. 3 « *Pereat dies, in qua natus sum, et nox, in qua dictum est : conceptus est homo* » —; i. e. utinam nunquam exstitisset! i. e. utinam nunquam natus fuissem! (*S. Thom.*). In hebr. magis est ad artem noctis prosopopoea *et nox quae dixit.* Illorum qui vehementibus animi affectionibus agitantur, est omnia congerere, exaggerare, accumulare verba, quibus sensa iterum iterumque prodant; unde etiam Iobus in hac una cogitatione *pereat dies* quasi fixus haeret, eamque in omnem partem versat et variis circumlocutionibus effert. Ita v. 4 et 5. v. 4 « *dies ille vertatur in tenebras* »; — hebr. *dies ille sit caligo* i. e. ne prodeat ex noctis tenebris, sed ibi maneat sepultus et absconsus; « *non requirat eum Deus desuper* ». — Deus est qui vocat diem, eumque educit ex noctis umbra et vulva, eum requirit et statuit, ut homo exeat ad opus suum. Deus igitur ne ponat illum in dierum numero neve illius ullam habeat rationem; est alius modus exoptandi ne unquam fuisset ille dies; « *et non illustretur lumine* »; — hebr. *ne fulgeat super eum splendor*; lucis splendor, ut olim exstitit Deo iubente (Gen. 1, 3), ita continuo recurrens quasi symbolum est Dei conservantis et administrantis mundum; quare si lux non effulgeat, dies non exsistet; unde optat Iobus, ut dies ille suus natalis nunquam a Deo evocatus, sed in perpetuis tenebris mersus fuisset. Idem alio modo v. 5 « *obscurent eum tenebrae et umbra mortis* »; — hebr. גאל i. e. iure quodam propinquitatis sibi vindicare (cf. Lev. 25, 25; 27, 13.

Num. 35, 12), occupare, redimere; dies ille, qui adeo nefastus et tristis exstitit, propterea interno quodam quasi consanguinitatis vinculo nexus est et indole sua accedit ad caliginem et umbram, quae sit calamitatis imago; unde aequum est, ut tenebrae id quod suum est sibi vindicent. Dies ille ater scil. suam ditionem ac familiam reliquit, unde ab ipsa i. e. a nocte et caligine est repetendus i. e. ex albo dierum expungendus. Cum usitata haec significatio גָּאַל et optime conveniat et non sine arte poetica sit usurpata, certe in ea est sistendum in qua et veteres versiones acquieverunt [1], neque opus est ad notionem contaminandi, polluendi confugere (גָּעַל?); *umbra mortis* i. e. tenebrae caeque densissimae, quales sunt sepulchri et inferni, quas mors inducit (*Cord.*); q. d. satius fuisset, si dies ille imis tenebris perpetuo immersus mansisset; idem dicit: « *occupet eum caligo et involvatur amaritudine* », — hebr. *incubet super eum nubes*; itaque nubes caeca et tetra illi se diei circumfundat, quae tristissimas tenebras efficiat (*Pin.*). Demum congerit omnia quae infausto diei possunt accidere incommoda : *involvatur amaritudine;* quae sit amaritudo, non adeo obvium est. Intelligunt densissimas nebulas, tempestates, procellas, quae diem faciant homini *amarum* (*Tir. Men.*), vel censent efferri extremae anxietatis et diei luctuosissimi exaggerationem (*Pin.*).

Prius quidem ad contextum et membrorum parallelismum satis est aptum, at qua ratione id ea voce dicatur, obscurum est; in altera explicatione vix placet, diem illum nunc extremo quasi luctui et acerbissimo dolori tamquam carnifici tradi ac devoveri, postquam antea, ut ne exstitisset quidem, exoptatum est, nisi dicere malueris, transitum fieri in aliud dirarum genus, ita ut qui antea interitui sit devotus dies, nunc si velit oriri, extremae irae et vindictae tradatur excruciandus. Si *animi commotionem* spectes, facile tibi persuadebis, omnia congeri quibus dicatur, quanto odio ipsi sit dies ille nefastus; unde in ultima explicatione acquiescere potes, quamvis *re* considerata, si diem natalem acerbitate involvi optet, se ipsum dolore obrui aperte desiderare videatur.

In hebr. *terreant eum* כְּמְרִירֵי יוֹם; verba haec non carent difficultate. Veteres quidem interpretes *amaritudinum* sensum ibi deprehenderunt [2] et aliqui (*Chald. Aq. vet. lat.*) particulam כ exprimunt, alii omittunt, unde vocem כְּמְרִירִים (מרר) interpretantur. Caph comparationis cum non satis aptum sit, alii caph quod veri-

---

1. LXX ἐκλάβοι αὐτὴν, *vulg. vet.* excipiant eam; *Sym.* ἀντιποιήσαιτο αὐτῆς, *Theod.* ἀγχιστευσάτω αὐτὴν. Attamen *Aq.* habet μολύναι αὐτήν polluat eum, sicut *Chald.* quoque.

2. *Chald.* terreant eum יְהֵךְ כְּמְרִירֵי יוֹמָא; LXX magis indeterminate καταραθείη (al. codd. ταραχθείη) ἡ ἡμέρα; *Aq.* ἐκθαμβήσαισαν αὐτὴν ὡς πικραμμοί; Syrus *amaritudines diei*, quod *Barh.* explicat : maledicant ei dolore afflicti; in qua ultima parte versio arabica concordat quamvis aliud *verbum* usurpet : expetant eum amari animo. *Vet. lat.* apud *Aug.*: conturbent eum quasi amaritudines diei.

tatis expressivum dicunt h. l. esse et vocari malunt. Aliter plerique tamen ex recentioribus vocem derivant, a radice scil. כמר, in qua etymologia ex aliarum formarum analogia[1] כַּמּ' scribi oportet. Ex significatu כָּמַר aestuavit, incaluit, adustus est, niger, obscurus fuit (cf. Gen. 43, 30. 1 Reg. 3, 26. Thren. 5, 10) colligunt sensum nominis : vel aestus et fervores i. e. venti urentes eum diem devorent, absumant, vel vapores calidi (cf. *Mar. Malv.*), vel atrores diei i. e. nubes atrae, cui ultimae explicationi (= Tagesverdüsterung) et *Hirz. Del. Le Hir, Zsch. W. P. Fürst L.* assentiuntur. Aliam coniecturam eamque haud spernendam proponit *Cod.*; vocem scil. derivat a כָּמָר cf. 2 Reg. 23, 5. Soph. 1, 4. Os. 10, 5 sacerdos idololatra = divinator, astrologus, genethliacus i. e. deterreant ab eo genethliaci, ut idem enuntietur de die, quod v. 8 de nocte praedicatur. At ex vocis forma et analogia potius *divinationes* dixeris.

Uti v. 4 et 5 diem, ita deinceps noctem exsecratur, alteram v. 3 partem latius explicans : v. 5 « *noctem illam tenebrosus turbo possideat* » ;— i. e. occupet, auferat noctem illam, obvolvat et deleat. Idem repetit ex vehementi animi commotione « *non computetur in diebus anni* ».

Legit S. Hier. certe אַל יֵחַד, sicut et *Chald.* (לָא יִתְיַחַד) et *Sym.* (μηδὲ συναφθείη) et forte LXX et *vet. lat.* (non sit) et *Syrus* (non inveniatur) transtulerunt. Textus masorae יִחַד ne laetetur, ne gaudeat, a verbo חדה Ex. 18, 9 (cf. *Malv.*); at prior lectio maiore sensus perspicuitate, facilitate, pondere probari videtur.

« *Nec numeretur in mensibus* », — hebr. *in numerum mensium* (lunarum) *ne veniat*; illam penitus optat exscindi. Certe cum Iobus diem natalem et noctem conceptionis ita devoveat, etiam annuam eius recordationem expungere vult; unde ratio haec a *Vav.* allata non est inepta : « festi dies alii sunt anniversarii, qui congruant cum solis ratione, alii qui a nova luna et reliquis menstruis spatiis pendeant quodammodo. Itaque neutrum tempus coli vult, utrumque nec anno nec mensibus annumerari ». Et omnino videtur sermo in subsequentibus ad annuam celebritatem referri ; nam quomodo nox illa ut sit *sterilis* (v. 7 hebr.), vel ut fiat infecunda, exoptari potest, nisi dicas noctem intelligi anniversariam? Sicut supra v. 5 diei imprecatus est mala, ita nunc nocti v. 7 « *sit nox illa solitaria nec laude digna* » ; — *sit solitaria* i. e. ne sit in ea ulla festivitas, ulla laetitiae causa, ne fiant chori vel saltationes, vel convivia ; tam horrida sit et tenebris circumfusa, ut nemo in illa audeat pedem limine efferre, iter aut

---

1. Cf. עַבְטִיט, שַׁפְרִיר, חַכְלִיל, etc.; ex versione *S. Hier.* fortasse aliquis coniiciet, eum בַּמְרִירֵי legisse, quamvis hoc a nullo alio exprimatur. Mitto recentiorum quorundam coniecturas (cf. *Hitz.*) mutantium et legentium vel כְּמְרִידֵי (– כְּמֹרְדֵי אוֹר cf. 24, 13) i. e. utinam caligo eum terreat, ut *deficientes a lumine*, vel « ut incantamenta » secundum arabicum מריר ; cf. *Hirz.* Rabbinorum coniecturas refert *Malv.* quas mitto.

viam ingredi, et ita se noctis quasi comitem constituere (cf. *S. Thom. Pin. Cord. Vav. Malv. Mar. Men.*).

Hebr. גַּלְמוּד videtur significare *sterilis* (cf. 15, 34, ubi *Aq.* et *Theod.* ἄκαρπος vertunt), *orbus liberis*; inde *desertus, solitarius* (cf. Is. 49, 21. infra 15, 34; 30, 3). At versiones veteres variant; *Chald.* : sit nox illa angustia (צַעֲרָא); LXX εἴη ὀδύνη (al. ὀδυνηρά); *Sym.* ἔκβλητος (quasi immunda vitetur?) *Syrus* : sit praecisa (orbata); ex quibus *S. Hier.* versio certe est maxime probanda.

Et quasi ipse solus non sufficiat ad diras imprecandas, ex affectus vehementia sibi advocat qui eum adiuvent : v. 8 « *maledicant ei qui maledicunt diei, qui parati sunt suscitare Leviathan* »! — loquitur ex populari opinione i. e. illi incantatores, qui artibus suis magicis diem reddere nefastum[1] possunt, cf. Num. 22, 6, imo qui ita praestigiis excellunt, ut non tantum serpentes, sed etiam *crocodilum* (Leviathan cf. infra 40, 20 sq.) audeant provocare et valeant suis fascinationibus edomare. Proinde potentissimum quemque malorum imprecatorem in suum consortium accersit.

Hic sensus et maxime obvius est et verbis aptus et contextui idoneus. Alii in universum *infelices* intelligunt, qui scil. quasi furiis agitati domesticis prompti sunt ad maledicendum (*Cord. Mar. Vav.*); alii viros lamentatores, qui mercede conducuntur in funere, ut plorent (*Sanct. Men. Gord. Calm.*); alii aptius ad morem Atlantum alludi censent, qui testibus Herodoto, Plinio, Mela, aliisque solem orientem diris proscindunt (cf. locos apud *Pin. Malv. Calm. Ros. Tir.*); at prima expositio simplicissima (*W. Zsch.*); spernenda quoque explanatio a *Del. Hitz. Renan* aliisque proposita de dracone coelesti, quem vulgus solis lunaeque devoratorem fingat in eclipsi, cum apud Hebraeos huius superstitionis nullum adsit vestigium; neque vacat multiplices veterum de Leviathan explanationes referre, cf. *Pin. Cord. Malv.*

Pergit noctem illam diris persequi, ita ut nunc naturalibus illam splendoribus a lunae stellarumque luce promanantibus frustrari ac penitus destitui postulet et tam densa caligine obtenebrari, quae nulla luce pelli possit (*Cord.*); ita v. 9 « *obtenebrentur stellae caligine eius* »; — sensum reddidit *vulg.*; hebr. *obtenebrescant stellae caliginis eius*, i. e. stellae quae in noctis caligine lucere solent, quae comites sunt et sociae (faces) tenebrarum[2] iam exstinguantur. Removentur scil. diris a nocte, quaecumque illam gratam reddunt mortalibus, et proin primo loco *stellae;* dein quod sit futuri diei nuntia et quasi vulva; unde :

---

1. *Barh.* exemplum affert Moysis, qui diem reddidisset gravem et fatalem Aegyptiis.

2. Cum נֶשֶׁף fere sit crepusculum vespertinum (cf. Prov. 7, 9. 1 Sam. 30, 17?), stellas cadentis noctis ornamenta prima intelligit. רְאֵה בְּ est videre cum delectatione et voluptate.

« *exspectet lucem et non videat, nec ortum surgentis aurorae* »! — hebr. *et non sit*, et in ultimo membro hebr. *et non delectetur palpebris aurorae*. Sit igitur nox illa horrore perpetuo circumfusa! Causam dirarum affert v. 10 « *quia non conclusit ostia ventris qui portavit me, nec abstulit mala ab oculis meis* »; — hebr. *vulvae meae portas* i. e. matris meae; quia non observavit uteri ostia et hac ratione non abscondit, non subtraxit miserias et aerumnas ab oculis Iobi, i. e. satius fuit, si non fuissem, ne in tanta inciderem mala! Hisce nexu obvio et psychologico iam praeparatus est transitus ad subsequentem desideriorum seriem.

b) Limbi requiem exoptat 3, 11-19.

Si vero oportuit participem esse vitae, utinam saltem quam primum exstinctus fuissem! Doloribus oppressus immoratur in mortis cogitatione et requie describenda cum voluptate quadam. Bene *Cord.* : « eandem imprecationem eleganti gradatione amplificat naturae ordinem secutus a conceptione ad nativitatem, a nativitate ad exceptionem sui factam ab obstetrice super genua, et ab hac ad lactationem procedens ».

v. 11 « *quare non in vulva mortuus sum, egressus ex utero non statim perii* »? —

Hebr. מִרֶּחֶם *ab utero*, statim a partu (*Cod. W.*). Cum interpretatione S. *Hier. in vulva* consentiunt LXX quoque ἐν κοιλίᾳ; et revera videtur hebr. etiam sic posse concipi, cum apud *Ieremiam* legatur : *qui non interfecit me* מִרֶּחֶם, *ut fieret mihi mater mea sepulchrum et vulva eius conceptus aeternus* (20, 17); appositio enim, qua mater dicitur fieri sepulchrum et vulva eius conceptu nunquam edendo oneranda, clare ostendit מִרֶּחֶם habere notionem *in vulva*. Ita nostrum quoque locum concipiunt *Ros. Del. Zsch.*; idque bene; neque enim censendus est Iobus in tam diligenti enumeratione novem illos menses in utero transactos silentio premere, vel sacer auctor in membro priore idem dicere, quod in altero exponit.

v. 12 « *quare exceptus genibus, cur lactatus uberibus* »? — i. e. « conqueritur sibi iam nato solita tenellae aetatis subsidia et infantilis infirmitatis fomenta fuisse impensa » (*Cord.*); hebr. *cur obvenerunt mihi genua*, vel obstetricis (*Pin. Cord. Cod. Mar. Malv.*), vel nutricis (*Ol.*), vel melius ex veterum more, qui iam Gen. 50, 22 cernitur, *patris*, qui recenter natum genibus excipere solebat (unde natos tollere, levare cf. *Var. Calm. Del. W.*). Hebr. *et quid* (cur) *ubera, ut sugerem?* Apte *S. Thom.* : « ostendit se abhorrere suam conservationem in vita, ut ex his manifestius ostenderet, quod vita eius ei sit onerosa ». v. 13 « *nunc enim dormiens silerem et somno meo requiescerem* ». — Mortis quietem ab aerumnis vacuam pluribus delineat, ut quantum appetat cessa-

tionem malorum eluceat. Huius loci amplificatio et exaggeratio ad animi commoti naturam prorsus est facta. Attamen immerito quis ex versibus 13-19 colligeret, Iobum omnium sortem in limbo vel inferno aequalem sibi finxisse. Istae enim loquendi formulae ex conditione loquentis et ex iis sunt interpretandae, quae magnis commotionibus affectuum animum subeunt et pulsant. Huius rei exemplum familiare habes in desideriis illis, quibus nos ipsi lassi fatigatique uti solemus, dum de mortis somno, de quiete sepulchri, de longa membrorum fessorum relaxatione loquimur. An audiens suspiria talia : eheu quantopere sum fatigatus; quam dulce erit diuturnum somnum in sepulchro dormire, et membra fatigata ad longam quietem in sepulchro componere etc., dicentem et gementem insimulabis falsae de morte et altera vita opinionis? An talia gemens vel ignorasse vel negare censendus est v. g. purgatorii poenas, quae eum pro dulci illo in sepulchro somno (quem tamen adeo expetere videtur) fortasse manent? Minime gentium! Et certe, si quis talia ex nostris suspiriis et gemendi quasi formulis inferret, aut irasceremur ei tamquam homini putido, qui verba premat contra loquendi indolem, aut irrideremus tamquam supra modum stultum, qui loquendi usum et consuetudinem nesciat. Quare valde mirandum, esse homines qui docti sint et tamen ad hoc loquendi genus non attendentes integrum quasi de orci natura apud Iobum systema ex eiusmodi suspiriis conficere posse sibi videantur.

Hebr. *quia tunc cubarem et quiescerem*[1], *dormirem, tum requies mihi foret.* v. 14. « *cum regibus et consulibus terrae* » ; — i. e. consiliariis ; deinceps varia hominum genera enumerat, quibus optata quies iam obtigit, quibus istam felicitatem et mortis requiem invidet, et ita in tranquillitatis desideratae descriptione animum suum tristi quadam oblectatione pascit; « *qui aedificant sibi solitudines* » ; —

Multum variant interpretes, vel de vastis aedificiis vel de sepulchrorum monumentis explicantes; idque iterum diversimode : « qui tam laxe tamque magnifice habitent, ut sint aedes vacuae maximam partem, in quibus vinaria, piscinae, nemora, quas solitudines appellant. In 15. annali Tacitus : *in modum solitudinum hinc silvae, inde aperta spatia et prospectus* » (*Vav.* sim. *S. Thom.*); vel « qui in loca deserta colonias deducunt » (*Mar. Sa, Cod.*); vel « qui arces aut urbes collapsas instaurant » (*Malv. Ros. W. P.*); vel, ut sit ironia acerba, ruinas exstruunt i. e. palatia magnifica mox tamen ruitura et variis casibus devastanda (*Le Hir, Zsch.*); de *mausoleis* et vastis sepulchris intel-

1. Argute *Pin.* : « cum hoc quietis nomine mortem compellari audio, omnibus bonis refertam quandam atque iucundissimam pacem post vitae peractam militiam post bellicumque negotiorum omnium tumultum intelligo; idque valde accommodate ad verbum שָׁקַט, quod frequenter ad pacem et cessationem a bello refertur ».

ligunt *Pin.* (qui multa de hac re ex veteribus affert) *Men. Cord. Calm. Hirz. Del. Hitz.*

Si verborum usum alias usurpatum spectes, ex Is. 44, 26; 58, 12. Ez. 36, 10 non poteris non interpretari cum *Malv.* et aliis urbes destructas et bello aut incendio desolatas instaurare (cf. etiam apud *Men.*)[1].

v. 15 « *aut cum principibus, qui possident aurum et replent domos suas argento* », — qui de mausoleis חרבות interpretantur, eodem sensu h. l. *domos* capiunt et alludi volunt ad usum, quo principes cum auri argentique thesauris sepeliri consueverint (cf. *Pin. Cord. Calm. Hitz.*). Ex qua interpretatione sensus est : Iobum, licet in extrema inopia moreretur nec divitum principum more ullam auream argenteamve supellectilem in sepulchrum secum deferret, non ideo tamen minus quam illos iucunde ac pacate quieturum (sim. *S. Thom.*). In nostra explicatione pronum est, describi potentiam ac divitias principum quos una tamen mortis sors maneat. Ad *eandem* sortem delineandam, qua mors omnes reddat aequales, confert abruptus transitus v. 16 « *aut sicut abortivum absconditum non subsisterem, vel qui concepti non viderunt lucem* », — i. e. ex vi vocis טמין (cf. Gen. 35, 4. Ex. 2, 12. Ios. 7, 21. 22) non tantum oculis hominum subductum, verum defossum, clam terra obrutum, proinde cum ignominia sepultum. Alterum membrum in hebr. *veluti infantes* (*qui*) *lucem non viderunt*. Etiam horum sortem longe esse praeferendam huius vitae suae tantis miseriis innuit. Demum quantopere quies et laborum cessatio praevaleat in morte et sepulchro, quanta ab omni molestia immunitate ibi omnes potiantur hominum ordines, iterato exemplis illustrans eius quietis maximum pandit desiderium v. 17 « *ibi impii cessaverunt a tumultu et ibi requieverunt fessi robore* », — *omnes* scil. ibi quiescunt. Ibi et feroces deposuerunt furorem suum (*S. Aug.*), ibi finis et saeviendi et tyrannidem in pauperes exercendi (*Pin.*), ibi labore et fatigatione fessi pariter respirant, requiescunt; dominiet servi eundem soporem placidum dormiunt; v. 18 « *et quondam vincti pariter sine molestia, non audierunt vocem exactoris* », — vincti quondam more mancipiorum et captivorum opus faciebant duri exactoris voce et flagellis impulsi et vexati, iam ibi a molestia et servitute vacui dulci perfruuntur quiete. Omnes, sive magnus et celeber quis fuerit sive parvus et ignotus, ex aequo et aequales (quasi iidem) ibi sunt; v. 19 « *parvus et magnus ibi sunt, et servus liber a domino suo* », — hebr. *parvus et magnus ibi idem;* ipse quo-

1. LXX legebant חרבות (gladii); inde *vet. lat.* qui gloriabantur in gladiis (*S. Aug.*); sed et *Chald.* et *Syrus* cum *S. Hier.* textui mas. calculum adiiciunt.

que *servus* liber est a servitutis iugo : quam amica igitur mors et quantis votis expetenda iis, qui aerumnarum pondere opprimantur! Optime iterato advertit *S. Thom.* : « non loquitur nunc nisi de quiete a malis praesentis vitae »; illis enim omnibus hanc quietem invidet (*Ol.*), quare totus est in ea amplificanda.

c) Querelis indulget 3, 20-26.

At vana sunt et incassum prolata haec suspiria. Mors exoptata non advenit neque cum beata illa quiete donat. Unde novis lamentationibus suas deflet miserias, quasi acerbo animo expostulans, cur lux et vita miseris ad nullum nisi cruciatuum usum sit concessa, cur mors nimium tarda, quamvis ardentissime expetita, non afferat liberationem. v. 20 « *Quare misero data est lux et vita his, qui in amaritudine animae sunt* »? — hebr. *cur dat afflicto lucem* sc. Deus. « Nam quid iuverit habere lucem qua non nisi damna et detrimenta conspicias, cui merito praeferenda sit caligo, quae tot mala occultaret atque absconderet » (*Cord.*)? v. 21 « *qui exspectant mortem et non venit* », — bene LXX οἱ ἱμείρονται θανάτου, et *vet. vulg.* qui desiderant mortem; « *quasi effodientes thesaurum* »; — sensum expressit *Hier.*; cum emphasi in hebr. *et effodiunt eam prae thesauris* (*Malv.*) i. e. mortem vel sepulchrum maiore cura quasi effodere sibi student quam si thesauros reconditos in terra[1] inquirerent. Dein magis etiam exaggerat, quanto desiderio miseri anhelent ad mortem : v. 22 « *gaudentque vehementer, cum invenerint sepulchrum* »; — hebr. *qui gaudent usque ad exultationem* (*Cod.*)[2], *gestiunt, cum invenerint sepulchrum.* v. 23 « *viro, cuius abscondita est via* »; — pendet sententia a v. 20 *quare misero data est lux et vita amaris corde*, postquam sententiis v. 21. 22 interiectis isti « amari anima » accuratius sunt adumbrati; quare Deus, ita Iobus conqueritur, dat vitam viro, i. e. mihi, qui circumdatus tenebris miseriarum nullam invenire possit viam, qua ad laetam felicemque vitam evadat (*Cord.*). cuius *via est abscondita* i. e. interclusa (*Vat.*), occultata, ut nesciat, qua iter faciat (*Cod.*), qua ratione e malis emergat (*Mar.*); « absconsio enim et interclusio viae significabit inextricabiles calamitates, ex quibus se expedire homo nequeat » (*Pin.*). Vel cuius vitae ratio, sors, conditio (*via*), cur tantis sit obvoluta aerumnis plane non possit intel-

---

1. Apte *Vav.* : « hoc simile praeclarum; nam sepulchrum sub terra est, et miseri perinde isti fodere dicuntur, ac si aurum alicubi defossum quaererent et eruere conarentur ».

2. Propter membrum subsequens et, ut dicendi tumor vitaretur, Houbigantius (notae criticae II, p. 156) coniecit גֵּל *tumulum;* quem alii secuti sunt; cf. *de Rossi* variae lectiones.

ligi; « *et circumdedit eum Deus tenebris* », — sensu eodem; in hebr. *et sepsit Deus circa eum* i. e. obsepsit ei et occlusit ei viam quasi obice transversum posito (*Malv. Mar. Cod.*), ita ut nullum evadendi mali effugium ei praesto sit, vel ut vivendi lex et ratio ei sit plane abscondita et ignorata. Prius tamen haud immerito *Pin.* aliique praeferunt, vel unum afferunt; bene confert *Cod.* Thren. 3, 7. 9; praeterea cf. Os. 2, 6 et infra 12, 14; 19, 8.

Iam affert causam, cur tantopere mortem expetat v. 24 « *antequam comedam, suspiro* », — in hebr. adest particula כִּי, « ut ex praecedentibus optima cum iis quae paulo ante protulit colligatio nexusque appareat » (*Cord.*). Sensus est : quantum vel quoties comedo, tantum vel toties suspiro ; tot suspiria emitto, quot panis vel cibi buccellas accipio, ita ut gemere et comedere mihi sit unum idemque (*Cord. W. Zsch.*) ; eodem modo in hebr. *nam ante cibum meum gemitus meus advenit* i. e. adeo gravis et perpetua est haec calamitas, ut ne cibi quidem aut ullius necessitatis causa dolores possim fallere et uno momento a gemitibus et suspiriis aberrare (*Malv.*).

Sunt, qui particulam לִפְנֵי *ad modum, instar*, i. e. panis cibique loco mihi sunt suspiria [1] interpretentur (*Cod.* teste *Vav. Del. Hitz. Le Hir*), sensu quidem haud incommodo; at recte advertit *Vav.* : « quod placet, *si probari potest simili locutione* ». Sed לִפְנֵי esse = ad modum, aliqua ratione suaderi potest usu, qui cernitur 4, 19; 1 Sam. 1, 16 (ne reputes ancillam tuam *quasi* unam de filiabus Belial) et fortasse Prov. 17, 18. Attamen cum hoc non adeo certum sit et h. l. veteres versiones omnes (cf. v. g. apud *Cord. Ros.*) uno consensu priorem explanationem voci subiiciant, tutius erit in illa acquiescere. Neque est ea ita impedita, ut aliqui, v. g. *Le Hir*, censent.

« *Et tamquam inundantes aquae, sic rugitus meus* » ; — sensum bene assecutus est *Hier.*; abundantia, vehementia, impetus clamorum eius designatur; hebr. *et effunduntur velut aquae rugitus mei* i. e. metaphora a leonibus ducta, immanes eius vociferationes, quales esse solent acerbe lamentantium. Rationem reddit suspiriorum v. 25 « *quia timor quem timebam evenit mihi et quod verebar, accidit* » ; — eodem modo vertunt LXX, *Aq. Sym. Theod.* [2] *Chald.* (*Hitz. Le Hir* ex recentioribus), unde haec ad Iobi vitam anteactam referunt, cum scil. vixisse conscium fortunae fluxae et labilis et timore perculsum, ne subitanea rerum mutatione miseriis affligeretur. At vix credibile videtur, Iobum

1. Simile quid fortasse *An.* indicat scribens : « fame et siti necabatur; nam manibus sibi cibum vel potum ad os porrigere non poterat; tametsi manibus ad os porrigere valeret, ore ac labiis putredine ac vermibus plenus recipere non valebat ».

2. Cf. quae adnotat *Middeldorpf* in opere : codex syriaco-hexaplaris, ad. h. l. p. 309. 607.

talia qualia nunc sustineat revera animo praesago iam antea exhorruisse, neque id ullo pacto 1, 5 innuitur, praesertim cum ipse nos de laeta spe edoceat, quam conceperat et quae olim fixa et firma eius animo insederat (29, 18-20). Neque verba hebraea ad tempus praeteritum necessario sunt referenda, id quod ex secundo membro יָבֹא לִי praecipue elucet. Unde videtur praeferenda recentiorum explicatio (*Ros. Del. W. Zsch. P.*) de *praesenti* Iobi conditione : quia timeo timorem et supervenit mihi i. e. novi continuo timores et angores ingruunt; si quem dolorem et terrorem perhorresco, statim eo percellor. Accedit, quod morbo elephantiaco laborantes continuis horroribus quasi terriculamentis exagitantur, unde apte prorsus Iobus talibus verbis miseram suam conditionem explicat. Et quae v. 26 subduntur in textu hebr., hosce terrores continuo ingruentes et inter se succedentes describunt : non habeo pacem, nec quiesco, nec requiesco ; venit enim pavor (*Malv.* II), vel melius et magis ad aerumnam proponendam : *non quievi, non fui tranquillus nec requievi et incumbit pavor* i. e. sine ullo quietis et cessationis intervallo saevities morbi me corrodit et continuo infestat. Bene LXX et *vet. lat.* « neque in pace, neque in silentio, neque in requie, venit enim mihi ira » (*S. Aug.*)[1]. Mirum est, *S. Hier.* in versione sua veterum vestigiis derelictis alium prorsus sensum insinuasse et per interrogationem posuisse : v. 26 « *nonne dissimulavi, nonne silui, nonne quievi? et venit super me indignatio*»! — id quod varie de Iobi vita anteacta explicant : patienter tuli omnia mala praeterita, quae igitur causa tam graviter me affligendi (*Tir. Gord.*)? vel : sincera fide semper Deo inhaesi, nulla simulatione usus, nec manus remisi, cum admovendae erant ad opus (*Calm.*); vel : muneri non defui, omnia boni principis munera sedulo explevi (*Pin. Cord. Vav. Men.*); sed certo *nonne dissimulavi* = nonne dolorem suppressi, me tranquillum, patientem exhibui? Ita enim sensus magis accedit ad textum originalem[2].

Nota. Paucis recensendae sunt interpretum sententiae, quibus explicare conantur, quo animo Iobus has querelas et diras protulerit. Et *S. Greg.* quidem in verborum sensu obvio et historico tantam invenit difficultatem, ut eo relicto statim ad allegoricam interpretationem se converterit, Iobum iam non suam deflere miseriam, sed causam totius humani generis et *culpae originem;* unde *pereat dies* i. e. « pereat spes ab apostata angelo illata, qui

---

1. Apud *Hier.* legitur : neque in pace *fui*... venit *autem* (Al. enim) mihi ira. — Unde ipse transtulerit *nonne dissimulavi*, difficile dictu, cum יָשַׁרְתִּי reddere soleat *opulentus* (16, 12), *felix* (21, 23), *fertilis* (1 Chron. 4, 40); forte = שָׁלָה ex aram. *errare, vacillare.*

2. Accepit *Hier.* הֲלֹא = לֹא, uti saepius לֹא in interrogationibus usurpatur; cf. supra 2, 10; infra 14, 16 (?). Ier. 49, 9. Ion. 4, 11. Thren. 3, 36.

diem se simulans ex promissione divinitatis emicuit, sed noctem se exhibens lucem nobis nostrae immortalitatis obscuravit; pereat antiquus hostis... *non requirat eum Deus* ac si aperte diceretur : quia ipse (angelus apostata) tenebras intulit, toleret sine fine quod fecit, nec unquam lumen pristini status recipiat »; et simili modo totum caput pertractat. Eadem fere in *exp. in.* leguntur : optat ut immortalitas per Christum redeat, quae per Adam deleta est... diabolum et mortem significat... diabolus lucem redemptionis Christi non cognoscat, etc. Eadem quoque in commentario *Phil.* apud *Rup. Br.*[1] et in *Glossa ord.* leguntur. Quae cum nullo modo *explicationem sensus S. Scripturae* quis dicere possit sed verborum ad alia accommodationem, iure omittenda esse hoc loco videntur, quamvis veritate nitantur, in quantum malum quodvis a diabolo ope originalis culpae sit invectum, qua culpa non exsistente calamitosi dies mortalibus non ingruerent. Neque ullo pacto verum est, Iobum non tam suas quam communes omnium mortalium miserias deplorare; quae sententia quibus placuerit, docet *Pin.* (p. 144), at recte idem monet, omnino suas lamentari Iobum calamitates, neque homini graviter aegrotanti atque dolenti tantum esse a re sua otii, aliena ut curet (sim. *Sanct.*). Multo vero magis illi a vero aberrant, qui lamentationes has *desperantis* esse dicunt et de divina providentia perperam sentientis, uti aliquos protestantes secutus etiam *Zsch.* asserere non dubitavit. Alii dicta ita emollire conati sunt, ut opinarentur, non proficisci ex Iobi sensu, sed ex supposito amicorum errore existimantium, neque bonis praemia, neque malis supplicia constituta esse post mortem (cf. *Lyranum*), aut Iobum ideo tantum exoptare, utinam natus non essem, ne mea causa Deus ab ullo iniustitiae accusaretur. Qui explicandi modus certe non eget refutatione. Neque illud in subsidium vocari potest, quo aliquoties *Ol.* et *An.* (et fere etiam *S. Chrys.*) utuntur ad emolliendas imprecationes, Iobum non maledixisse rei tunc exsistenti, sed iam non exsistenti et penitus elapsae, et proinde cum *nihil* maledixisse (cf. *An.* c. 511).

Ceterum quem supra exposuimus modum, generatim iam proponunt et bene tuentur *Ol. An. Chrys. S. Thom.* et plerique latinorum interpretum et *W. P.* Ad quam sententiam ulterius elucidandam haec notanda sunt :

1° Gravi hac querela Iobum voluisse amicis suis posterisque omnibus testatam facere dolorum suorum acerbitatem, ostendendo illos ipsa vitae carentia et mille mortibus longe molestiores gravioresque exsistere, adeo ut satius esset, nunquam fuisse natum, quam tot tantisque miseriis obnoxium (*Cord.*).

2° Locutiones et clamores esse levamen dolorum. Unde bene *An.*[2] : « loquebatur ore ea quae nec Deo nec angelis eius sanctis nec coelo neque terrae

1. Melius Petrus Blesensis rem proponit (*M.* 207, 822) : « maledicit Iob primae nativitati suae, in qua homo conceptus est per culpam, genitus ad miseriam, natus ad poenam. Divinae siquidem animadversionis antiquum iudicium sequens conditionem humanae naturae damnatam a mundi exordio in se damnat, non ut maledicat,... sed ut se merito afflictum... recognoscat ».

2. Sit simul specimen eius interpretandi generis et verbositatis.

hominibus neque pelago neque aeri neque ullis quae sunt in natura ad aliquam contumeliam profecerunt. Loquebatur nimirum quasi miseriam ventilans, quasi aerem verberans, quasi dolorem deferens, quasi extaediatus et molestiam passus atque anxius pro vehementioribus passionibus et fortioribus doloribus. Locutus est tamquam quilibet in dolore positus quaerens remedium. Tamquam quis in dolore dentium aut oculorum aut aurium frequenter parietes unguibus exarat, frequenter etiam semetipsum ungulis exulcerat prae nimietate doloris quem sustinet corrosis ossibus et palpebris atque auribus : sic et beatus Iob cum perforarentur ossa eius et liquefierent carnes eius, locutus est maledicens diem qui non erat... quia nisi ita amare defleret Iob poenas ipsas atque dolores, non utique aestimaret homo neque crederet, quod ita aspera et amara fuissent ei ipsa supplicia atque tormenta » etc. (c. 513 cf. c. 515). Hac ratione ipse Iobus vociferationes suas intelligi vult, cf. 6, 3. 5-7. 26 (hebr.); 7, 11; 10, 1; 13, 13. Quare apte *Cord.* : « iustissimam ob causam in tantis afflictionibus rationem seu partem hominis superiorem laxare appetitui inferiori habenas querelarum, ut sic dolor internus qui erat pene intolerabilis in verba querula foras erumpens paululum leniretur » ; sim. *S. Ephr. Barh.*

3° Non opus esse, ut ad Iobum excusandum cum aliquibus (cf. *Pin. Cord. Tir.*) subtiliter discutiamus, in quantum et quibus cautelis adhibitis liceat alicui creaturae maledicere. Haec sufficiant, quae inter alia habet *Tir.* : « quin et maledicere ex zelo iustitiae creaturis rationalibus non qua tales, sed qua impiae sunt, et ob ingentia quae procreant mala, non est peccatum. Unde non est quod hic confugiamus ad locutionem indeliberatam, quasi haec Iobi verba fuerint solius sensus aut affectus *inferioris*, nam etiam rationis et partis superioris verba esse constat ex praedeliberato exordio totoque orationis discursu ».

4° Abs re quoque esse, cum aliquibus discutere, quomodo Iobus licite potuerit desiderare, ut in vulva matris moriatur peccato scil. originali oneratus sine ullo salutis remedio — nam frustra quis in lamentationibus subtilitates quaerit theologicas, neque dolorum clamores ad rigidam normam et sonum verborum exigendi sunt, sed *psychologice* interpretandi i. e. habita ratione, quomodo homines communiter loqui soleant in affectuum commotionibus.

5° Neque omittendum esse, quod bene monet *Calm.* : « familiarem orientalium sermonem magis vividum esse, igneum magis ac patheticum, quam nostrum [1]. Res exprimunt phrasibus, quae multo infra significationis vim explicandae sunt, ut iusto sensu reddantur. Phrasibus ita vividis, ut modum superare videantur, frequentissime utuntur Psalmi ». (Sim. *Sanct.* non aliud valere ait istas maledictiones, quam interiectionem *heu, vae.*)

6° Advertendum, non esse in V. T. eam *perfectionem* exspectandam, quae propria sit indoli novi foederis. In eo utique « ibant Apostoli gaudentes,

1. Quae res illustratur modo illo, quo dolorem externe produnt vestibus scissis, laceratione ungularum, tunsione pectoris, capillis evulsis, humicubatione, cineris pulverisque aspersione, adhibitis praeficis, etc.

quia digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati »; in eo *gloriatur* S. Paulus de tribulationibus, et omnibus dicitur : omne gaudium existimate si in multas tribulationes incideritis etc.: at Christi patientis exemplo nondum proposito tantae perfectionis et doctrina et virtus V. T. erat prorsus impervia.

Uti igitur sacrae continentiae et virginitatis decus in viris sanctis V. T. non requirimus, cum probe sciamus ad N. T. excellentiam et maiorem plurium mysteriorum cognitionem et altiorem pertinere sanctitatem, ita summae prorsus ac *christianae* patientiae laus in Iobo non est postulanda, neque ullo pacto *amor crucis*, qui ascetis christianis iure quidem culmen est perfectionis, priscis illis temporibus est exspectandus. *Defectum* igitur *perfectionis christianae* libentissime in Iobo agnoscimus et fatemur, uti eundem in ceteris quoque V. T. sanctis deprehendi ac cerni nemo negabit. Unde Iobi verba laude digna esse non contendimus. Immo eius sermones non omni culpa caruisse asserimus, aliquos vividiores et acerbiores et audaciores fuisse quam par erat facile damus; quare in disceptationis fine et a Deo fuit reprehensus et seipsum vituperavit. Verum de iis postea commodius sermo redibit. Interea haec satis; ex quibus iam patet, nos minime illi affirmationi *Pinedae* calculum adiicere, ex *perfecta in Deum charitate* Iobi querelas proficisci, quippe cum vehementissimo amore flagrantium sit « ratione et iudicio cum eo quem amas velle contendere, signa amoris mutui in altero desiderare, languentem alterius amorem accusare, alterum dicere inimicum, crudelem etc. » — quae omnia in amore profano et apud poetas in eroticis utique occurrunt, sed quis voces amore libidinoso insanientium usurpare audebit, ut probet Iobum fuisse sanctissimi amoris divino vulnere saucium? aut quis sibi persuadebit, eandem esse rationem amoris profani et divini, ita ut *Deo* aliquis dicat, quod poeta : o crudelis Alexi, nihil mea carmina curas? nil nostri misereris, mori me denique cogis? Tamen *Pineda* hisce aliisque ex *Tibul. Theocrit. Virg. Ovid. Catul.* depromptis et amorem profanum eiusque vicissitudines spirantibus dicta Iobi non solum illustrarei verum perfectam in Deum et absolutissimam prae se ferre charitatem demonstrare nititur, meo quidem iudicio a vero aberrans. Neque si sancti N. T. *familiariter* quandoque conqueri de Deo solebant, id statim ad Iobi querelas explicandas usurpari potest, quod iam inde elucet, quia Iobus in fine non caruit divina reprehensione.

PRIMUS DISPUTANTIUM CONGRESSUS

(Cap. 4-14).

I. DISCEPTATIO CUM ELIPHAZ. Cap. 4-7.

1. SERMO AB ELIPHAZ HABITUS. CAP. 4.5.

Arg. — Non consolatorem sed accusatorem agens Eliphaz Iobum impotentis impatientiae et simulatae pietatis arguit (4, 1-6), eumque ad impietatis suae agnitionem adducere studet argumento prolato, *non affligi malis nisi improbos*, id quod primum ab experientia et analogia persuadere conatur (4, 7-11), dein revelatione sibi facta comprobat (4, 12-21) et iterata assertione affirmat (5, 1-7). Quare monet Iobum, ut humiles pro culpa preces ad Deum fundat eiusque castigationem suscipiat (5, 8-16), quod si fecerit, divina benignitate et multiplici benedictione eum cumulatum iri promittit (5, 17-27).

a) Iobus arguitur impietatis 4, 1-11.

Et primo quidem Eliphaz « artificiose utitur praefatione, cum ut Iobi animum ad ea quae dicturus erat benevole accipienda disponeret, tum ut verbis suis maiorem vim ac pondus adderet » (*Cord.*). v. 2 « *Si coeperimus loqui tibi, forsitan moleste accipies; sed conceptum sermonem tenere quis poterit* »? — i. e. ne sit tibi molestum, si querimoniis tuis sane gravissimis respondere aliquid incipiamus; sed quis posset se a locutione cohibere in verbis a te propositis? cum tu scil. tantam sermonis materiam dederis, quis sibi a responsione vel disputatione temperare posset (cf. *Cord. Malv. Men.*)?

Hebr. הִנָּסֶה ex masoretica nota ad Deut. 4, 34 et (quod pluris est faciendum) ex veterum versionum[1] consensu positum videtur scriptione aramaizante pro

1. i. e. *Aq. Theod. Sym.* (cf. apud *Ol.* et in cod. syr. hex.), *Syri* (saltem probabiliter : si excam [incipiam] tecum loqui); LXX paulo liberius μὴ πολλάκις σοι λελάληται; *vulg. vet.* ne forte loquamur tibi in molestia. Aliter tamen *Chald. Houbigantius* emendat בנסה vel לי *experiendo verbum moleste feres?*

הִנָּשֵׂא (uti fert phrasis נָשָׂא דָּבָר, נשׂא מושׁל), id quod grammatice vel est futurum 1 p. pl. vel passivo modo : an profertur verbum.

Verbum נָסָה proprie est *tentare* (ita *Chald.* intellexit) proin vel : num si tentaverit quispiam loqui verbum ad te aegre feres (cf. *Malv.*)? vel : num si tentatur verbum; neque tamen verti potest : num tentabimus? quod certe נִסֶּה erit scribendum.

Porro hebr. *ut cohibere se in verbis quis valebit?* bene sensum expressit *vet. vulg.* ex LXX : « pondus autem verborum tuorum quis sustinebit »? i. e. cum tu talia sis locutus, quis imperare sibi possit, ut taceat? « oratio ista desperantis et indignantis animi atque divinam providentiam criminantis vel ab invitis responsionem extorquet » (*Pin.*).

Molestus sane consolator, qui non animi compatientis suavitatem sed acerbam reprehensionem offert et ita nova molestia Iobum exagitat. Bene *S. Thom.* : « exaggerat eius impatientiam ex duobus, scil. ex praecedenti doctrina, et ex praecedenti vita : ex doctrina, quia turpe est homini cum non servat id ad quod alios inducit ». Obiicit ei ex trito illo adagio *medice cura teipsum*, exprobans quod ipse aliorum doctor et castigator turpiter impingat (*Cord.*). v. 3 « *ecce, docuisti multos* »; — i. e. erudivisti et officii admonuisti multos, si succumbere viderentur; prout Iobus de se profitetur 29, 15. 21. Eliphaz proinde ipsum doctrinae suae praevaricatorem ostendere nititur, ut qui dum opibus floreret, alios quidem solitus sit ad tolerantiam instituere et validis rationibus confirmare, nunc vero miseria tentatus ipse concidat et verae patientiae disciplinam, ad quam hortator aliis exstitisset, repellat (*Cord.*). Eandem animi deiectionem et in miseriis oppressionem dicunt, quae sequuntur et comparatione efferuntur : « *manus lassas roborasti* »; — i. e. languentes, terrore ac desperatione confectos erexisti solatio; illis addidisti animum; te ipsum nunc fortem praesta (*S. Ephraem*). v. 4 « *vacillantes confirmaverunt sermones tui* »; — hebr. *impingentem;* sensu eodem i. e. afflictos et pene iam prostratos cohortatione tua consolatus es; minus apte aliqui (*Mar. Tir.*) eos intelligunt qui ad bene operandum et officio suo gnaviter fungendum remissi ac tepidi fuerint, vel in peccata prolapsi. Sensu eodem « *et genua trementia confortasti* »; — varium et multiplex solatium praebuit Iobus tristibus. Hoc ultimum de maxima quadam calamitate explicat *S. Thom.* « tremunt enim genua homini magnum pondus portanti ». Neque abs re est, quod adnotat *S. Greg.* : « cuius celsitudinis Iobus fuerit, qui indoctos docens, lassos roborans vacillantesque confirmans inter curas domus, inter multiplicium rerum custodiam, inter affectus pignorum, inter studia tot laborum, erudiendis se ceteris impendit »! Quantum ipse a praeclaris suis monitis defecerit Iobus, acerbe ei exprobrat v. 5 « *nunc autem venit super te plaga et defecisti; tetigit te et conturbatus es* ». — Immo longius progressus exinde eum arguit

fictae ac fucatae sanctitatis, quae in adversitate, qua velut aurum in fornace probari debuerat, penitus fatiscens defecisset (*Cord.*), et iam audet Iobi pietatem probris incessere (*Cod.*); interrogat scil. sarcastice v. 6 « *ubi est timor tuus, fortitudo tua, patientia tua et perfectio viarum tuarum* »? — ubi iam est pia tua in Deum religio? quasi dicat: nunc ede aliquod eius documentum, si vera in te est pietas! ubi est enascens illa, ut ipse docuisti alios, ex religione fortitudo, animi robur, tolerantia e fiducia in adversis; an revera censes vias tuas fuisse rectas et perfectas coram Deo? ecce, nunc ipsa iam calamitate manifestum est, larvas illas fuisse ac umbram inanem i. e. fictas virtutes. Ita quidem ex *vulg.* sensus facile fluit.

Textus hebr. non in verbis singulis, verum in unius particulae ו collocatione intricatus est; ita enim ad verbum: *nonne pietas tua* (timor religiosus) *fiducia tua, exspectatio tua et consummatio* (integritas) *viarum tuarum?* Prius membrum planum est: nonne in pietate tua securitas et fiducia tua continebatur? cui plane congrueret: et nonne integritas tua certam spem tuam et bonorum exspectationem constituebat? et ita *Malv. I. W. Hitz. Zsch. P.*; in v. 6 b *praedicatum* emphasis gratia primo loco ponitur, cui *subiectum* cum particula ו additur (cf. 23, 12). Alio modo *Del.*: annon religio tua (est) fiducia, spes tua? et integritas viarum? ita ut hoc alterum per modum exclamationis vel aposiopesis addatur. Alii recogitantes ו apud Hebraeos etiam ipsam saepe apodosin introducere ac vestire (sicut germanicum *so* post sententiam conditionalem v. g.), ita rem enodant: quod attinet tuam spem, certe haec erat integritas viarum tuarum. Alii particulam abundare (?) malunt, aut eam expungunt, aut *et exspectatio* cum LXX et aliquibus codd. scribunt (*B.*), quod utique commodissimum est. Aliam adhuc viam inivit *Malv.* II, utramque sententiae partem tamquam comparatione constantem exhibens, ita ut semel comparationis particula desit, semel pro ea (ut fit) ו usurpetur: annon ut religio tua spes tua, exspectatio tua ut integritas viarum tuarum? quasi dicat Eliphaz: piae religionis et vitae integrae certa spes est et exspectatio; si ergo pie coluisti Deum et probe vitam instituisti, cur spem abiicias? sin abiicis, male conscius sis necesse est. Sed satis de una particula ו.

Ex hebr. כִּסְלָה in Ps. 85, 9 declaratur versio LXX et *vet. lat.*: nonne timor tuus stultus est? (*Syrus* similiter: nonne timor tuus reprehensio tua) at dubium non est, quin כִּסְלָה h. l. sit ex כֶּסֶל 8, 14; 31, 24. Prov. 3, 26. Ps. 78, 7, etc. interpretandum, ut optime *S. Hier.* cui recentiores omnes adstipulantur.

Bene sensum exhibet *Phil.*: « ista ergo in sanctum Iob cum irrisione dicuntur, et istum habent sensum: si haec fecisses quae dixi, nunquam in haec tam mala ad exemplum mortalium incidisses, quia Deum rerum omnium conditorem bonum scimus et iustum ». Ad quod probandum pergit v. 7 « *recordare, obsecro te, quis unquam innocens periit, aut quando recti deleti sunt* »? — tamquam rem notissimam supponens, neminem sine sua culpa affligi; molestissimus sane consolator, qui dicat talia; unde *Sanctius* aliique non immerito censent, amicos a daemone subornatos esse, ut ea ratione Iobum lacesserent et ut per

eos tandem ipse daemon exoptato potiretur eventu. Forma loquendi *recordare, obsecro* est ad animum pungendum facta, quasi dicat : ecce deiectus es subito a fortunae et prosperitatis culmine; sed tibi in mentem reduc notissimum illud axioma quod est extra omnem dubitationem positum, et fatere culpam. Hunc esse sensum, etiam subsequentia probant, unde bene *Rup.* : « per hypocrisin virtutes illas eum habuisse criminatur ». Scite adnotat *Vat.* : « sententia duplex; prima : omitte moerorem; desertam esse innocentiam Deus non sic patitur, ut non aliquando laboranti opituletur. Altera : si culpa a te abesset, nihil damni fecisses; calamitates enim praesertim graves nullas, qui culpa vacant, accipiunt. *Atque haec germana expositio est* ». Id quod iam experientia probat v. 8 « *quin potius vidi eos, qui operantur iniquitatem et seminant dolores et metunt eos* »; — hebr. *ut vidi* (quotiescunque vidi) *arantes iniquitatem et seminantes molestiam, metunt illud* i. e. e contra ubique vidi, omnes sementem ut fecerint ita et messem; uti enim versu praecedenti negarat insontem ullum periisse, ita his affirmat eos omnes qui iniquis studiis se manciparunt, a Deo fuisse muletatos; *arare* i. e. mente concipere iniquitatem, eam praeparare, secum decernere : *seminare* i. e. moliri, exsequi (cf. *Pin. Cord.*).

Iam qualem messem huiusmodi faciant, ita explicat, ut non sine acrimonia ad ipsius Iobi fata et infortunia alludat cf. 1, 19; v. 9 « *flante Deo periisse et spiritu irae eius esse consumptos* » ; — repentinum peccatorum interitum describit eandem allegoriam pertexens. Sicut enim peccatoris conamina et iustam punitionem seminantis metentisque metaphora explicuit, ita hic per ventum et tempestatem segetibus exitialem (cogita *ventum urentem* cf. Ier. 4, 11. Ez. 17, 10; 19, 12. Os. 13, 15. Amos 4, 9) Dei vindictam et supplicium denuntiat (cf. *Cord.*). Bene notat *Vat.* connexos hos duos in vulg. versus (8. 9) melius ex hebr. et LXX versione seiungi, uti etiam in *vet. vulg.* : « quemadmodum vidi arantes pessima et qui serunt ea, dolores metunt sibi. Praecepto Domini peribunt et spiritu irae eius demolientur ». Alia dein metaphora a feris rapacissimis petita Dei potentiam, qui facile ferocissimum quemque domat et confringit, et vindictam divinam in malos exercitam describit, qua funditus ipsi et eorum tota familia et posteri deiiciuntur, exstirpantur; v. 10 « *rugitus leonis et vox leaenae et dentes catulorum leonum contriti sunt;* v. 11 *tigris periit, eo quod non haberet praedam, et catuli leonis dissipati sunt* ». — Acerbam in hac comparatione contineri allusionem ad Iobum eiusque mores duros, ad filiorum eius excidium, ex mente Eliphaz interpretes communiter et merito statuunt (iam *S. Greg.* et *exp. in. Rup. Br. S. Thom. Pin. Cord.* etc.) uno *Vat.* contradicente, qui solam divinam potentiam in pessimis quibusque evellendis adumbrari hisce vult.

In quinque nominibus explicandis non est una omnium sententia. שַׁחַל alii intelligunt pantheram (ut graecus Osee interpres, *Cod.*), alii pardum, leopardum, leonem ferocem (cf. *Malv.*); recentiores aliud *leonis* nomen quasi sollemne explicant ex arabico, ut sit *rugiens*. לַיִשׁ (in *vulg.* h. l. tigris; sed Is. 30, 6 et Prov. 30, 30 leo) etiam est *leo*, uti ex Is. 30, 6 simul cum לָבִיא (leaena) colligitur. Ceterum notum est, veteres versiones in reddendis nominibus sibi minime constare; v. g. graeca versio לַיִשׁ h. l. reddit μυρμηκολέων (quam vocem *vet. lat.* retinuit), in Isaiae loco et Prov. σκύμνος λέοντος.

Rugitus meminit et *dentium*, quibus quam maxime terrorem et necem inferunt, quos (per zeugma) evelli et conteri[1] dicit. Facile quoque est Deo inopia et fame enecare leonem eiusque stirpem ac sobolem exscindere. Bene *Malv.* : « triplex a leonibus capta metaphora fortitudinem, ferociam, crudelitatem impiorum et tyrannorum mundi fractam et comminutam demonstrat ».

b) Visione idem probatur 4, 12-21.

Eliphaz, ut dictis suis fidem et auctoritatem conciliet (*Ol. Br. Cord. Var.*) et simul obiectionem praecaveat, quam Iobus ex sua petere posset innocentia (*exp. in. S. Thom. Pin. W.*), revelationem sibi factam in testimonium adducit. Et primo quidem a v. 12-16 *modum* enarrat huius revelationis sibi factae totum ad reverentiam et sacrum quendam horrorem factum, dein *doctrinam* acceptam proponit. Disputant veteres, utrum vera fuerit revelatio, an ab Eliphaz conficta, et si vera, utrum a Deo vel angelo bono, an a daemone immissa. Fusius de hac re argumentis in utramque partem perpensis agunt *Sanct.* et *Pin.*, qui demum concludit : « sed asserendum sane, potuisse hanc esse veram ac divinam revelationem, cum multa vera atque utilia contineat. Sic videtur accipere *S. Gregorius*[2] et *Philippus* presbyter,

---

1. Verbum נָתַע certe idem est ac נָתַץ; neque opus est ad לתע et singularem anomalam recurrere; cf. *Malv. Ros.* — *Hitz.* נִתְּעוּ scribi vult; sed hac coniectura carere possumus; cur enim *niphal* non sufficeret?

2. De *S. Greg.* tamen valde est dubitandum; notum est, eum asserere, amicos Iobi haereticorum figuram gerere, et nostri loci explicationem ita orditur : « verbum absconditum haeretici audire se simulant, ut auditorum mentibus quandam praedicationis suae reverentiam obducant », mox : « saepe haeretici dum altiora dicere conantur, ipsi sibi testes sunt, quia quae proferunt vera non sunt; in nocturna quippe visione dubie cernitur » et ita etiam in subseq. cum contemptu loquitur v. g. « semetipsos simulant timere quod fingunt, quia de doctrinae suae altitudine miri videri appetunt, quasi pertimescunt quae fingunt,... vultum se vidisse incognitum simulant... Deum sibi imaginaliter fingunt ». olum propterea visionis verba subtilius disserere vult « ut subtilius discernamus quomodo ea quae de perceptione veritatis dicuntur, a recte sentientibus proferri veraciter possint », proinde innuit simulatam istam visionem *verae speciem* prae se ferre.

in idemque propendent *S. Thom.*[1], *Burgensis* in annotatione contra Lyram, Carthusianus aliique iuniores; atque adeo ipse Eliphaz ex multis signis quae fidem suis dictis facere possent, illam confirmat ». Et certe cum nemo malus sit praesumendus nisi probetur, cum visio ipsa signa quaedam habeat, ut notat *S. Thom.*, angeli boni, cum doctrinam sublimem contineat, non est, cur visionem non habeamus veram et divinitus immissam. Quod Eliphaz ex visione vera conclusit falsa (cf. *Vav. Gord.*), nihil ad ipsius visionis auctoritatem convellendam valet. Gratis etiam a quibusdam fingitur hanc visionem ipsi fuisse oblatam post nuntium de Iobi calamitate acceptum, ut ea per diaboli fraudem de causa eius edoceri se putaret[2].

Praemittit prooemium, quo magnum aliquid, sollemne, mysterii plenum exspectatur; v. 12 « *Porro ad me dictum est verbum absconditum* »; — hebr. *et ad me verbum furtim delatum est* (surreptum est; ita *Malv. Mar.*) i. e. abscondite, clanculum, secreto; ipse scil. nescit, qua via ad eum perlatum sit; id unum scit, inopinato, clam, subito contigisse; « *et quasi furtive suscepit auris mea venas susurri eius* »; — optime sensum dedit *Hier.*; ita scil. vocat sibilum quendam tenuem et exilem fractae vocis (*Cord.*); hebr. *et suscepit auris mea susurrum ab* (ex) *eo*, i. e. sonum illum exeuntem quasi a verbo clam ad eum perlato. Dein adiungit *temporis* conditionem nocturni adeoque propter quietem congrui ad revelationes suscipiendas et ad sacrum quendam horrorem incutiendum; v. 13 « *in horrore visionis nocturnae, quando solet sopor occupare homines* »; — hebr. magis ad vivum dicitur: *in ramusculis ex visionibus noctis* i. e. in cogitationibus visionum noctis (cf. *Cord. Cod. Malv. Le Hir*); optime explicat *Cord.*: « vox שעפים eleganti metaphora ex supereminentibus arborum ramusculis desumpta ad phantasmatum extremitates et veluti teneras cogitationum summitates suam extendit notionem et significat cogitationes, quae sunt veluti rami, germina et conceptus mentis »; videtur vox potissimum densam illam et variam ramificationem significare, quae per somnia animos hominum pervadere et occupare solet; frequenter quoque antiquis temporibus revelationes inter dormiendum et somniandum sanctis viris a Deo concedebantur; cf. Gen. 2, 21. 15, 12. 28, 12. Num. 12, 6. Neque deerant alia revelationis et apparitionis supernaturalis signa, *timor* scil et tremor (cf. Gen. 15, 12. 28. 17. Is. 6, 5. Ez. 2, 1. Dan. 7, 15; 8, 18; 10, 7. Apoc. 1, 7). v. 14

1. S. Thom. fuisse a spiritu bono diserte asserit: « per hoc ergo quod dicit *vocem quasi aurae lenis audivi* consolationem quandam sedantem pavorem praeteritum demonstrat, *ut per hoc visio demonstretur esse a spiritu bono, non a malo* ».

2. Hoc iam innuit *exp. in.* « divinum secretum ex revelatione mihi ostensum est, i. e. causa poenarum tuarum ». — Acerbissime in Eliphaz invehitur *Cod.*

« *pavor tenuit me et tremor et omnia ossa mea perterrita sunt* »; — timorem dicit intimum quo ipsa quoque ossa horrore fuerint perculsa et omnia interiora eius (immo ipsae partes quam maxime solidae) cohorruerint; bene *Cord.* profert illud Virgilianum : gelidusque per ima cucurrit ossa tremor.

Hac ratione ipse in animo est iam praeparatus ad revelationem illam alta mente reponendam. Accedunt signa quaedam externa, et primo quidem *afflatus* quidam et ventus, quo tangebatur et novo horrore perfundebatur; ita scil. v. 15 « *et cum spiritus me praesente transiret, inhorruerunt pili carnis meae* »; — simili ratione in visione Eliae facta ante Dominum spiritus grandis ac fortis subvertens montes et conterens petras fuit (3 Reg. 19, 11, cf. Act. 2, 2); nam de *vento* esse hoc dictum (uti bene explicant *Ol. Pin. Vav.*) et non, uti multi volunt, de angelo patet, cum dicat *transiret*, quo facto demum v. 16 « *stetit quidam cuius non agnoscebam vultum, imago coram oculis meis* »; — proinde de visione angeli habita nihil omnino dicit. In hebr. magis adhuc indeterminate : *stetit* (*es* stand da; *Hitz.* confert ex Terentio : *statur*) *et non agnovi speciem eius, imago ob oculos meos* i. e. postquam ventus pertransiit, constitit ante eum umbra quaedam seu forma obscura, cuius figuram habitumque clare ac distincte cognoscere non potuit; « *et vocem quasi aurae lenis audivi* »; — sensum bene reddidit *Hier.*; *hebr.* dicitur per hendiadyn : *silentium et vocem* vel potius *susurrum et vocem*[1], vocem tenuem et sibilum (*Malv.*) *audivi.*

Iam quid voce illa et revelatione sibi dictum fuerit, exponit v. 17 « *numquid homo Dei comparatione iustificabitur* »? — in hebr. particula מִן in utroque membro legitur, quam *Hier.* in hoc *Dei comparatione* et « *factore suo purior erit vir* »? — in altero expressit. Verum sensus esse non potest, hominem non esse iustiorem, puriorem quam Deum, cum hoc nimis sit apertum neque sane revelatione tanto cum prooemio inducta indigeat. Bene hac in re *Cod.* : « male vertunt *plus quam Deus.* Nemo enim tam delirus, tam vesanus fuit qui hominem plus quam Deum iustum esse vel suspicatus sit. Et sequentia mentem Eliphaz satis explicant : non potest iustificari homo apud Deum, cum ne angeli quidem apud illum puri reperiantur ». Sensus proinde est : nemo *coram* Deo omnino est iustus et purus, i. e. Deus in unoquoque etiam integerrimo multa deprehendit quae reprehendat, arguat. Vera sententia. Quod alii volunt : nulla ex parte homines possunt comparari cum divina iustitia et puritate[2] (*Malv. Mar.*), rem non attingit; nam

---

1. *B.* censet corrigendum esse ex 3 Reg. 19, 12 veqol demama; insuper vult legi « coram oculis meis *terror* »; sed *imago* unice apte ponitur; v. 16 a secundum LXX corrigit.
2. Sim. *S. Greg.* : « humana iustitia divinae iustitiae comparata iniustitia est, quia et

ex notione et essentia Dei et hominis iam apertissime hoc constat, neque ullo pacto potest homini vitio verti, quod *divinam* iustitiam et sanctitatem non habeat. Optime graeca versio expressit hebr. בִּן ἔναντι κυρίου et *vet. lat.* « numquid homo coram Domino mundus erit aut ab operibus suis sine macula vir »; eodem enim modo particulam בִּן cernimus adhibitam Num. 32, 22 (quem locum bene vertit *S. Hier.* : et eritis inculpabiles *apud* Dominum et *apud* Israel, LXX ἔναντι) et Ier. 51, 5 (repleta est [terra] delicto *a* Sancto Israel) et probabilissime etiam Ps. 18, 22 (hebr. non impie egi coram Deo) et Deut. 32, 47 (hebr. verbum inane coram vobis); neque hoc alienum est a nativa particulae significatione, cum saepe adhibeatur *de auctore ex quo* vel *a quo* aliquid proficiscatur et proinde facili inflexione *ad auctorem iudicii vel aestimationis* transferatur (cf. *Gesen.* Thes. ling. hebr. s. v. בִּן). Nostro autem loco *numquid homo iustus est a Deo, a creatore suo purus* de Deo tamquam *iudice*, qui de hominis iustitia et puritate ferat iudicium, esse sermonem, quis est qui non admittat?

Iam quid haec sibi velint ex mente Eliphaz et ad quam falsam conclusionem ab ipso detorqueantur, dilucide proponit *S. Greg.* qui mentem et animi sententiam Eliphaz qua de Iobo iudicat, ita explicat : « quisquis de percussione murmurat, quid aliud quam iustitiam ferientis accusat ? puriorem se ergo vir factore suo existimat, si contra flagellum querelam parat, eumque sibi procul dubio postponit, cuius iudicium de sua afflictione redarguit. Ut ergo homo reprehendere non audeat iudicem culpae, hunc humiliter cogitet auctorem naturae, quia qui mire ex nihilo hominem fecit, factum impie non affligit... male enim se rectum putat qui regulam summae rectitudinis ignorat ; et saepe lignum rectum creditur, si ad regulam non ducatur, sed cum regulae iungitur, per quantam tortitudinem tumescit, invenitur » (sim. *Rup. Br. S. Thom. Est. Pin. Cord. Tir.*). Fallacia proinde argumentationis Eliphaz haec est, ut verbis utar *Gord.* : « Deus est iustissimus, atqui qui talis est innocentem non punit, ergo Deus non puniret Iobum, si innocens esset ; — peccat in minore » ! Quam culpae agnitionem et confessionem quo reddat Iobo faciliorem et magis expeditam, hanc revelationem ei enarrat, cuius altera pars magis etiam et magna cum emphasi priorem sententiam illustrat tamquam *per locum a maiore* : ecce ipsi coram Deo deficere cernuntur angeli :

v. 18 « *ecce qui serviunt ei* » ; — servos hos *Chald. S. Aug.* prophetas interpretantur, « sed propter secundam partem sic exigente sententia

---

lucerna in tenebris fulgere cernitur, sed in solis radio posita tenebratur » ; et *exp. in Rup.*, et ut videtur, *S. Aug.* — Sed bene iam notat *Pin.* ; « non video quomodo hic sensus cohaereat cum proposito Eliphaz, neque qua ratione ex hoc possit colligere Iobum merito a Deo puniri aut non debere de divina iustitia conqueri ».

angelos intelligi oportet qui servorum instar dicuntur Deo aut ministrare aut assistere » (*Pin.*) ; « *non sunt stabiles et in angelis suis reperit pravitatem* » ; — versio graeca magis accedit ad *verba* hebr. κατὰ παίδων αὐτοῦ οὐ πιστεύει et *vet. lat.* « contra servos suos non credit » ; hebr. non fidit, fiduciam non habet, i. e. non omnino certam et firmam in iis collocat boni spem et fiduciam, unde *S. Hier.* sensum ex consequenti, bene proposuit (et niphal נאמן firmum, fixum, stabilem esse), cum enim ex se et natura sua sint *mutabiles*, deficere possunt a recto, unde recte dicitur more humano, non omni modo illis esse fidendum.

Sed de *quibus* angelis hoc dicit? apostatas intelligunt veteres interpretes (cf. *S. Greg. Chrys. Thom.*, etc.) ; recentiores quidam angelos bonos (*W. Del. Zsch.*). Sed hoc ultimum non placet, cum angeli boni sint nunc de facto immutabiles in bono, neque quod habeant naturam de se mutabilem, aut illis possit in vituperationem cedere (nam omnis natura creata de se naturaliter est *in potentia* ad alia et de se defectibilis, id quod ex ipsa notione creaturae colligitur ; unde si hac in re esset ulla reprehensio, haec caderet in ipsum conceptum metaphysicum et in Deum qui creaturas de statu possibilium ad exsistentiam traducit), aut verbis textus hac sola naturali et necessaria mutabilitate satisfiat. Vim vero argumenti bene videtur proponere *Oll.* : « ne mirere inquit, quod dixi : *homo mundus non erit coram Domino*, quandoquidem neque angelis, servis ac famulis eius, ut naturaliter et constanter reprehensione carerent, concesserit » ; describuntur enim angeli tamquam in ipsa probationis conditione aliquando constituti, in qua multi sint prolapsi, unde Deus dicitur illis non fidere, quia et natura deficere possunt et multi revera defecerunt (cf. *Malv. Mar. Tir.*). Et quia in illo statu considerantur h. l. in quo erant aliquando, scil. in statu probationis, servi Dei et angeli dicuntur, quamvis ipso peccato daemones sint effecti ; quare argumentum a *W.* aliisque prolatum, h. l. angelos prolapsos non intelligi, quia servi Domini dicantur, infirmum prorsus est et invalidum. Iam *Phil.* monet, ne quod dicatur h. l. ad omnes extendatur angelos. Quantae vero efficaciae haec ab angelorum lapsu petita probatio sit, pluribus prosequitur *S. Thom.* ad h. l. : « cum angeli enim natura sua inter ceteras creaturas Deo, bono immutabili et primae rectitudini, magis et propinquius inhaerere videantur et proinde magis stabiles reddantur et magis ab omni obliquitate sint remoti, et nihilominus prolapsi sint, multo minus homines stabiles erunt et alieni a pravitate » (sim. *Cord.*).

Ἅπαξ λεγ. hebr. תְּהֹלָה versio gr. reddit σκολιόν τι, *Sym.* ματαιότητα, *Syrus* (stupor, admiratio, pavor) *Chald.* ut *Hier.* ; alii *insipientiam* interpretantur eo scil. sensu, quo in s. literis peccatum dicitur stultitia (cf. 2, 10) ; alii defectum, errorem ex arabico תהל vel והל — *Del.* vocem repetit ex verbo הלא = הלה (cf. Mich. 4, 7) in lon-

ginquum propellere, unde *remotionem* a perfectione debita, a meta et norma proposita interpretatur[1].

v. 19 « *quanto magis hi* » — « si angelos, inquit, peccantes poenis coercuit, quid mirum si nos peccata admittentes plectamur, qui longe illis inferiores sumus a terra oriundi, circa terram volutamur ». *Ol.* Unde conditionem vilem et fragilem hominum describit, ex qua duo consequuntur : homines facile in peccata labi, et iam propter ignobilitatem naturae non esse mirum, si debitis poenis plectantur, cum naturae superiores et lapsae sint et poenis traditae ; « *qui habitant domus luteas* », — alludit ad Gen. 2, 7 ; 3, 19 corporisque formationem, cf. 10, 9 ; 13, 12. 2 Cor. 5, 1, quare pergit, « *qui terrenum habent fundamentum* » ; — hebr. *quorum fundamentum* (origo) *est in pulvere* (vel *quarum*? « aptius ad domos refertur quae corpora sunt caducissima et velut arenae instabili superstructa » *Malv. Pin.*), « *consumentur velut a tinea* » ; — sensum bene explicuit sua versione *Hier.*, homines scil. peccatores dicit Eliphaz conteri et absumi corrosione, acerbe alludens ad Iobi corpus elephantiasi corrosum et absumptum. Comparatio videtur abbreviata : homines absumi, sicuti soleant vestimenta a tinea cf. 13, 28. Is 31, 8, 50, 9.

Hebr. *conterent eos* (eas?) scil. conterentes לְפָנֵי־עָשׁ, quod *Chald.* vertit *coram verme* i. e. absumentur vermibus proiecti, quasi iis ad devorandum propositi (sim. *Mar.*), alii *ante tineam* i. e. antequam a vermibus absumantur in sepulchro (*Malv. Il. Vav.*) ; *Cod. ad conspectum*, occursum *tineae* i. e. re quavis obvia ; veteres similitudinis notam ibi deprehenderunt ; LXX σητὸς τρόπον, *vet. lat.* « percussit eos tamquam tinea », et ita etiam plerique interpretum. Cum *tinea* in huiusmodi comparationibus (cf. 13, 28 ; 27, 18. Is. 50, 9 ; 51, 8. Os. 5, 12. Ps. 39, 12 hebr.) semper usurpetur ad destructionis causam, celeritatem, ambitum, perniciem significandam, aliorum explicatio *conteruntur tamquam tinea* vel *antequam tinea* i. e. citius, facilius quam tinea, erit reiicienda[2]. Neque haec consumptionis metaphora (cum *S. Thom. Pin. Cord.*) *de peccato*, per quod iustitia in homine corrodatur et consumatur, accipi poterit ; nam si Eliphaz dicere vellet, homines *peccato* destrui, certe id quod rem constituit omittere non potuit, neque enim unquam peccatum in s. literis tineae vel nomine vel metaphora describitur, ideoque iste loquendi modus, cum exemplo illustretur nullo, etiam hic non potest admitti, et demum versu subsequenti excluditur, qui consumptionem illam magis accurate describit et explicat. Quod demum illi in v. 19 desiderant (mentionem sc. peccati non fieri, quae

1. Vetustioribus etiam placuit vocem derivare a הלל = gloriatio, laus, et dein in hoc membro negationem ex priore supplere (cf. *Malv. Vav. Pin.*). Sed in etymologia dubia et obscura veterum versionum usui, qui optime etiam sensui congruit, tuto est inhaerendum. — De versione gr. notat *Cod.* : « hunc solum versum ex integra visione nocturna Eliphae graecus interpres intellexit ; in reliquis ita caecutivit, ut videatur ipse cum Eliopha hoc spectro et terriculamento perturbatus ».

2. *B.* mutat textum et supplet : « conteret eos ante tempus, consumet gloriam eorum, ut tinea ». Sed audacius hoc est, neque id verum : « suppletione omissa nullus remanet sensus ».

tamen necessaria sit, ut conclusio praemissis respondeat), id v. 20 si opus est invenire poterunt *quia nullus intelligit*; vel v. 21 *et non in sapientia*.

v. 20 « *de mane usque ad vesperam succidentur* » ; — i. e. cito, inexspectato (cf. Is. 38, 12. Ps. 89, 6) homines peccatores e conditione florenti deiiciuntur et interitu percelluntur; acerba iterum allusio ad Iobi calamitatem [1], in cuius ruina adeo et repentina et ingenti Eliphaz certissimum cernit documentum ingentium quoque criminum a Iobo perpetratorum; apte *succidentur* (exscinduntur) metaphora ab arboris excisione depromitur; « *et quia nullus intelligit, in aeternum peribunt* » ; — ex versione *S. Hier.* ratio redditur, cur funditus et penitus casu irreparabili i. e. nullo unquam tempore ad salutem revocandi intereant.

Bene *S. Hier.* supplevit ad phrasin hebr. מְשִׂים verba לֵב vel עַל לֵב i. e. ponens (apponens) cor, i. e. intelligens, particulam *quia* ex מִן eruens; locutio tamen hebr. *ita, ut non (sit) intelligens, in aeternum pereunt* i. e. nullo advertente, nullo considerante, nullo curante — etiam ita potest intelligi, ut impiorum ruina impii adhuc prospere agentes non edoceantur; qua in explicatione Eliphaz Iobum acerbe carpit, quia impiorum casus subitaneos noverit, uti dixerat v. 7, neque tamen monitus iustitiam didicerit [2].

Aliis placet explicare : ita subito corruunt, ut nemo advertat; id quod apte dici posse nego : nam ex Eliphaz sententia ruina impiorum est illustris, conspicua; potius sensui congrueret, *antequam quis advertat*; sed illos *subito* corruere, iam in membro antecedente dictum est. Explicatio *S. Hier.* optimum quidem sensum prae se fert, attamen secundum grammaticae rationem durior est ob numerum singularem qui statim plurali excipiatur, cum tamen ii ipsi qui non advertant et quia non advertant, interire dicantur. Illa vero, quam *Cod.* propugnat [3], *quamvis nemo manum admoveat* i. e. per se sua sponte corruunt, quamvis nemo violentas manus eis iniiciat, ab indole locutionis hebr. aliena est. *Vet. lat.* exprimit ex graeco : « et quod non possent sibi ipsi subvenire, perierunt ».

Impiorum interitum Eliphaz ulterius describit v. 21 « *qui autem reliqui fuerint auferentur ex eis; morientur, et non in sapientia* » ; — i. e. si qui impii sunt, certe auferentur, etsi non omnes una clade, uno tempore, una vice interimantur; si ex una adversitate incolumes evaserint, alia demum interibunt.

---

1. Bene *S. Chrys.* : « illud *a mane usque ad vesperam* vel ideo dictum est, quia Iobus uno die omnia sustinuerit, vel ut ostendat Deum non indigere tempore, ut de impiis supplicium sumat ».

2. Quare immerito *B.* textum secundum LXX mutat scribens : mibb'li mosi^{v} cum non sit salvans.

3. Miror, inquit, tam facilem, tam obviam, tam idoneam et appositam interpretationem nulli interpretum vel hebraeorum vel aliorum venisse in mentem.

Hic sensus videtur ex lat. vers. sat commode fluere (cf. *Sa*); alii *reliquos* interpretantur impiorum posteros, filios, nepotes, haeredes impietatis (*Cord. Men. Tir. Gord.*), at iure iam advertit *Pin.* vocis hebr. proprietatem aliud suadere; est enim יִתְרָ, quae vox praeter illam significationem duplici alio usu valet : *funiculus* (v. g. tentorii, nervus arcus) et *abundantia*, praestantia, excellentia. Unde duplici modo versum interpretantur; alii per modum metaphorae, uti Eccl. 12, 6 : *nonne disruptus fuit* (vitae) *funiculus in eis?* quasi ligamen illud quo anima corpori sociatur (cf. *Malv.* I. *Hitz.*), vel corporis quasi tentorii (cf. v. 19) funiculo amoto et disrupto, ipsum tentorium, ipsa habitatio terrestris aufertur (cf. *Hirz. Del. Renan* ; alii etiam plures : quidquid est excellentiae in iis, amovetur (cf. *Pin. Cod. Mar. Malv.* III-VI. *Ros.* W. *Zsch. P.*); sed cum abscindendae vitae metaphora etiam infra occurrat 6, 9; 27, 8 et apud Is. 38, 12, et magis videatur et ad artem poeticam et ad significationem verbi נָסַע accedere, prior explicatio praefertur. Altera eo potest commendari, quod ad Iobi fatum alludatur : nonne quidquid est iis eximii, in iis (ex iis, ab iis) abripitur (et tum moriuntur, quasi dicat : prius omnibus bonis spoliantur, dein misere et sine resipiscentia diem obeunt.

Neque calamitate ad meliorem frugem revocantur, sed quod miseriae culmen est, sine Dei timore qui sit initium simul et culmen sapientiae (Eccli. 1, 16. 22 ; 19, 18 ; 21, 13 ; 23, 37 ; 40, 28) misere decedunt. Uti igitur v. 20 dixerat, impios *aliorum* castigatione minime erudiri, ita nunc gradatione quadam proponit eos ne sua quidem ipsorum ruina edoctos perire. *Vet. lat.* « interierunt quia non habebant sapientiam » verum ex consequenti sensum praebet, at hebraeum non tam causam affert cur moriantur, sed in qua conditione obeant.

Ceterum quamvis Eliphaz vera quadam revelatione edoctus fuerit, nemo tamen non videt, quam intempestiva sit et importuna simul et cruda istiusmodi ad Iobum monitio, qua eius animus potius exulcerari debuerit quam leniri (cf. *Cord.*). Nam si durum est atque nimis acerbum, etiam scelestum hominem, simulac debitas poenas luere inceperit, admonere quantopere talia meritus sit, quanto magis alienum erit ab omni humanitatis sensu et sana ratione, hominem qui integritatis laude iure meritoque apud omnes floruerit, tanta criminum insimulatione obruere et flagellis addere nova eaque duriora flagella?

Non omnino constat, utrum haec omnia a v. 17-21 ad visionem nocturnam sint referenda. Ad illam referri plerique quidem volunt (*exp. in. S. Thom. Cord. Cod. W. Del. Le Hir. Hitz. P.*), dum alii iam uno v. 17 revelationem absolvi affirment; at certum omnino est v. 18 de angelis illi esse attribuendum propter ipsius argumenti sublimitatem; a v. 19 autem Eliphaz loqui mihi videtur: primo, quia illis iam conclusio quaedam et applicatio doctrinae propositae continetur, et deinde, quia sermo acerbis allusionibus ad Iobi fata conditus ad Eliphaz indolem plane est conformatus (cf. 4, 9-11 ; 5, 4 ; 15, 34), qui

postea quoque eandem prorsus conclusionem ex eadem veritate proponit (15, 15. 16), dum revelationis indoli haec applicatio et allusio minus congruere mihi videatur.

c) Solos puniri impios asseritur 5, 1-7.

5, 1 « *Voca ergo, si est qui tibi respondeat, et ad aliquem sanctorum convertere* ». — Nexum ita adstruo : Eliphaz adhortatione finita aliquid intervalli ponit, ut discat, num Iobus se reum fateatur. Ille tacet ; unde concludit eum nondum agnoscere suam culpam. Quare in suo instituto pergit et primo quidem ironice monet, ut querelas et clamores iteret et usu discat, vanos illos esse et inanes sine fructu; neminem, neque Deum, neque angelorum quemquam curam et rationem illorum habere ; ad quem igitur suae causae patronum et advocatum vult confugere? Hebr. *et ad quem ex sanctis te convertes*? quis est qui tibi opem ferat, tuas partes iam suscipiat ? ecce, omnes frementem et maledicentem abiiciunt et superbum spernunt. Angelos intelligit, quos antea Dei filios vocavit s. auctor. Hoc autem iure fieri contendit v. 2. Nemo enim peccatoris obdurati curam gerere vult, quippe qui suo ipsius furore et stultitia tamquam pondere suo corruat. v. 2 « *vere stultum interficit iracundia* » ; — hebr. כִּי etiam verti potest : *quia stultum*. Simul vehementem increpationem Iobo impingit, stultum scil. tantum hominem et insipientem in tales clamores prorumpere et inani ira tabescere (sim. *Men. Tir.*) ; « *et parvulum occidit invidia* » ; — hebr. *et fatuum enecat furor* (indignatio *Mar. Malv.*) ; bene *Cord.* : « animadverto eo te prorupisse vesaniae, ut tuus te furor interimat ». Non esse sermonem de ira Dei (ut vult *Chald. Sa*), patet ex Iobi responsione 6, 1 ; neque opus est cum plerisque lat. interpretibus *invidiam* proprie intelligere, quasi Iobus *invidiae* insimularetur, cum de hoc vitio nihil in subsequentibus neque in Iobi responsione dicatur, hebr. vero קִנְאָה *zelus, aemulatio, indignatio vehemens* latius pateat.

In hebr. non adest *ergo*. Magna est interpretum varietas in verbis istis connectendis. Vel : audisti quid ego censeam de sorte tua ; si mihi non credis, aut Deum aut angelos voca, si quis tibi aliter respondeat (*exp. in. W. Zsch.* sim.) ; vel cum irrisione : quia talis es, quantumvis clames, neminem habebis adiutorem et patronum (*S. Greg. Rup. Cod. Hitz.*) ; vel : quid clamas, Deus nunquam tibi respondebit (*Ol.*) ; vel : voca aliquem qui tuam causam defendat, vel qui tecum sentiat, Deum innocentes etiam affligere ; nemo tuam aget causam; vel : ne cuncteris, si cuiusquam testimonium in tui defensionem proferre possis (*Sa, Mar. Malv. Men.*) ; vel : si non intelligis quae ego dico, Dei sanctorumque auxilium implora, ut te vera edoceant (*S. Thom. Pin.*) ; vel : Deum consule et ad aliquem sanctorum convertere,

qui errorem in quo versaris a te auferat (*Cord.*). Tot igitur fere sensa, quot capita, uti *Pin.* iam conqueritur.

Deinde iterata assertione affirmat, impios subito puniri et corruere. Vult scil. Iobum, sin minus novis argumentis, saltem assertionibus obruere; unde post duram increpationem (v. 1) et comminationem (v. 2) pergit v. 3 « *ego vidi stultum firma radice* »; — iterum ex usu et experientia sua arguit. Florentem antea hominis impii conditionem « comparat cum arbore patulis diffusa ramis, onerata baccarum pondere et frondium amoenitate conspicua, quae cum firmissimis esse nixa viderentur radicibus, nec ab ullo ventorum turbine convelli posse, ipsa tamen eradicationi proxima sit » (*Cord.*); « *et maledixi pulchritudini eius statim* »; — i. e. subito tamen corruit et in tantam miseriam prolapsus est ille, ut Dei maledictionem debuerim agnoscere omnemque eiuss tatum florentem viderim foeda ruina vastatum; sensus est, uti Ps. 36, 35. 36.

Ita iam *Malv.* IV. et recentiores, dum interpretes lat. (*Pin. Cord. Vav. Sa, Mar. Men. Tir.*) exponunt : « male ominatus sum, ex illo statu florenti nihil boni auguratus sum, statim vidi eum debere mox corruere » et sim. Interpretationis discrimen vertitur in acceptione versuum 4 et 5, quos de *re praeterita* recentiores plerique intelligunt, hi vero ex mente Eliphaz *praedici* filiis quoque ex patris casu mala obventura volunt. At recentiorum expositio omnino est praeferenda. Eliphaz enim non ex animi sui sensibus et imprecationibus, sed ex usu et rerum quas vidit notitia argumentum ducit; dein ea ratione solum optime v. 6 et 7 subiunguntur; demum futura in hebr. יְחֻתַּקּוּ etc. eodem modo subnectuntur et explicanda sunt, quo וָאֶקֹּב *et maledixi* post רָאִיתִי. De voce נָוֶה bene disserit *Pin.* : « alii fere omnes praeter vulgatum vertunt *habitaculum*, et quidem ab ipso nostro interprete vertitur *habitaculum* infra 8, 6 et *habitatio* Is. 33, 20; *locus pascuae* Ps. 22, 2; *requies* pastorum Soph. 2, 6; *speciosa* deserti Ier. 9, 10. Ioel 1, 19; 2, 22; *area* pacis Ier. 25, 37; *rura* Ier. 23, 3 ». Aliqui praeferunt h. l. *area*, *campos* (*Hirz.*), sed *habitatio* commendatur propter Iobi calamitatem, ad quam in toto hoc loco acerbe alludit Eliphaz. Ita vertunt *Malv.* I. *Cod.* (*locum eius*) *Vav. Cord. Calm. W. Del. Zsch. Le Hir, Hitz. P.*

Quam late viderit impii hominis calamitatem serpentem, exaggerat v. 4 filios familiamque simul cum eo interiisse et v. 5 eius divitias ac possessiones esse direptas.

v. 4 « *longe fient filii eius a salute* »; — i. e. facti[1] sunt, et ita in subseq. (uti bene *Cod. Malv.* VI.); a prosperitate aberant neque quisquam iis auxilium praestitit aut illorum causam sustinuit, cum coram tribuna-

1. Uti iam monet *Ol.*, et *Theod.* vertit κατεκλάσθησαν, dum *Aq.* et *Sym.* interpretantur per fut. vel imperativum (cf. cod. syr. hexapl.).

libus iustas scelerum poenas luerent ; « *et conterentur in porta et non erit, qui eruat* » ; — i. e. contriti sunt a iudicibus, ab ipsis damnati et sontes habiti ; fiebant enim olim iudiciain portis civitatis, cf. Gen. 34, 20. Deut. 22, 24. Ruth 4, 1. Amos 5, 10. Prov. 22, 22 (cf. *Pin. Cord. Cod.*). Alii minus apte ad rem et consuetudinem *publice, in loco publico* explicant ; neque probanda est versio gr. et *vet. lat.* « et conterantur super ianuas », cum שַׁעַר *portam* dicat vel urbis vel templi et sim. vel saltem sine addito de domibus privatorum (Prov. 14, 19) non adhibeatur.

v. 5. « *cuius messem famelicus comedet et ipsum rapiet armatus et bibent sitientes divitias eius* » ; — i. e. comedit ; opes iam collectas extranei, inopes, pauperes avide absumpserunt ; ita scil. res eius erant omni defensione destitutae, ut vagus quisque illas raperit, vel cuilibet praedoni (*armatus*) in obviam cesserint praedam et a latronibus avidissime sicut vini poculum sint exhaustae ; prein indicat, omni modo et clanculum et palam, vi et dolo, opes eius funditus esse dissipatas. Ita sensus *vulg.* (cf. *Pin Cord. Vav.*).

Textus hebr. *atque adeo de spinis eripuerunt eam* (cf. *Malv.* [1] *Mar. Pin. Cod. Vav. Le Hir, Del.*) i. e. impius ille et avarus homo circumsepserat res suas, at frustra [2] ; LXX *spinas* videntur metaphorice intellexisse et pro אֶל legisse אֵל (?) vel לֹא, habent enim, uti etiam vet. lat. *ipsi vero de malis non liberabuntur.* צְמִים *sitientes* explicarunt praeter S. *Hier. Aq. Sym.* et etiam *Syrus* ibi *sitim* deprehendit a voce צָמָא *sitiit*, in qua significatione (ergo = צְמֵאִים) etiam recentiores multi acquiecunt ; alii *Chaldaeum* secuti *latrones, praedones* exponunt, vel ibi *cincinnatos, crinitos, hirsutos* i. e. homines feros barba et capillis onustos (a צָמָה ?) deprehendere sibi videntur (cf. *Pin. Malv. Cod.*) ; alii (etiam *Hitz.*) ex 18, 9 et membro parallelo פַּח *laqueus* voci eandem significationem vindicant i. e. laqueus quasi anhelat, ut eius opes et praedam capiat ; id quod certe durius dictum est, sed inde praedonum significatio facilius flueret ; *Del.* demum ex *laquei* significatione derivat sensum *laqueum* i. e. *dolos, astutias nectens.* At veterum explicatio et facilitate et membro parallelo et verbo שָׁאַף commendatur.

Demum axiomate generali docet, non fortuito vel casu neque sine ratione sufficiente mala ingruere, sed illa unice ex peccatis oriri ; idque non sine sarcasmo ; v. 6 « *nihil in terra sine causa fit* » ; — i. e. quanto minus tanta Iobi ruina sine culpa eius ! « *et de humo non oritur dolor* » ; — res adversae hominibus a numine malorum vindice immittuntur, non

1. Versionum *vulg.* ita student explicare : noster respexit significatum nominis צִנִּים pro *pellis, scutis, clypeis* seu *contis* (vide 1 Sam. 17, 7) et intellexit his *armatum* (*Malv.* sim. *Pin. Vav. clypeati*). Ad *arma* vocem etiam referunt *Chald. Aq. Sym.*

2. Quare *B.* hoc membrum immerito eiicit, quippe quod « quoad sensum non placeat ». Houbigantius vero emendat : et manipulum eorum armati.

sponte sua et casu crescunt, sed iacto prius peccati semine (*Cord.*); vel quasi quaerit : si dolores tui non sunt poena scelerum, unde demum originem habent? certe non ex pulvere et nihilo orti sunt, cum divina providentia mundus gubernetur. *Vulg.* sensum bene exhibuit ; prius hemistichium in hebr. *quia non egreditur ex pulvere molestia* et alterum *et de terra non germinat aerumna*. Sed homo ipse sibi exitium parat. Id proponit et illustrat : v. 7 « *homo nascitur ad laborem* ». —

In nexu logico assignando multum variant interpretes. Modo dixerat, dolorem עָמָל non nasci e terra; proinde consequens est, illum ab homine ducere originem ; dicit ergo hominem natura sua ita comparatum esse, ut ipse sibi paret et attrahat laborem, naturae scil. impulsu eum propelli facile ad scelus committendum, ex quo necessario dolor et exitium enascatur. Hanc naturae propensitatem illustrat comparatione « *et avis ad volatum* » : — i. e. uti avis naturae instinctu ad volandum apta est et incitatur, ita homo naturae pondere facile fertur ad peccatum, et exinde devenit in dolorem. Unde aliqua ratione verum est, quod *Ol.* dicit, haec proferri ad Iobum consolandum. Si communis enim naturae vitium est peccare, non adeo erit difficile Iobo id fateri et scelerum veniam precari ; et ita ad v. 8 Eliphaz sternit sibi viam. Iste nexus quem iam *Caietanus* (apud *Pin.*) indicat et *W.* proponit, e re ipsa facile fluit.

Alii censent hoc axiomate Iobi impatientiam incusari : non est, cur ira efferaris; nam homo natus est, ut dolorem sustineat, et proprium est ei adversis conflictari (*Cord. Men. Malv. Calm.* et iam *S. Chrys.*); alii : non esse mirum, si mali patiantur, cum omnes homines ad laborem nascantur (*Mar.*). Singulare est, quod *Pin.* placuit : Iobum incusari, quod sine labore divitias comparare voluerit, cum tamen homo ita sit ad laborem natus et damnatus, ut nihil sine sudore comparare debeat[1]. In altero hem. hebr. *et filii scintillae elevant volatum*, ita *Malv. Cod. Pagninus, Mar. W. Del. Zsch.* — Alii *filii prunae, Arias, Calm.*

Veteres autem versiones h. l. רֶשֶׁף *volucrem* vel *alitem rapacem* intelligunt, quae significatio ex voce עוף in fine versus tantum coniectura quadam eruta esse videtur, cum ea neque ad alios locos apta sit neque a plerisque aliis in locis usurpetur; Cant. 8, 6 omnes *flammam* vel *lampades* vel *prunas* exprimunt, *ignem* Ps. 77, 48 vel *fulgura*; *potentias* arcuum, melius *fulgura* arcuum (i. e. sagittas) legimus Ps. 75, 4. Hab. 3, 5 *Hier. diabolum* in sua versione expressit, secutus (ut ipse narrat ad eum locum) rabbinorum placita רֶשֶׁף inter daemonis nomina[2] recensen-

1. Vel, quod habet *Br.*, Iobum in eo peccasse, quod voluptati et deliciis deditus filios comessationibus et ebrietati operam dantes non redarguisset, cum tamen homo ad laborandum natus sit.

2. Uti iam in uno Targum ad Iobi locum prostat, dum alterum scintillas et prunas h. l. commemorat; cf. Polyglott. Londin. t. 3. p. 10; et *Levy*, Chaldaeisches Woerterbuch II, p. 21 b.

tium; solum Deut. 32, 24 et LXX et *Onqelos* et *Vulg.* et Hab. 3, 5 *Aq. Sym. Theod. Syrus aves* exprimunt, sed ibi ipso contextu haec significatio excluditur. Illa vero significatio quae *omnibus locis simul* conveniat, *ignis, flamma* (inde ardor febris, fulgur, etc.) est; unde haec erit amplectenda, quae etiam plerisque locis veterum versionum suffragio fulcitur.

Sensus igitur h. l. ex hebr. est : uti flammarum scintillae sursum tendunt, ita homo naturae pondere ad ima, ad peccata fertur, quare naturali quadam conditione sibi ipse creat molestiam. Sed cum talis sit humanae naturae fragilitas, ab ipso benigno naturae conditore venia est et indulgentia peccatori speranda, dummodo humili supplicatione Deum adeat. Ita Eliphaz nunc sermonem temperat et dum culpae proclivitatem communis naturae vitium esse ostenderit, certe censet, Iobo culpae suae confessionem iam a se facillimam esse redditam.

d) Iobus Deum humiliter adeat 5, 8-16.

Nexum bene proponit *Cord.* : « si hoc infortunium mihi accidisset, haudquaquam me torquerem aut in querelas prorumperem, sed supplices ad Deum preces funderem », v. 8 « *Quamobrem ego deprecabor Dominum et ad Deum ponam eloquium meum* » ; — hebr. *rerum ego Deum* (studiose) *quaererem et causam meam apud Deum reponerem* (cf. *Malv. Cod.*). Ad quam fiduciam ut Iobum excitet, incipit a v. 9 Dei *potentiam* et *miram* rerum omnium in naturae cursu (v. 10) et in hominum sortibus (v. 11-16) *providentiam* varie praedicare. Sermo iste pulcherrimis sententiis abundat.

Apte a Dei *potentia* sermonem orditur; ne Iobus qui omnia amisisset desperet, Dei scil. inexhaustam et infinitam vim commemorat, ut doceat, facile res afflictas posse restitui. v. 9 « *qui facit magna et inscrutabilia et mirabilia absque numero* » ; — et ea quidem talia, ut *non sit investigatio* (hebr.) i. e. quae homo perspicere et comprehendere nequeat, qui operetur *mira* eaque innumerabilia. Si ipsa Dei opera talia sint, patet Dei naturam esse incomprehensibilem et infinitam. Hanc autem divinam potentiam esse simul *benignam* et quod maxime ad rem facit hominis salutis studiosam, exemplis docet : v. 10 « *qui dat pluviam super faciem terrae et irrigat aquis universa* » ; — imbribus enim quam maxime opus est statutis temporibus, ut et animalium et hominum vita et victus sit in tuto collocatus; qui cum ab ipso caelo descendant, eo magis numinis benefici dono dari perhibentur; unde illorum in s. literis crebra mentio ad Dei providentiam commendandam; cf. Ps. 146, 8; 103, 13. Ier. 14, 22. Alterum hemistichium in hebr. *et mittens aquas super campos* (rura).

Dein operationem providentiae ostendit in rebus humanis (S.

Thom.). Optime et ad animum Iobi commovendum et erigendum accommodatissime primo ostendit, quomodo numen clementissimum soletur et erigat conditionem humilem, tristem ac luctu plenam : v. 11 « *qui ponit humiles in sublime et moerentes erigit sospitate*[1] ». —

Humiles vocat depressos, infima conditione positos; illos in alto loco ac tuto collocat, honore auget ac dignitate; nullus igitur casus adeo desperatus, cui ille non mederi posset, immo quem non ad faustissima quaeque eveheret; hanc gradationem prae se fert alterum hem. in hebr. *et atrati* (denigrati, luctu, miseria nigri, ad inam miseriam denotandam, uti *lux* prosperitatis et gaudii nuntia et symbolum est) *alti fiunt salute*. Sed tam providam numinis curam iis tantum obtingere docet, qui animo demisso ac pio Deum venerentur. id quod a contrario illustrat v. 12 « *qui dissipat cogitationes malignorum* »; — hebr. potius *astutorum consilia* (*vet. lat.*) eludit, solvit, irrita reddit et inania esse et effectu carere ostendit; « *ne possint implere manus eorum quod coeperant* »; — i. e. conatus et machinationes eorum successu destituit; manus quidem illi admovent ad opus, at nihil perficiunt, ab incepto desistere coguntur.

In hebr. *et non efficient manus eorum* תּוּשִׁיָּה, quae vox « duodecies occurrit, sexies in hoc libro, quater in libro Prov. semel apud Isaiam, semel in Duodecim » (*Cod.*) i. e. Mich. 6, 9. Is. 28, 29; formata est ex יֵשׁ (*Del.*; alii ex ישׁה = אָשָׁה; שׁוּה) *essentia*, inde significat *id quod revera est*, consistentiam, ut bene iam *Pin. Malv.* : « et universe quidquid stabile, solidum, essentiale, seu subsistens, sive omne quod constanter persistit et firme durabile est ».

Hisce simul docet, non esse salutis ac prosperitatis spem nisi in humili subiectione. Immo Deus, pergit gradatione, astutos ita confundit, ut ipsa sua astutia quasi laqueis irretiantur et tum pereant, quando se sapientissime egisse opinentur et iactent, v. 13 « *qui apprehendit sapientes in astutia eorum et consilium pravorum dissipat* »; — i. e. qui capit, captivat, intercipit; alterum hem. in hebr. *et consilium cafrorum* (versipellium, versutorum) *praecipitatur*, i. e. praecipitantia evertitur, confunditur (cf. *Malv. Cod.*). Hoc Eliphaz dictum S. Paulus formula *scriptum est* allegat 1 Cor. 3, 19. Vocem בְּעַרְמָם versio graeca optime reddit πολυπλόκους (*vet. lat.* versutos) complicatos, contortos multis fraudum nexibus.

Porro describit, quanta confusione et caecitate afficiantur v. 14 « *per diem incurrunt tenebras et quasi in nocte sic palpabunt in meridie* »; — i. e. in claris etiam rebus et expeditis haerent, titubant, offendunt et

1. Hebr. *ad ponendum*, est scil. nexus repetendus ex v. 9 : facit magna et mira, ut ponat... infinitivo ad explicationem addito.

pertentare iter bacillo coguntur; ita illis quaecunque hora diei merae tenebrae, meridies caeca nox et caliginosa *(Vav. Cord.)*, cf. Ps. 34, 6. Ier. 23, 12; id experiuntur, quod Deus minatur Deut. 28, 29; immittit illis Deus *spiritum soporis;* cf. Is. 29, 10; 59, 10.

Dum isti iusto Dei iudicio excaecantur (*superbis* enim resistit Deus), benignissimum numen e contra egenos et omni ope destitutos complectitur ac fovet et ab oppressione et tyrannide vindicat. Ita v. 15 « *porro salvum faciet egenum a gladio oris eorum et de manu violenti pauperem* »; — hebr. *a gladio ex ore eorum* i. e. qui quasi egreditur ab ore impiorum [1], qui lingua tamquam gladio utuntur, ut calumniis et criminationibus innocentes interimant; cf. Ps. 56, 5; 63, 4. Ier. 9, 8. Deus vero inopes et humiles ab omni genere iniuriae vel verbis vel factis illatae tuetur; illius enim curae tum maxime committitur pauper, cum neminem habet alium qui curet (*Cord.*).

Quare bene Eliphaz sermonis summam complectitur v. 16 « *et erit egeno spes, iniquitas autem contrahet os suum* »; — i. e. impii illi et potentes oppressores claudunt os, obmutescunt prae stupore attoniti, cum videant res plane in contrarium cessisse, et omnes machinationes contra virum iustum irritas evasisse *(Cord.)*; illi scil. elucescere spem et salutem et sibi ipsis nihil nisi confusionem relinqui: cf. Ps. 106, 42.

Ita igitur Eliphaz Dei consilia in mundi gubernatione delineat, ut Deum commendet patrem pauperum, oppressorum, humilium, qui superbiam, astutiam, contumaciam egregie reprimat et confundat. Hinc iam infert, qua animi dispositione Iobus mediis in poenis Deum adire supplex debeat.

e) Inde fructus exorituros praeclaros 5, 17-27.

Doctrinam modo expositam ad Iobi conditionem applicat Eliphaz. Cum enim Dei *benigna* providentia ubique cernatur, certe etiam in poenarum inflictione non deerit. Praeterea Deus miseros iuvat; iam cum Iobus sit inter miseros, etiam ipsi spes (v. 16) affulgebit, si se humiliet sub potenti manu Dei, i. e. si ex mente Eliphaz calamitatem suam agnoscat iustam peccatorum poenam et si « iniquitas os occludat », querelas suas silentio et patientia expiet. Quare ad propositum apte et accommodate ad animum commovendum pergit v. 17 « *Beatus homo, qui corripitur a Deo* »; — emphatice in hebr. *ecce beatitudines accomodate.*

---

1. Codicum aliquorum lectio a *B.* et *Kaulen* aliisque adoptata מִיַּחֲרֵב פִּיהֶם (cf. de Rossi) est simplicior; *Hitz.* scribi vult מִפְּאֵיהֶם *dispergentium eos;* cf. Deut. 32, 26.

hominis quem Deus corripit; ad quem locum bene scribit *S. Thom.*: « si enim correptio ab homine salubris est, qui tamen perfecte scire non potest mensuram et modum, secundum quod possit esse salubris correptio, nec est omnipotens ad mala scil. removenda et ad bona tribuenda; multo magis reputari debet salubris et felix Dei omnipotentis et omnia scientis correptio; ex qua sententia ad propositum concludit dicens: « *increpationem ergo Domini ne reprobes* »; — quasi dicat: licet hanc adversitatem patiaris a Deo propter tua peccata, tamen debes existimare, quod hoc sit quasi quaedam Domini increpatio ad te corrigendum, unde non debes hanc adversitatem in tantum reprobare, quod propter hoc vitam tuam habeas odiosam ». *Increpationem* hebr. מוּסַר *castigationem Omnipotentis ne repudies*; cf. Prov. 3, 11. 12. Cum enim homini, ut exposuit, insit nisus ad peccatum, ille beatus est, quem Deus castigatione revocat a peccato. Quae si bene suscipiatur, idem Deus promptus est et paratus ad sanandum. Unde rationem affert humilis submissionis v. 18 « *quia ipse vulnerat et medetur, percutit et manus eius sanabunt* »; — cf. Deut. 32, 39; vulnera non sunt desperata, quia infliguntur a benigno numine quod ea obligare et sanare potest.

Id in subsequentibus per singula distincte explicat. Et primo quidem *inexhaustam* Dei in sanando et benignitatem et potentiam generatim proponit v. 19 « *in sex tribulationibus liberabit te et in septima non tanget te malum* »; — cum iste modus loquendi in adagiis (Prov. 6, 16; 30, 15. 18) frequens sit et fere semper (excipe Amos ep. 1-2) eundem rerum numerum habeat subsequentem, cum *Pin.* ad septem sequentes, quas enumerat statim Eliphaz, adversitates referendus erit; attamen plerisque placet generali formula asseverari: in alias ex aliis calamitates si incideris, emerges ex quavis et liberaberis opitulante Deo (*Vat.*). Unde docet, nihil esse ei timendum qui Deum potentem et iustum agnoverit, etsi innumeris malis obrui videatur. Iam quo doctrina magis ad vivum animum percellat, enumeratione quadam et exemplis allatis eam illustrat et variis hominum casibus applicat. Et primo quidem, prout partium enumerationem ordine quodam digerere studet *S. Thom.*, pericula vitae corporalis commemorat, quae *fame* imminent sublatis necessariis, vel *bello* per aliorum violentiam v. 20 « *in fame eruet te de morte, et in bello de manu gladii* »; — hebr. de *manibus gladii* i. e. de ictibus; gladio manus, vis, efficacitas agendi tribuitur, sicut solet tribui os et devorandi absumendique aviditas (*Pin.*); cf. Ex. 17, 13. Num. 21, 24. Lev. 26, 37. Is. 31, 8. Ier. 18, 21. Ez. 35, 5.

Deinde « spirituale periculum contra famam hominis, quae pertinet ad vitam civilem » (*S. Thom.*) affert v. 21 « *a flagello linguae*

absconderis » ; — i. e. aculeatae ac virulentae obtrectatorum linguae te Deo protegente non laedent (*Cord.*). Uti alias malevolorum hominum lingua gladius acutus (Ps. 56, 5 ; 63, 4) dicitur, vel sagitta vulnerans (Ier. 9, 7), vel laqueus (Eccli. 51, 3), vel plaga (Eccli. 28, 21) etc., ita h. l. flagellum ; absconditur autem, qui obtrectatorum verberibus et morsibus non patet, quem adoriri vel non audent, vel Deo protegente prohibentur. — Huic periculo speciali subiungit generalem illam *vastitatem* et *desolationem* quam inimici varia ratione inferre solent vel etiam aeris tempestates : « *et non timebis calamitatem cum venerit* » ; — i. e. uti Deus cum servat a privatorum hominum calumniis et obtrectatione, ita eum (id quod excellentius est) etiam proteget communi quadam et universali vastatione ingruente aliosque absumente [1]. In hebr. eleganti paronomasia שׁוֹט *flagellum* et שֹׁד *vastatio* dicitur (cf. *Pin.*). Adhibetur שֹׁד de vastatione *hostili* Is. 13, 6 ; 16, 4 ; 60, 18. Ier. 48, 3. Os. 9, 6 ; *aliunde illata* Hab. 2, 17.

Immo non solum salvus et sanus a Domino servabitur, sed v. 22 « *in vastitate et fame ridebis* » ; — i. e. cum a praedonibus vastata fuerit regio, vel grandine vel uredine vel terrae sterilitate fames ingruerit, tu opulentus intactusque laetaberis et in omnium calamitate et penuria tu prosperrima uteris fortuna ; « indicat enim vox *ridebis* animum prorsus liberum atque securum quem neque tempestas aliis formidanda conturbet vel a sereno et tranquillo mentis statu deiiciat, aut ullo modo impediat, quominus iugi ac solida fruatur voluptate » (*Cord.*). Uti homines et res violentissimae quas natura gignit, ei nocumentum non inferunt, ita ab animalium quoque impugnatione et incursu erit securus ; unde « *et bestias terrae non formidabis* » ; — illis enim quandoque uti dicitur Deus tamquam vindictae ministris ; cf. Num. 21, 6. Lev. 26, 22. Deut. 32, 24. 3 Reg. 20, 36. 4 Reg. 2, 24. Ez. 5, 17 ; 14, 21. Aut generatim : nihil ab animalibus detrimenti accipies, non aget lupus in tuo grege praedam, nunquam leo ad caulas pastorum accedet etc. (*Pin.*). Immo, quae aliis nocumento sunt, uti loca lapidosa ideoque sterilia, tibi quasi pacto tecum inito uberes afferent segetes ; hic videtur esse sensus et facilis et obvius v. 23 « *sed cum lapidibus regionum pactum tuum* » ; — locutio est similis ei quae Osee 2, 18 « percutiam foedus cum bestia agri et cum volucre coeli et cum reptili terrae... et dormire eos faciam fiducialiter » ; securitatem pacis quae nullo terrore vel damno turbetur, Deus promittit, ipsis animalibus ne noceant lege imposita et foedere concluso. Unde h. l. promittere videtur, agros eius

---

1. Hac gradatione satis commendatur usitata שׁרד acceptio ; superflua et nimis artificiosa neque apta ad rem est explicatio a *Hitz.* data = שׁנד τυμπανισμός ; cf. 2 Mac. 6, 19-28. Hebr. 11, 35.

fore a lapidibus qui impediunt feracitatem (cf. Is. 5, 2. 4 Reg. 3, 19. Matth. 13, 5) immunes, immo et solum lapidosum quasi ex condicto et foedere inito ei fruges allaturum. Ita quasi ex pacto omnia utilitati eius inservient; cf. Deut. 32, 13 « ut sugeret mel de petra ». Ista explicatio certe cum *S. Thom. Cod. Malv. Men. Gord. H. Zsch. Del.* aliis est amplectenda et ipsa rerum serie commendatur.

Mirum est, in quam diversas sententias alii interpretes abeant: v. g. terminos agrorum ac limites immobiles fore, ita ut nemo audeat eos transilire, refigere, evertere (*Cord. Vav.*); cum in ambulando non impingere in lapides, neque pedes laedi, si nudipes incedat (*Mar. Sa, Calm.*); loca confragosa et multis perforata latebris et proinde apta pro bestiarum latibulis ei nihil damni allatura (*Sanct.*); lapides *ominosos* et *sacros*, qui malo omine ab inimicis ei in agro ponerentur, nihil obfuturos (*Pin.* qui de σκοπελίζειν et σκοπελισμοῦ crimine locum explicat, quod in Arabia admitti probat lege ex libro Ulpiani de officio Proconsulis adscripta [1]); ut omittam *spiritualem* interpretationem; « cum hominibus stabilibus et quietis pactum habebis solidae charitatis » *Phil.* et sim. *exp. in. S. Greg. Rup. Br.* Quid *Barh.* velit, non satis perspicio; exponit enim : « non mutatum est neque cessavit pactum quod erexit tibi Dominus, cui tu servis ».

« *Et bestiae terrae pacificae erunt tibi* » : — habebis illas pacatas; in finibus tuis pax illa summa quasi paradisi quidam splendor aderit; sentient ipsae bestiae vim illam quae ex pietate et divina protectione in bona piorum redundet, et grassabuntur potius per impiorum arva (*Cord.*). Unde *pacis* huius descriptionem ad omnia iusti bona pertinere ait v. 24 « *et scies quod pacem habeat tabernaculum tuum* » : — presse hebr. *quod pax tabernaculum tuum* i. e. pax erit tibi sicut habitaculum, vel tota domus tua in summa prosperitate et tranquillitate erit, ita quidem, ut si domum ac familiam lustret, in nulla re vota sua ac desideria esse frustrata inveniat. Hoc in sequenti membro ex hebr. exprimitur *et visitasti domum tuam* (habitationem tuam) *et non aberrabis* i. e. non a spe et scopo excides, nullibi deesse aliquid deprehendes, neque quidquam desiderabis (*Vav.*). *Vulg.* obscurius « *et visitans speciem tuam non peccabis* » ; — de voce נָוֶה cf. supra; *Cord.* « domus tuae curam geres et non aberrabis ».

Ad bonae fortunae cumulum accedet proles numerosa, quae est felicitatis pars in V. T. maxime semper habita et omnibus votis expetita (*Cord.*). Quare v. 25 « *scies quoque quoniam multiplex erit semen*

1. « In provincia Arabia σκοπελισμόν crimen appellant, cuius rei admissum tale est : plerique inimicorum solent praedium inimici σκοπελίζειν, i. e. lapides ponere indicio futuros, quod si quis eum agrum coluisset, malo leto periturus esset insidiis eorum qui scopulos posuissent. Quae res tantum timorem habet, ut nemo ad eum agrum accedere audeat, crudelitatem timens eorum qui scopelismum fecerunt. »

tuum et progenies tua quasi herba terrae » ; — i. e. experieris reipsa et videbis sobolem numerosam; comparatio ad incrementum exprimendum apta est neque a specie et amoenitate aliena, quippe cum herba viridis mirifice recreet intuentes (*Cord.*); similes comparationes cf. Ps. 127 3; 143, 12. Statum prosperitatis futurae ad Iobi fatum delineandum accommodat. Unde *Pin.* : « tu modo, o Iob, squalles velut inanis ac vacua terra, omni honore spoliata, sed herbescens florebis, vestieris floribus, proferes uberrimos fructus, ornaberis filiis, opibus ».

Demum plenus dierum et omni bonorum genere satiatus placidam mortem obibit ; ita cumulum bonorum quae optimo cuique hisce in terris obveniant, absolvit Eliphaz v. 26 « *ingredieris in abundantia sepulchrum* » ; — i. e. in abundantia aetatis et annorum, maturus[1] et satur dierum (*Vav. Sa, Mar. Tir. Men. Le Hir*), id quod a veteribus exoptabatur, qui mortem immaturam maximum censebant infortunium ; cf. Is. 38. 10. Ps. 54, 24 « viri sanguinum et dolosi non dimidiabunt dies suos », dum de priscis pietatis heroibus dicitur : (Abraham) mortuus est in senectute bona provectaeque aetatis et plenus dierum Gen. 25, 8. Hanc aetatis maturitatem illustrat comparatio « *sicut infertur acervus tritici in tempore suo* » ; — i. e. plane maturus, quando tempore debito in campo fuerit, proinde eo tempore, quando ipsa natura postulante fieri oportet, uti messis deportetur in horreum. כְּלָה[2] non occurrit nisi hic et 30, 2 : in utroque loco *vulg.* sensum bene expressit. Hebr. *sicut ascendit acervus frugum suo tempore.*

Tandem Iobo commendat, ut doctrinam expositam, utpote veram et multa experientia probatam, alta mente reponat et apud se condat v. 27 « *ecce hoc, ut investigavimus ita est; quod auditum, mente pertracta* » ! — hebr. *ecce haec investigavimus; ita sunt; audi ea et tu scito tibi* ; i. e. disce monitus et in tuam converte utilitatem. Quasi amicorum nomine loquitur *investigavimus* i. e. studiose et operose multa cum consideratione rerum et eventuum hanc doctrinam nobis comparavimus. Dictis suis conciliat pondus et auctoritatem. Bene *Phil.* : « quaecumque a me tibi dicta sunt, diligenter investigata vera noveris, quae ipse ad emendationem tuam debes corde percipere ».

---

1. *B.* mutat in *bikh' lot' kha* (בְּלֹתְךָ); sed aliquem *morte absumptum* sepeliri, per se patet.

2. *Chald.* vertit « in perfectione annorum tuorum » ; *Syrus* « tranquille » ; unde etiam coniectura a *B.* prolata repudiatur.

2. RESPONSIO A IOBO DATA. CAP. 6. 7.

Arg. — Contra impatientiae accusationem Iobus excipit, dolores esse maiores, quam suis querelis exprimi possint; quare a Deo efflagitat, ut minuantur, ne illorum magnitudine abreptus impie contra Deum loquatur (6, 1-13). Dein conqueritur, quod amici eius spem solatii fefellerint et increpationem duram et falsam ei impegerint (6, 14-30). Unde repetitis querelis acerbos suos cruciatus exponit, vitae brevitate proposita Deum ut parcat, inflectere studet (7,1-10). Sed cum exoptatum doloris levamen ei non obtingat, novis clamoribus et acerbis querelis aliquam doloris mitigationem quaerit, Deo proponens, quam dure quamque incessanter affligatur, et cum eo expostulans, cur homini parvo et debili tanta imponat onera (7, 11-21).

Si quis acerba illa perpendit, quibus Eliphaz sermonem suum condiverat, Iobi responsionem minime arguet vel impatientiae vel arrogantiae, sed potius virum mirabitur, qui ad acutissimos morbi dolores ipsorum etiam amicorum opprobriis et invectivis appetitus ea usus sit animi et sermonis moderatione.

a) Dolorum vehementiam declarat 6, 1-13.

Respondens igitur primum respicit 4, 5 et gemituum vehementiam ab Eliphaz vituperatam. Verbis placidis animoque pacato declarat doloris magnitudinem nullis querelis aequari posse.

v. 2 « *Utinam appenderentur peccata mea quibus iram merui, et calamitas quam patior, in statera* »! — textus hebr. planior est et facilior : *utinam appenderetur ira (impatientia) mea et calamitatem meam in statera elevarent pariter*; exoptat scil. ut in altera lance eius impatientia ponatur, in altera calamitas quam sustinet, tum demum luce clarius fore, impatientiam eius multo esse minorem. In eundem sensum enarranda sunt verba *vulg.*; « utinam ille meus gemitus et interni doloris significatio, quod vos peccatum dicitis et divini furoris irritamentum, cum dolore quem patior in statera poneretur, plane cognosceret qui recte vellet iudicare, dolore meo longe minorem esse gemitum » (*Cord.* sim. *Sanct. Cod. Vat. Sa. Male. Men.* etc.). Eundem sensum et graeca et *vet. lat.* prae se ferunt : « si quis appendens ponderet iram meam et sermones meos ponat in statera ». Unde quod habet noster *peccata quibus iram merui* inter-

pretis interpretamentum est, idque non adeo felix, quo ex Eliphaz mente Iobus respondet : peccata quibus iram, ut vultis, merui, quibus iram meruisse videor vobis. — Hic loquendi modus probat, quantopere Iobus sibi conscius sit, se in effundendis querelis modum non excessisse, nedum aliquid impium protulisse. Unde ex hoc eius iudicio et conscientia de maledictione illa 3, 2 interpres iudicare debebit.

v. 3 « *quasi arena maris haec gravior appareret; unde et verba mea dolore sunt plena* » ; — in textu lat. haec est quasi apodosis ad antecedens; si peccata et poena quam sustineo in statera iustitiae appenderentur, haec incomparabiliter gravior appareret (*S. Thom.*). Notat *Vav.* arena maris sexto casu dici in hanc sententiam : mea quidem calamitas tanta est, ut arenam maris i. e. rem gravissimam gravitate vincat (sim. *Sa*, *Men.*). In hebr.[1] potius ratio affertur, cur Iobus exoptet in lancibus ponderari excandescentiam suam et miseriam quam experiatur : *quia nunc* (sane nunc *Mar.*) *prae arena maris grave est* (*Malv. Calm.*). Vim comparationis rite perpendit *Pin.* : « sive solitarie posita sive mari adiuncta *arena* significare solet *immensitatem quandam* sive *numero et copia* sive *pondere et gravitate*, quare ad multiplicationem refertur Gen. 22, 17; 32. 12; 41, 49. Ier. 33, 22. Hab. 1, 9, et absolute pro magnitudine et mensura 3 Reg. 4, 29; unde de re, quae propter immensitatem exhauriri nequeat.., ad pondus autem et gravitatem quae cum ingenti arenae copia coniuncta est, facit Prov. 27, 3 ». Ex hac immensa doloris gravitate explicat et excusat Iobus, quidquid in verbis suis nimis acerbum, durum, inconditum, iracundum sonet. Ita scil. ipse libri auctor aperte normam tradit interpretationis, qua gemitus Iobi et exclamationes oporteat *psychologice* i. e. ex animo dolore obruto explanari et proin mitiore sensu accipi, quam *rigor* verborum ad omnem severitatem exactus prae se ferre videatur. Quis enim vehementi animi commotione abreptus verba sua omni rigore logico examinari et quasi ad vivum resecari ferret?

Sensum bene reddidit *Hier.* : *dolore sunt plena*; eodem fere modo LXX ῥήματα φαῦλα, *Sym.* λόγοι κατάπικροι, *Theod.* ἔγκοποι (cf. *Ol. Vav.*). Hebr. לעו veteres quidem explicant *absorbentur* (a לוּע cf. Abd. v. 16. *Pin. Cod. Cord. Vav. Calm.*) idque vel

---

1. יִכְבַּד *grave est;* constructio ad sensum, cum הַיָּה *fem.* sit; *Hitz.* vult כַּעַשׂ suppleri, sed num Iobus *irae suae excessum* concedit?

loqui non possum prae doloris magnitudine, vel quod melius ad rem *nullus sermo nullave orationis vis aerumnae meae magnitudinem eloqui potest* (*Cod.*) — at commodius vocem hebr. interpretabimur vel *fastidii plena sunt* (לאה = לעה, ita vox chaldaica לְעָא, vel quod aliis praeplacet *errant, insaniunt*[1] (*W. Del.*). Ad idem recidit quod inter alia affert *Pin.*: praecipitata sunt i. e. festinanter et praecipitanter prolata sunt et videntur temere cadere ex ore.

Rationem subiungit v. 4 « *quia sagittae Domini in me sunt* »; — hebr. *sagittae Omnipotentis in me* i. e. in me defixae haerent. Iaculatorem dicit potentissimum. Metaphora est a feris vulneratis, quarum lateri haeret letalis arundo (*Cod.*). Mala igitur ingentia et summos cruciatus afferentia dicit a Deo immissa; eaque, ut *S. Thom.* vult, ex improviso, « nam sagitta ex remotis et ex improviso venit »; cf. Ps. 7, 14; 37, 2. Quam dira vexatione istae sagittae eum affligant, exponit « *quarum indignatio ebibit spiritum meum* »; — i. e. aestus irae divinae istis sagittis ei immissus exsorbet et consumit intimas quasi spiritus medullas; vel quasi fingit sagittas ardentes, quae incendio absumunt vim vitalem חֵמָה est *ira, furor*, sed etiam *venenum*; cf. Deut. 32, 24. 33. Ps. 58, 5; 140, 4. Quare hebr. ita commodius : *quarum ardorem* (vel *venenum*) *haurit* (bibit) *spiritus meus*, imagine deprompta ab usu sagittarum veneno infectarum; i. e. vis vitalis mea isto cruciatu quasi veneno corroditur. Pergit in imagine bellica. Deum quasi sui debellatorem proponens « *et terrores Domini militant contra me* »; — in hebr. *aciem instruunt adversus me* i. e. instructa acie terrores non qualescunque, non humani, sed quales a potenti Deo infliguntur, undequaque in me impetum faciunt.

Incusaverat eum Eliphaz, quod ipse alios erudire solitus dolori nunc et gemitibus cedat (4, 4. 5). Iam respondet Iobus, decuisse aequum rerum existimatorem ex suis querelis potius doloris magnitudinem inferre, non animi debilitatem vel pietatis abiectionem, idque exemplis declarat, quasi dicat : numquam ego sine causa gravissima ita eiularem, cum ne bruta quidem animalia sine causa edant clamores; quid ergo ex meis gemitibus erat concludendum? Similia proponit ex animalibus feris et domesticis : v. 5 « *numquid rugiet onager, cum habuerit herbam? aut mugiet bos, cum ante praesepe plenum steterit* »? — hebr. *numquid rugit onager ad herbam? aut mugit bos ad migma suum?* i. e. in defectu pabuli mugiunt et clamant; ergo ipsa natura duce querelae funduntur. Perbene *Did.* : « hoc autem iustus dicit : quemadmodum non frustra vociferatur asinus aut

1. Id quod vel a verbo לָעָה (*W.*) vel a לוּעַ adscita tamen pro significatu dialecto arabica (*Ros. Del. Hitz.*) explanant. Alii vertunt : *audaciae plena sunt* vel *cum impetu prorumpunt* (Cf. *Le Hir, Renan*).

bos, sed cum alimentum defuerit, ita nec ego animo conciderem, nisi ad extremitatem malorum pervenissem ; ut Eliphaz eo adducat, ne homini in dolore constituto vitio vertat, si forte vociferetur ». Nexus hic quem plerique (etiam v. g. *Barh.*) amplectuntur, sane aptior est et rebus et verbis, quam ille quem *Cord.* proponit : « non mirum vos ut onagros vel boves longe abesse a miseriae meae sensu, cum omnia sint vobis prospera et abundantia ; facile est hoc pacto esse a lamentatione alienos, quia neque onager rudit, cum in pascuis moratur abundantibus, neque mugit bos » etc. (sim. *Mar. Tir.*) [1].

Eadem aliis similitudinibus declarat v. 6 « *aut poterit comedi insulsum, quod non est sale conditum? aut potest aliquis gustare, quod gustatum affert mortem* »? — i. e. grani salis defectum sentit natura palati ; quidni ego tot mala, tam acerba, tam inimica, tam insipida naturae sentiam, nisi sensus expers sim et plane stupidus (*Cord.*)? Sensus membri alterius esse videtur : homines respuunt cibum noxium ; quis non quam maxime reluctaretur, si mortiferum cibum gustare cogeretur? quanto ergo potiore iure ego horreo, gemo, vociferor? Profitetur enim se nunc pasci aerumnis, quasi cibo foetido et putrido v. 7 « *quae prius nolebat tangere anima mea, nunc prae angustia cibi mei sunt* » ; — i. e. ulcera ait et foetorem se habere tamquam cibum quasi quotidianum ; hunc cibum se abominari, quid mirum? — Non desunt, qui censeant, Iobum hoc loco ad novum transire miseriarum genus, scil. ad cibos foetidos quibus vesci cogatur (cf. *Cord. Mar. Men.*). At eum ad paupertatem tam extremam redactum esse, ut ex ciborum penuria fere sordibus vesci cogeretur, gratis fingi videtur. Quodsi de comestione vera versus sit explicandus, potius videtur Iobus innuere, propter saniem morbi corporisque corrosionem et manus sanie manantes omnes cibos maculari. Sed cum textus hebr. comparationem exhibeat, prior explicatio quae antecedentibus quoque arcte cohaeret, est praeferenda.

Alterum v. 6 membrum legitur in hebr. apte ad prius hemistichium : *estne sapor in albumine vitelli* (im Schleim des Dotters)? Huic plane concordat *Chald.* [2]; aliis placet חַלְבּוּת interpretari *coagulum* (*Malv. Fürst* L.) : *estne sapor in saliva coaguli* ; alii *portulacam* vertunt (cf. *Fürst* C) ; interpres arabs in Polyglott. Lond. vertit : in succo portulacae ; *Syrus :* in albumine vitelli.

Sed quomodo versio S. *Hier.* orta est? Varia coniectant. Alii, uti *Pin. Cord. W. Zsch.*, interpretem vocem illam in duas divisisse volunt חוּל *dolore* et בּוּת *mors* i. e. num sapor est in saliva doloris, mortis. Sed forte melius חִיל coniiceretur ; cf.

---

1. בְּלִיל cf. Is. 30, 24 ; est pabulum ex diversis mixtum, farrago, μῖγμα.

2. *Chald.* habet : in albumine ovi et vitello. — Aliud Targum affert *Levy*, Chald. Wörterb. I, 118. *Le Hir* vertit : et quel goût trouver dans le suc d'une herbe fade ? *Renan* : comment trouver du goût au jus de la mauve ?

Ps. 48, 7. At ea explicatio non placet, quia nullo pacto cernitur, quomodo ex illa textus *vulg.* enasci potuerit. Aliud apud *W. Zsch.* proponitur, legisse scil. *S. Hier.* חַלַּת תָּרֶמֶ *placenta mortis.* Commodissimum tamen videtur, quod *Cod.* divinatus est : legisse nostrum interpretem בריה למות, vel certe melius dicamus בבריה i. e. *num est gustus in esca ad mortem* (cf. בְּרִיָּה 2 Sam. 13, 5. 7. 10); quae verba sensum textus *vulg.* exacte referunt et a scriptura textus hebr. בריר חלמרת non adeo recedunt.

Hebr. v. 7 verte : (*quae*) *renuit tangere anima mea, ea sicut foetores panis mei* (cf. *Malv.*) דְּוַי cf. Ps. 41, 4 vel melius דָּוֶה Lev. 15, 33; 20, 18. Is. 30, 22. *Hitz.* legit כַּדְוֵי, idque ex arabico explicat : ea sunt frusta cibi mei. *B.* vero totum versum, utpote ex glossis ortum delet, eumque apto carere sensu contendit. At versiones veteres etiam huic versui patrocinantur, quamvis varie eius sensum reddant (praecipue LXX, *Syrus*), neque aptus sensus deest, quem *S. Hier.* expressit et qui commode ex v. 6 fluit. Aliis placet v. 6. 7 referri a Iobo ad *insipidam* Eliphaz orationem ; cf. Studien und Krit. 1867 p. 130 ; *Le Hir.*

Tantis cum sit obrutus aerumnis, nihil restat, nisi ut mortem exoptet liberatricem quam citissime sibi affore : v. 8 « *quis det, ut veniat petitio mea et quod exspecto tribuat mihi Deus* » ! — i. e. ut eveniat id quod ardenter iam desiderarat cf. 3, 13. 21 ; idque Dei favore et beneficio ut sibi contingat, efflagitat : hebr. *et exspectationem meam* (i. e. spem, id quod unice in votis habeo) *det* (concedat) *Deus.* Missionem igitur a Domino ex hac luctuosissima vita postulat (*Cod.*); idque instantius v. 9 « *et qui coepit, ipse me conterat* » ; — ex textu lat. ratio petitionis adiungitur, flagitat enim ut Deus qui iam inceperit vitam eius corporisque compages dissolvere morbo immisso, quam celerrime incoeptum absolvat eumque penitus perimat atque conficiat. In hebr. וְיֹאֵל *et velit et conterat me* i. e. utinam ei placeat me conterere [1]. Instat et urget eandem petitionem « *solvat manum suam et succidat me* » ! — i. e. exserat, laxet manum ; translatio sumpta est ab iis, qui habeant manum ligatam, impeditam neque quidquam possint efficere ; extendat igitur manum suam et vitam meam succidat cf. 27, 8. Is. 38, 12. Vitae vero finem se optare dicit, ne demum malorum ingruentium pondere victus quidquam Deo iniuriosum proferat ; in ipsa scil. morte affirmat id sibi esse solatio et gaudio, quod licet doloris aestu iactetur neque Deus ei parcat, tamen Deo non obloquatur, sed constanter pietatem ac religionem asseruerit. Ita v. 10

---

1. Formam enim hiphil verbi יאל aliquoties etiam noster interpres exoptantis vel deprecantis particula expressit ; cf. Iud. 19, 6 *quaeso te, ut maneas,* 4 Reg. 5, 23 *melius est ut accipias ;* significatio *incipere* quam alias verbo tribuit, facile ex cognata notione *velle* i. e. rem aggredi fluit.

Alia exempla vide Iud. 17, 11 et *acquievit* et mansit ; 1 Reg. 2, 22 *iuravit* Dominus facere vos sibi populum ; 2 Reg. 6, 3 veni *ergo* et tu (?).

« *et haec mihi sit consolatio* »; — sententia lat. ita est grammatice explicanda, ut membrum hoc : « *ut affligens me dolore non parcat nec contradicam sermonibus Sancti* »; — intelligatur non paratactice positum sed subordinatione logica prioris partis alteri subiunctum hac ratione : *ut dum affligens me dolore non parcat, ego non contradicam.* Exemplum simile habes Is. 12, 1 : « confitebor tibi quoniam iratus es mihi, conversus est furor tuus et consolatus es me », ad quem locum scribit *Hier.* : « quoniam qui iram merui et furorem tuum, misericordiam consecutus sum »; cf. *Malv. Vav.* [1]

Sententia haec ad Iobi animum describendum aptissima! Mortem beneficii loco a Deo efflagitat, eam desiderat, ne doloribus oppressus forte ad blasphemiam abripiatur, ne tentationi succumbat — similiter precatur Psalmista : « non relinquet Dominus virgam peccatorum super sortem iustorum, ut non extendant iusti ad iniquitatem manus suas ». Ps. 124, 3 — mors si advenerit, eius *solatium* et ex hebr. (cf. adnotata) *exsultatio* erit, quod religionem et pietatem fida mente retinuerit; id in acerbissimis doloribus tamquam maximae laetitiae et tripudii causam profitetur, quod nullo modo refragatus sit eloquiis Sancti, eis obedientiam, reverentiam, fidem non abnuerit, numquam religionem abdicarit sed sanctissime servaverit. Hunc igitur versum bene perpendant velim Iobi calumniatores! Bene *Cod.* : « Confessorum laureola et Martyrum gloria dignissimum se praebet ».

Iam superioris petitionis rationem reddit, ne quis existimet eum temere et inordinate doloris motu pulsum mortem a Deo petere. Humanae fragilitatis memor timet, ne tandem vincatur immanitate cruciatuum oppressus. Unde v. 11 « *quae est enim fortitudo mea, ut sustineam? aut quis finis meus, ut patienter agam* »? — i. e. quem finem habituri sunt mei cruciatus, ut patienter agam (*Pin.*)? neque enim ullum eorum finem cernit, in dolore autem tali quis modus potest esse patientiae (*Malv.* sim. *Mar. Men.*)? namque duobus patientia sustentari solet, vel ingenti quodam robore et animi et corporis, vel spe certa fore, ut brevi adsit malorum finis; neutro ait Iobus suam ali posse spem et longanimitatem.

Eundem sensum membri prioris exprimunt LXX τίς γάρ μου ἡ ἰσχὺς ὅτι ὑπομένω; eumque valde approbat *Ros.* et *Fürst* L. atque verbum יחל habere notionem *patienter sustinere* certum videtur ex altero hemistichio et ex 14, 14; 32, 16; ea certe h. l. prorsus est ad rem (cf. *Pin. Cod. Vav.*); neque ab ea abludit *Syrus.*

---

1. Eundem sensum exprimit textus hebr. quem aliqui ut *apodosin* ad v. 8. 9 accipiunt (*Del. Zsch.* so wäre das mein Trost...) *et sit adhuc consolatio mea et exsultem in dolore* (dum) *non parcit* (Deus), *quia non negavi verba Sancti.* סלד h. l. tantum occurrit; at notio exsultandi, tripudiandi, ex *Chald.* et LXX certa est et arabica dialecto confirmatur.

Alii tamen ex usu frequentiore etiam h. l. verbum explicant : quale est robur meum, ut *sperem* i. e. vigor vitalis iam periit, quomodo me erigam ad spem illam ab Eliphaz propositam ; quid mihi superesse potest, quod sperem ? cf. 5, 17 et seq. ita fere *Malv. W. Del. Le Hir, P.* — In altero hemistichio hebr. *animam prolongare, producere* idem est atque longanimitatem ostendere, ab impatientia se cohibere ; cf. Eccl. 7, 8 ; opponitur *abbreviare animam* i. e. abrumpere patientiam, ira et impatientia efferri ; cf. Num. 21, 4. Iud. 10, 16 ; 16, 16.

Quaestionem v. 11 propositam iam per duo membra prosequitur. Et primo quidem de fortitudine v. 12 « *nec fortitudo lapidum fortitudo mea, nec caro mea aenea est* » ; — hebr. *num robur lapidum robur meum? num caro mea aenea?* Interrogandi forma ad animi commotionem explicandam magis est apta. An saxeus sum vel aeneus, ut cruciatus non sentiam? Unde memor imbecillitatis humanae timet, ne tandem Deo obloquens religionem laedat et pietatem, praecipue si dolores magis magisque augeantur. Simul rationem reddit, cur in querelas proruperit, quia scil. non est ut lapis et aes sine sensu. Altero versu id tangit, quod v. 11 de *fine* malorum quem non cerneret, innuerat : v. 13 « *ecce non est auxilium mihi in me, et necessarii quoque mei recesserunt a me* » ; — hebr. denuo per interrogationem : *annon sum sine auxilio et subsistentia est propulsa a me?* i. e. an non penitus omni ope destitutus sum et omne stabile fundamentum, omne cui inniti possem, longe est a me remotum, mihi ademptum? Ita docet se finem calamitatum aut mutationem in melius nullo modo animo concipere neque ex tali spe solatium vel patientiam haurire posse. LXX et *vet. lat.* habent : « sed adiutorium a me recessit ». Textus lat. *et necessarii mei* iam id praeoccupat quod a v. 14 Iobus exsequitur, scil. ab ipsis amicis addi ad malorum cumulum. Videtur *S. Hier.* vocem תּוּשִׁיָּה (cf. 5, 12) notione sapientiae vel auxilii vel consilii accepisse et de *amicorum* auxilio et consilio exposuisse, unde nomen personale concretum pro *abstracto* elegit, sicut saepius textum hebr. non tam vertit, sed statim suam expositionem textus versioni ingerit ; cf. 6, 1. Is. 2, 22 ; 11, 10. Dan. 9, 26 [1].

b) De amicorum importunitate conqueritur 6, 14-30.

Iam ulterius describit, quantopere sit ope et solatio destitutus. Ipsi scil. amici molestiam augent et novum tentationis genus ei afferunt [2] ; non enim sunt consolatores, sed accusatores se praebent :

---

1. Quo in loco in textu hebr. non habetur nisi *et non erit ei* (vel eius — uti iam monuit *S. Aug.* ep. 199 al. 84) ; quare *populus qui eum negaturus est* interpretamentum est. Idem valet de *sepulchri* mentione Is. 11, 10.

2. Bene hoc expendit *S. Chrys.* t. 57 c. 505 ; t. 63 c. 480 ; *S. Greg.* c. 766.

non misericordiam ei exhibent, sed reprehensiones iactant. Unde conqueritur Iobus quod ab amicitiae lege recesserint; qua re etiam veram in Deum pietatem laeserint. Proin accusationi ab Eliphaz prolatae 4, 6 suam contra Eliphaz opponit v. 14 « *Qui tollit ab amico suo misericordiam, timorem Domini derelinquit* »; — i. e. qui amicitiae iura adeo violat ut amici non misereatur, sed dure in eum invehatur, iste etiam timorem et reverentiam Omnipotentis exuit, abiecit. Recte quidem ac vere. Nam sincera pietas et Dei amor gignit et exigit benevolentiam in alios.

Commode in eundem sensum textus hebr. concedit; nam ל ante מִם emphatice ponitur ad notionem efferendam *quod attinet ad retrahentem ab amico misericordiam*, ו vero saepe apodosin vestit, *is timorem Omnipotentis deserit*. מִם dein participium (?) est sensu activo a מָסַס dissolvere, separare (aliqui codd. apud de Rossi legunt למואס *aversanti*); et ita intellexerunt *Chald.* et *Syr.* Sensus certe est optimus. Sed cum מִם secundum analogiam תָּם *purus*, חָם *calidus*, תֹּם *integer* etc. a מָסַס (contabescere Is. 10, 18) notionem debeat induere *contabescens, moerore, aegritudine confectus*, alii [1] interpretantur : *afflicto ab amico* (debetur) *misericordia* (cf. *Malv. Mar. Cod. Ros. Del.*). Varie dein membrum subsequens adiungunt, vel *alioquin is exuit Dei timorem*, vel *alias posset exuere*, vel *et ei* (debetur misericordia), *qui in eo est, ut relinquat*. Sed certe simplex ו melius explicatur neque tanto opus est subtilitatis artificio in illa interpretatione membri prioris quam veteres sequuntur et ex recentioribus *W. Zsch. P.*

Hac sententia generali praemissa iam arguit amicos illiberalitatis, quod in eum minime praestiterint id officii genus quod lex amicitiae postulabat, eosque confert cum torrentibus qui aestate (quo tempore quam maxime aquae desiderantur) exarescunt, deficiunt, spem viatorum fallunt (*Cord.*), hancque similitudinem eleganter et fuse (fere epicorum more poetarum) pertractat : v. 15 « *fratres mei praeterierunt me sicut torrens qui raptim transit in convallibus* »; — i. e. fugiunt a me, me relinquunt, dum opem et solatium mihi subtrahunt; vel quasi nulla mei cura tangerentur, cito praetervolant, sicut torrens rapidus. *Fratres* vocat, quo magis charitatis legem violatam urgeat. In textu hebr. perfidia, fallacia amicorum perstringitur : *fratres mei perfide agunt* (fallunt, praevaricantur, ut alias vocem vertit *vulg.*) *sicut torrens, sicut alveus torrentium* (qui) *praeterlabuntur* (defluunt, dilabuntur, evanescunt).

Optime sensum נַחַל dederunt LXX χειμάῤῥους ἐκλείπων et *vet. lat.* « torrens defi-

---

1. *Hitz.* חֶסֶד interpretatur : « si afflicto contingat ab amicis *obiurgatio*, timorem Dei deserit »; sententia oppido falsa praesertim in Iobi ore! Si respicitur Lev. 20, 17. Prov. 14, 34, posset ita verti : moerenti fit opprobrium ab amico, et (*amicus ita agens*) timorem Domini derelinquit.

ciens », cum non sit fluvius qui ex fontibus iugiter alatur, sed torrens ex imbribus et nivibus liquefactis collectus, qui tempore aestivo cum imbres deficiant et ipse deficiat, quare huiusmodi aquae *mendaces*, fallaces, perfidae dicuntur; cf. Is. 58, 11. Unde bene *Bark.* : « fratres mei deceperunt sicut torrentes, in quibus scil. hieme aquae sunt et in aestate evanescunt ».

Iam sequentibus fusius explicat quomodo torrentes hiberni fallant, quia scil. per brumam collectis imbribus et nivibus profundo fluento amnes aemulantur, sed per aestatem exarescunt (*Cod.*). Ita enim fert textus hebr. v. 16 (qui) *obscuri* (turbidi sunt) *a glacie, in eos* (in quos) *condit se nix*; v. 17 *tempore* (quo) *incaluerint, excisi sunt; dum incalescit* (in aestu), *exstinguuntur* (exterminantur) *de loco suo;* et hunc in modum iam vertunt *Cod. Malv. Mar. Vav.;* neque sensus est implicatus; verno enim tempore atri fiunt, i. e. turbidi alluvione glacie soluta, nives quoque cadentes vel aquae ex iis liquefactis ibi conduntur, in torrentibus sese abscondunt et aquarum molem turbidam augent; at si aestu et ardore uruntur aestate et effervescunt torrentes, statim evanescunt [1].

Ex textu hebr. explicato nunc etiam lux affunditur versioni vulg. et edocemur, quem in modum verba sint accipienda : v. 16 « *qui timent pruinam, irruet super eos nix* ». —

Vocem קדר sordidum, nigrum esse *Hier.* alias rite transfert secundum sensum *contristari* (Ier. 8, 21. Ez. 31, 15. — ita etiam Ps. 34, 14. 37, 7. 41, 10. 42, 2) *obscurari* (Ier. 14, 2), *obtenebrari* (Mich. 3, 6. Ioel 2, 10. 3, 15. 3. Reg. 18, 45), *moerere* (Iob 5, 11. 30, 28. Ier. 4, 28), *nigrescere* (Ez. 32, 7); inde autem explicatur, quomodo sensu translato *moerere a pruina, contristari a pruina* possit accipi quasi *timere, horrere, fastidire* pruinam, uti hoc loco et LXX et *Syrus* eosque secutus *S. Hier.* interpretati sunt.

Sensum vero *vulg.* ita cum *Malv.* determinandum esse, ex allatis patebit : qui (torrentes) horrent a pruina, i. e. horridi sunt ac turbidi et sordidi a pruina, in eos delabitur praeterea nix, unde pruina et nivibus alvei implentur. Simul atque autem aquae eorum tumidae insolescunt et in spatia lata diffunduntur v. 17 « *tempore quo fuerint*

---

1. In dubium tantum vocari potest vox ἅπαξ λεγομένη זרב quam lexicographi et veteres et recentiores pro analogiarum ex cognatis vocibus et dialectis varietate vel notione *urendi* (cf. צרב Ez. 21, 3. Prov. 16, 27) vel *diffluendi* (ex usu chald. et talm.) vel *coarctandi* (ex syr. cf. *Ges.*) vestiunt; ad secundam prope accedit versio *Hier. tempore quo fuerint dissipati*, i. e. quam primum effunduntur late, eodem ferme tempore, cito, pereunt; vel quam primum aquae illae nive liquefacta auctae diffluxerunt, etiam torrentes illi pereunt. Apte deinde huic membro subiungitur alterum illud : simulatque exortus est aestus, exsiccati sunt; ita utrumque hemistichium grata quadam varietate distinctum est. Hanc interpretationem proponit *Malv.* I. quidem et auctores habet praeterea Kimchium et *Hitz.*, at plerique primam amplectuntur (ipse *Malv. Cod. Mar. W. Zsch. Del. Hirz. P.*).

dissipati, peribunt, et ut incaluerit, solventur de loco suo » ; — iam interibunt et si aestus accedat, mox evanescent[1] ». — Scio, interpretes multos lat. textum *vulg.* proverbii loco exponere: qui scil. minores fugiunt, maiores saepe incurrunt calamitates; vel applicatione facta ad Iobi amicos : dum a contactu fugiunt laborantis amici eumque abhorrent, in maius malum i. e. in Dei iram amicitiae fideique proditoribus praeparatam incurrunt (cf. *Pin. Cod. Men. Tir. Gord.*). Sententia quidem praeclara et verbis *vulg.* nude spectatis accommodata, at nimis a sensu originali aliena, ut quae a textu cuius versio est *vulg.* elici nullatenus possit, et insuper comparationem torrentium institutam nimium interturbet.

Quia amicos perfidiae et fallaciae accusat Iobus, denuo alia ratione declarat similitudinem v. 15 institutam, hac ipsa loquendi iteratione ostendens animum tali perfidia et infidelitate commotum atque perculsum : v. 18 « *involutae sunt semitae gressuum eorum* » ; — *gressus* vocat cursum et impetum torrentium, qui in decursus, praecipitia, abyssos, anfractus feruntur et sic revera habent *involutas semitas;* « *ambulabunt in vacuum et peribunt* » ; — ita ruentes in proclive vel ipso deserti immenso *vacuo* et arena arenti suscepti demum pereunt (cf. *Mar.*). Vel *ambulare in vacuum*, « dissoluti resolvuntur in vapores qui ascendunt in inane, in aera » *Malv.* Eodem modo hebr. *defle-ctuntur* (distorquentur) *semitae viae eorum, ascendunt in vacuum* (abeunt in nihilum) *et pereunt.*

Hanc versionem prorsus exigit *punctatio mas.*; forma enim יִלְּכְתוּ passiva est, אָרְחוֹת vero status est constructus, quare sine textus mutatione non potest verti, ut alii volunt (*Ros. W. Zsch. Renan*) « deflectunt (ad illos) viatorum catervae iter suum ». Hoc exemplum spei deceptae in subseq. Iobus proponit, quare non iam hoc loco erit ponendum; multoque minus probari potest illorum opinio, qui membrum alterum « ascendunt in vastum (desertum) et dispereunt » de viatorum catervis accipiunt (*Ros. W. Zsch. Renan*); nam quo pacto viatorum catervae hoc loco iam dicerentur interire, cum tandem v. 19. 20 viatorum et mercatorum turmae ad illos venire et spe deiici sua scribantur? Quare *vulg.* interpretatio hoc loco omnino retinenda est, sed debet de torrentibus explicari (cum *Malv. Vav. Cod. Le Hir*), non immediate ad amicos transferri (cum *Cord. Tir.*), quorum actiones sint multis simulationibus et dolis intricatae et qui tandem inauspicato fine desinant.

Iam exemplo viatorum et mercatorum per desertum iter facien-

1. Placet adhuc adscribere, quomodo *Vav. vulg.* textum et sensum textus hebr. studeat conciliare : « amici mei similes sunt torrentium qui pruinam timent i. e. quibus imminet pruina et in quos nix crebra descendit; quibus liquatis (pruina dico et nive) intumescunt et alveos superfusi subiectam inundant planitiem. Timere autem dicit torrentes, quoniam iis aucti veluti quiete sua et cubili moventur ».

tium, qui huiusmodi torrentes in aquae penuria ad sitim exstinguendam exquirentes misere falluntur, rem suam illustrat. Et in textu hebr. quidem v. 19 *respexerunt turmae itinerantium Thema, coetus commeantium* (*profectiones*) *Saba exspectaverunt eos;* v. 20 *pudefacti sunt quia speraverunt; venerunt eo usque et pudore cooperti sunt*. Sensus est facilis; in itinere spem collocant animosque et oculos intendunt ad torrentes, sed cum ad alveum accedunt, vanam fuisse spem non sine pudore et damno cernunt. Ad eundem sensum *vulg.* verba sunt exigenda v. 19 « *considerate* [1] *semitas Thema, itinera Saba, et exspectate paulisper* »! — res in *vulg.* vivo quodam modo proponitur, dum lectores admonentur, ut ipsi oculos coniiciant in varia itinera Thema et in vias Saba (de nominibus cf. 1, 15; 2, 11) et paulisper exspectantes attentionem figant. Quid enim mox videbunt? v. 20 « *confusi sunt* »; — cernent viatores stupefactos, spe deiectos, tristitia afflictos, quia frustra aquam quaerunt « *quia speravi* » — haec lectio difficilis est explicatu [2]; hebr. habetur כָּטַח *speravit* scil. unusquisque eorum. Lectionem lat. ita *Vav.* explanat: « ego, vel quilibet alius praetereuntium, qui quid ex eo torrente solatii captent; aut legendum *speravit* i. e. quisque eorum, ut in hebraeo »; « *venerunt quoque usque ad me et pudore cooperti sunt* »; — secundum *vulg.* hic iam continetur apodosis similitudinis, quam Iobus ad amicos suos transfert, quorum culpat fidem (*Vav.*); sed patet textum hebr. merito praeferri et applicationem ad amicos sollemni modo fieri v. 21 [3]. Ceterum quod aliqui interpretes lat. afferunt ad versus hos elucidandos parum ad rem esse videtur: considerate actiones et conversandi rationes Thema et Saba i. e. vosmetipsos et vestras actiones, et vestro ipsorum iudicio vos pronuntiabitis reos violatae amicitiae (*Cord.*); vel: videte, quam pauci amicorum ex Thema et Saba ad me solandum accurrant; omnes victi pudore fugiunt me (*Tir.*); vel posse sumi de amicis, qui more mercatorum emporia tantum respiciunt, unde spes lucri est; ea sublata emporia deserunt; sic amici me colebant, donec a me aliquid exspectarunt (*Mar.*) — sed qua ratione haec *verbis explicandis* congruant, equidem non assequor.

---

1. Legit interpres תַּבִּיטוּ nunc effertur הַבִּיטוּ.

2. In editione operum *S. Hier.* legitur *speraverunt* (cf. Migne t. 28 c. 1089); et revera *pluralem* numerum LXX, *Chald. Syrus* praebent; et ita *B.* textum hebr. emendat.

3. LXX et *vet. lat.* versus hos 16-20 ita exhibent: « qui me metuebant nunc irruerunt super me. Sicut nix aut glacies constricta cum tabuerit in calore, non apparet quid fuerit, sic et ego derelictus sum ab omnibus. Perii et exsul de domo mea factus sum. Videte vias Themanorum, semitas Sabaeorum. Intuemini, quia confusionem consequentur qui in civitatibus et in divitiis confidunt ».

Iam similitudinem applicat. Spe solatii ab amicis destitutus est, quia videntes plagam eius eum prae pudore et horrore aversantur; ita v. 21 « *nunc venistis, et modo videntes plagam meam timetis* »; — [1] nunc igitur *timent* i. e. horrent eum eiusque plagam, inde ab eo se avertunt, eum aversantur (cf. *Cord. Mar. Men.*). Hanc vero amicorum in amicitia praestanda negligentiam iam inde exagitat, quia nunquam ab iis aliquid largitionum vel beneficiorum postulaverit; si eiusmodi ab iis efflagitasset eorumque opes ad suos convertere vellet usus, utique explicari posse, cur nunc adeo ab amore recedant. Nulla igitur causa iis adest, cur amicitiae iura violent: v. 22 « *numquid dixi: afferte mihi, et de substantia vestra donate mihi* »? — verba sunt facilia; indicat, se neque eorum divitias neque auxilium armorum vel fortitudinis unquam ab iis expetiisse: v. 23 « *vel: liberate me de manu hostis et de manu robustorum eruite me* »? — proinde se fuisse amicum eorum sincerum, non lucri quadam utilitate captum; quare eo magis indignum est, ut talem amicum spernant et aversentur. Simul perstringit eorum perfidiam: sane non est quod me timeatis, cum nihil unquam a vobis exegerim (cf. *Cord. Men.*). Vel ut *Malv.* vim expostulationis perpendit: si aliquid a vobis expeterem, inhonestum esset amico laboranti recusare; at quanto magis, si ne illud quidem levamen praestatis quod possetis sine ullo dispendio? Attulerunt ei nimirum non solatium sed increpationes et duras reprehensiones. Ad has refutandas et procul a se repellendas iam transit.

Sed ne quis putet eum loqui obfirmato animo et quasi indurato nec velle ab aliis salubria consilia accipere, antea se promptum ac paratum declarat ad doctrinam sibi oblatam mente et animo amplectendam. Unde v. 24 « *docete me et ego tacebo, et si quid forte ignoravi, instruite me* »; — uti in hoc membro *doctrinam*, ita in altero ex textu hebr. *rectam* suam spectat *et quid erraverim, facite me intelligere*. Si quid in doctrina vel in usu peccaverit vel a recti iustique regula recesserit, paratum se dicit ad emendationem. Verum talem criminum accusationem qualem Eliphaz ei impegit, indignabundus reiicit. Ita quidem ex *vulg.* textu v. 25 « *quare detraxistis sermonibus veritatis, cum e vobis nullus sit qui possit arguere me* »? — Falsitatis arguit illam criminum imputationem, falsitatis illam sententiam *impium* tantum affligi, quia nemo sit qui ipsum talium criminum reum esse iure possit asserere. Eliphaz porro talia proferens revera *veritatem* laesit. Haec explicatio

---

1. Fere idem in LXX; ἐπέβητέ μοι, legerunt proinde לִי pro לֹא (Ketib) vel לִי (Qeri). Sed hebr. *Ketib* congruit *sed nunc facti estis nihil* i. e. nulli omnino utilitati pro me (cf. *Cod. Vat. Malv.*). *Qeri* לִי ad ipsam similitudinem debet referri: *quia nunc facti estis* similes *illi* sc. tali torrenti (cf. *Malv.* II. *Vat.*).

mihi videtur magis accedere et ad contextum et praecipue ad *verborum vim ac proprietatem*, quam illa quam ab aliis video proponi : cur reprehenditis verba mea quae primo protuli in mea lamentatione, cum verissima sint illa nec ullius vitii argui possint (*S. Thom. Pin. Cord.*)? At Iobi gemitus dici *veritatis sermones*, mihi persuasum non est. Reprehendit porro Iobus in sermone Eliphaz (quem ex aliorum quoque mente ac sententia locutum esse iure opinatur — cf. 5, 27 — unde *detraxistis* et similia) praeter argumenti falsitatem *inhumanitatem* quandam atque *acerbitatem*, qua ipsum pungere et exulcerare non verentur v. 26 « *ad increpandum tantum eloquia concinnatis* » ; — i. e. ad reprehensionem solum ac vituperationem verba vestra facta sunt et composita. « *et in ventum verba profertis* » ; — i. e. praeterea inania prorsus sunt, *scopum non feriunt*, in cassum ac vanum proferuntur, quia in Iobo vitia talia non erant, neque Iobus ullo modo iis se vult vel potest docilem praebere.

Iam de textu hebr. ; v. 25 verbum מֹרֶץ in 3 Reg. 2, 8 et Mich. 2, 10 et infra 16, 3 ita est a *Hier.* redditum, ut exigente sensu et consentientibus LXX, *Chald.* et *Syro* notionem habeat *esse validum, vehemens, acerbum, molestum*. Quae notio certe hoc loco etiam est retinenda, vel ita, ut *verba rectitudinis* i. e. verba quae recta esse deceret et quae cum irrisione recta dicantur, tamquam *acerba, molesta* traducantur et reprehendantur, quem sensum LXX et *Aq.* hoc loco exprimunt, vel quod pluribus (*Vav. Cod. Malv. Mar. Del. Le Hir, P.*) placet : quam *validi* i. e. quam *efficaces* ad animos percellendos sunt sermones veri, quanta est vis et auctoritas veritatis! Sensus uterque optime contextui congruit, et hic quidem bene post v. 24 Iobi animum aperit ad veritatem amplectendam et unice amandam paratissimum et elegantem continet oppositionem, qua indoles sermonis Eliphaz perstringitur. At nihilominus propter usum verbi locis allatis et propter veteres interpretes prior est praeferendus : quam acerba, acria, molesta sunt verba, quae tamquam veri iustique regulam venditis (cf. *Pin. W. Hitz. Zsch.*)! huic etiam facilius accommodatur versio *Hier.* et *Syri* h. l. — Commemoranda demum est tertia sententia, qua (ל et ר permutatis) נְבוּלָצוּ (cum uno alterove cod. hebr.) legunt *quam dulcia sunt* i. e. quantum levaminis ac solatii afferunt afflicto sermones quibus prudentia inest ac sana ratio (*Ros. Hirz.*), quam explicationem iam apud *Chald.* et *Iarchium* legimus (cf. *de Rossi*).

Acerba esse amicorum verba dixit Iobus v. 25 a ; addit ea scopum minime tangere *et quid reprehendit reprehensio* (vel *quid arguit argumentatio*) *a vobis?* i. e. quid veri continet aut quid efficit? vel an subest vera eius ac iusta ratio? Minime! Verba hebraea ita sumpsisse videtur *Hier.* ad literam *quid arguet arguendo* (scil. quisquam) *ex vobis?* et liberius reddidisse. In v. 26 *Hier.* in unam phrasin coniunxit מִלִּים הַהֹשֵׁבוּ i. e. *verba excogitatis*, et ita etiam *Mar. Malv.*, id quod sane fieri potest, cf. Gen. 50, 20. Ps. 10, 2 ; 21, 12 ; 35, 20 (hebr.) etc. At minime spernenda aliorum interpretatio : *an cogitatis verba reprehendere* i. e. nuda verba, qualia sunt afflicti querelae? (cf. *Malv.* I. *Ros. Del. Hitz. Zsch. P.*) ad quem sensum optime congruit quod sequitur *et in ventum dicta afflicti* i. e. cum tamen verba moestissimi cuiusque in auram dicta sint, neque tristis velit neque sana ratio permittat, ut eiusmodi verba quae vento abripienda ab ipso tradantur, ad vivum

quasi resecentur, premantur. Vel etiam : existimatisne *verba* sufficere ad arguendum (*Cod. W.*)? quae tamen expositio coarctior videtur. Ultimo membro Iobus inculcat sententiam ad ipsius sermones interpretandos gravissimam *in ventum dicta desperati*. Cum S. *Hier.* vocem נוֹאָשׁ alias rite vertat (cf. 1 Reg. 27, 1. Ier. 2, 25. 18, 12. Eccl. 2, 20), sane hoc loco literis mutatis נָשׂוֹא = verba *proferre* (cf. Ex. 20, 7. 23, 1. Num. 23, 7) legit.

Amicorum inhumanitatem etiam acrius carpit v. 27 « *super pupillum irruitis*; — se omni ope destitutum comparat pupillo, in quem praedonum more irruere crudelissimum est; « *et subvertere nitimini amicum vestrum* »; — i. e. penitus deiicere ac deturbare studetis eum qui iam oppressus est, *amicum* talia non merentem.

Acerbitate qua usus est Eliphaz ita reprehensa ad ulteriorem disceptationem sustinendam se paratum declarat, eius modum indicat et se victorem fore certo pronuntiat. Atque primum quidem v. 28 « *verumtamen quod coepistis, explete! praebete aurem et videte, an mentiar* »! — sensum bene proponit *Cord.* : « non subterfugio rationibus vobiscum agere neque censorium vestrum iudicium detrecto ; quare incepta ad finem usque perducite, ita tamen, ut mihi non negetur respondendi facultas; quamobrem diligenter attendite, an in verbis meis aliquid resonet affine mendacio ». Dein modum disceptationis et moderationem prescribit v. 29 « *respondete, obsecro, absque contentione, et loquentes id quod iustum est iudicate* » ; — postulat, ut sine ira loquantur et ut iusti verique normam ob oculos habeant ; quod si praestiterint, Iobo persuasum est, eos falsi nihil, nihil stulti in ipsius sermonibus deprehensuros; ita v. 30 « *et non invenietis in lingua mea iniquitatem; nec in faucibus meis stultitia personabit* » ; — adeo scil. Iobus certus est de sua integritate, qua calamitates suas minime esse scelerum poenas confidit.

Versio S. *Hier.* v. 27 ex textu hebr. facile declaratur; legit scil. תִּפֹּלוּ, uti etiam LXX ἐπιπίπτετε; et *fodere contra amicum* כרה *fodere* quasi ad eum eradicandum et subvertendum exposuit. Textus mas. fert תַּפִּילוּ = *cadere facitis* scil. sortem (*Malv. W. Del. Hitz. Zsch. P.*) vel rete, laqueos (*Cod. Mar.* cf. *Malv. Le Hir*) *super pupillum proiicitis*. Idem legit *Chald.*; sed cum *iram super eos effundere* vertat, particulam אַף tamquam obiectum אף *iram* interpretatus est (cf. *Malv.* — Idem *Syrus* expressisse videtur : *contra pupillum efferimini*). Phrasis alterius hemistichii כָּרֶה עַל ab aliquibus (etiam a *Syro*) explicatur *paciscere, mercari, vendere* (cf. *Cod. W. Del. Zsch. Hitz. Renan, P.*); unde amicos crudelitatis arguit, qua pupilli bona sorte inter se distribuere et amicum vendere parati sint; tali scil. mentis duritie eos secum egisse accusat. Quamvis כרה significet *emere* Deut. 2, 6. Osee 3, 2, tamen usus longe frequentissimus notionem *fodendi* fert, qui etiam hoc loco non deserendus esse videtur [1] (cf. *Mar. Malv. Pin. Ges. Ros. Fürst C.*). Sensus enim commode exsi-

1. LXX habent ἐνάλλεσθε; id *Houbigantius* ad verbum כרר *saltare* (?) refert. *Chald.* vertit *cogitare contra amicum*.

stit : super pupillum laqueos proiicitis et circa (contra) amicum foveam foditis; dum alia explanatio de mercatura instituenda satis longe quaesita videtur. Atque haec de v. 27.

Amicorum vehementia reprehensa Iobus v. 28 in textu hebr. efflagitat, ut amici animis pacatis ac benevolis rem considerent : *et nunc velitis, respicite in me, et ante conspectum vestrum (sit), num mentiar* i. e. rogat, ut aequi bonique iudices sint et de ipso et querelis quas fuderit, sententiam ab iro studioque alienam ferant. Textus *vulg. quod coepistis* intelligitur ex eo, quod v. 9 de verbo יאל notavi; adiecit interpres *explete* de suo ad sensum complendum illum, quem verbo יאל tribuit.

Textum hebr. v. 29 ita explico : *revertimini, quaeso* (i. e. animos mutate, vel denuo disceptate), *ne sit iniquitas, revertimini, adhuc iustitia mea in se* [1] i. e. ne eum aversentur, adhuc enim iustitia eius in se constat firma (*Cod. Del.*). Quare cum omni fiducia quaerit ex eis v. 30 : *num est in lingua mea iniquitas, numquid palatum meum non sapit* (discernit) *corrupta?* i. e. nihil iniqui locutus sum, vel an putatis meum palatum ita esse omni vi sentiendi destitutum, ut corrupta et prava iam non valeat a bonis discernere? Metaphoram sumit a sensu externo, ut dicat animum suum non carere recto iudicio quid sit bonum vel malum; unde profitetur se sibi conscium esse neque antea se flagitia admisisse neque nunc (cf. 3) in verbis peccasse. Ad hanc ultimam sententiam iterum Iobi calumniatores amandamus, qui animum eius ita callo obductum fingunt, ut horrendas fuderit blasphemias neque ad malitiam mentem adverterit.

c) Miseria vitae expenditur 7, 1 — 10.

Accusatione amicorum reiecta et disceptationis norma quadam ac regula praestituta (6, 28 et seq.) exponit Iobus quid ipse de sua conditione sentiat et de consolatione ab Eliphaz promissa. Ut enim bene *S. Thom.* nexum proponit, promiserat Eliphaz quandam terrenam beatitudinem, si increpationem Domini non reprobaret. Sed beatus Iobus ostendit hanc consolationem esse incongruam, idque primo ex conditione praesentis vitae, postmodum ex sua propria conditione. Quare primo asserit generatim vitam humanam duris laboribus esse obnoxiam : v. 1 « *Militia est hominis vita super terram et sicut dies mercenarii dies eius* » : — nervose in hebr. et ad disceptationem accommodate : *nonne militia* (est) *homini super terram?* אֱנוֹשׁ etiam hominem dicit fragilem, labilem, miserum cf. 23, 6. Ps. 8, 5 ; 9, 20 ; 55, 2. *Militia* durum indicat ac strenuum laborem, eumque periculis, vigiliis, certaminibus plenum ; *dies mercenarii* tempus designant labori et sudori, obedientiae et subiectioni praestitutum, cuius finem operisque mercedem avide homines appetunt et exspectant. Utramque similitudinem praeclare expendit

---

1. Sed certe melius cum *Houbig. Hitz. B.* legitur בִּי *in me* pro בָּהּ

S. Thom. : « praesens vita comparatur ad ultimum finem sicut motus ad quietem et via ad terminum et ideo comparat eam illis statibus hominum qui tendunt ad aliquem finem... (idque) propter duo quae imminent homini in praesenti vita, ut scil. resistat impedimentis et nocivis (*militia*) et ut operetur utilia ad finem (*dies mercenarii*). Ex utroque autem exemplo datur intelligi praesens vita divinae providentiae subdi; nam milites sub duce militant et mercenarii a patrono operis mercedem exspectant ». In hoc onere et ipse Iobus duram servit servitutem v. 2 « *sicut servus desiderat umbram et sicut mercenarius praestolatur finem operis sui* »; — hebr. *sicut* (*qui*) *anhelat umbram* (*Cod.* summo desiderio aspirat *Malv.*) *et sicut mercenarius* (qui) *exspectat mercedem suam* (LXX, *Chald. Cod. Malv.* V. etc.), ita ipse quoque sensit et sentit diei pondus et aestum, quin immo magis, quia *iam diu* cruciatu exagitatur et per *ipsas etiam noctes* aliis ad requiem concessas levamine caret. Ita v. 3 « *sic et ego habui menses vacuos et noctes laboriosas enumeravi mihi* »; — hebr. *sic sortitus sum* (quasi hereditate accepi) *menses vanitatis* i. e. fallaces, mendaces, qui spem fallunt, nunquam finem exoptatum aut melioris conditionis vicem afferunt (cf. *Pin. Vav.*) *et noctes laboris adnumerantur mihi* [1]; igitur conqueritur quod supra communem sortem et diuturnitate aerumnarum et sine ullo quietis intervallo oneretur. Bene enim adnotat *Vav.* Iobum non tam se cum aliis conferre, quam quid et quatenus differat exponere. Ex quo loco simul patet, Iobum *diu* (*menses* vacuos dicit) iam affligi, id quod ad patientiae exercitationem rite aestimandam et ad gemitus benigne interpretandos considerari oportet.

Id sane ex gravissimis est quod modo tetigit, excruciari sine ullo respirationis intervallo, unde accuratius id delineat v. 4 « *si dormiero, dicam : quando consurgam* »? — i. e. si decumbit (ita hebr. שָׁכַב) nocte adventante, iam diei lucisque adventum exoptat, uti aegri qui noctes insomnes quam maxime timent; luce orta denuo finem diei desiderat « *et rursum exspectabo vesperam* »; — ita perpetuis iactatur et inanibus desideriis, cum neque noctu neque interdiu aliquid capiat levaminis sed « *et replebor doloribus usque ad tenebras* »; — LXX et *vet. lat.* « si dormiero, dico, quando dies? et si surrexero, rursum, quando vespera? repleor autem doloribus a vespera usque ad mane ». Textus hebr. noctes exhibet insomnes et longas et plenas doloribus : *si decumbo, dico, quando surgam? et extendit vesperam* (i. e. Deus mihi noctem reddit longam V. *Fürst, Del.* : alii : protenditur nox *Hitz. Zsch.*)

1. Consentiunt *Aq. Theod.* cf. cod. syr. hexapl.

et satior iactationibus usque ad crepusculum (cf. *Cod. Malv. Mar.*) [1].

Cur diu noctuque doloribus iactetur, exponit v. 5 « *induta est caro mea putredine et sordibus pulveris* »; — bene *Cord.* : « adeo extabui ut corpori meo obducta fuerit crusta quaedam purulenta et pulvere adhaerente sordida; cutis arida in rugas sese contraxit »; vermibus scil. scatet et ulcerum crustis. In hebr. *induta est caro mea verme* (vermibus) *et ramento* (gleba) *pulveris* i. e. scabie et siccioribus crustulis exustisque particulis decidentibus ex corpore, nam hae excrescere et excerni solent ex elephantiacis (*Pin.*); « *cutis mea aruit* »; — hebr. רָגַע *findere, diffringere cum strepitu* (*Malv. Mar.*) [2] « *et contracta est* »; — hebr. *et liquefit* i. e. denuo sanie diffluit, scinditur manantibus ulceribus [3].

Et ad tantam miseriam redactus est post vitam celerrime dilapsam. Ex praesenti enim conditione miserrima oculos flectit in vitam praeteritam eamque deprehendit citissime avolasse, dirigit in tempus futurum neque ibi spem vel solatium invenit. Unde v. 6 « *dies mei velocius transierunt quam a texente tela succiditur, et consumpti sunt absque ulla spe* »; — hebr. *velociores fuerunt quam radius* (*navicula*) *textoris* [4] (cf. *Pin. Cord. Cod. Malv. Vav.*) i. e. abierunt velocius quam navicula illa textoris qua subtegmen stamini inseritur, quae sine intermissione nunc ad dexteram nunc ad sinistram excussa volat. Non possum non mirari, quod recentiores quidam hoc de Iobi praesenti conditione accipiunt (*Ros. Del. W. Hitz. Zsch.*); sed num in morbo dies tam cito avolant, vel quando aegrotus hac de re conqueritur? Quare optime *Hier.* vertit *transierunt*. Iam quid speret de futuro? praesens corporis dissolutio et putredo nihil aliud suadet, quam dies consumi sine ulla spe.

Quare a Deo efflagitat, ut ei liceat minimum spatium quod supersit aliquo cum levamine absolvere. Ut Deum ad miserationem inflectat, vitae cursum humanae commemorat praecipitem, irrevocabilem. Unde v. 7 « *memento quia ventus est vita mea* »; — i. e. transit cele-

---

1. מִדַּד varie accipitur; quando *vesper emetietur* spatium? alii *cor meum* supplent (cf. *Malv.*); alii substantivum a נָדַד *fugit, recessit* esse volunt: *quando recessus vesperae* scil. erit?

2. H. l. etiam accipit *Fürst C.*, dum alias *fremere, strepitum edere* (infra 26, 12) ve- *obiurgare* (Is. 51, 15) significat; aliis praeplacet notio *sese contrahendi, cicatrices obducendi* (*Syrus, Ges. Malv.* IV. *Hitz. Le Hir.*).

3. Ita *Chald.* et *Syrus* יִמְאֵס quasi a מסס; quacum versione iure recentiores consentiunt plerique (cf. Ps. 58, 8 hebr.), dum pauci notionem מאס (aversabilis, abominabilis facta es) retinent.

4. ὑπὲρ ὑφάσματος *Aq.* sim. *Sym. Theod.* cf. cod. syr. hexapl. Codices LXX variant; vel χαλιᾶς (ita quoque *Syrus hexapl.*) vel δρομέως.

riter et fuga est irrevocabilis; *semel* tantum vivitur, quae nova ratio est, qua Deum flectere conatur; *una* enim vita tantum habetur eaque brevis, quare hanc aerumnis obruere et opprimere vis? hoc est, quod dicit « *et non revertetur oculus meus, ut videat bona* »; — bene *Ol.* : « memento vitam humanam fragilem esse et caducam, *ad quam redire non poterimus*, cum mors semel nos inde avulserit, neque bona eius intueri neque frui ». Haec ratio plana est et ipsis verbis conspicua, quam etiam plerique interpretes rite perceperunt (cf. *Greg. exp. in. Phil. Thom. Caiet. Sanct. Pin. Cord. Malv. Mar. Men. Tir. Gord. Ros. W. P.*). Perperam *Del.* et *Zsch.* ea ita accipiunt quasi Iobus statum vitae et animae post mortem describat.

Varie adhuc effert, omnem spem vitae *terrestris* esse praecisam sibique mox esse e vivis excedendum v. 8 « *nec aspiciet me visus hominis* »; — i. e. iamiam in eo est, ut mortalium aspectibus me mors eripiat (*Pin.*); « *oculi tui in me, et non subsistam* »; — i. e. mox quaerent me oculi tui et non ero uspiam in vivis, nec bene facere mihi in hac vita poteris, nisi nunc statim facias (*Vav. Cord. Men.*). Iste sensus et simplex est et altero hemistichio ex lege parallelismi commendatur; quem alii proponunt *oculi tui in me* scil. ad me occidendum (*Malv. Hitz.*), vel *deprecatorie*: benigno vultu me aspice et concede, ut vita defungar (*Tir.*), et longius abesse videtur neque ad orationem contextam satis accedere. Cum v. 7 sermo aperte fiat ad Deum, vix h. l. *tui* cum *Mar.* et *W.* ad quemcumque hominem poterit referri.

Uti v. 8 priorem v. 7^{mi} partem de vitae veloci cursu denuo explicuit, ita iam v. 9 et 10 alteram partem v. 7^{mi} latius prosequitur; iam non superesse *horum* bonorum terrestrium spem; hac ratione simul respondet ad id quod Eliphaz 5, 17 et seq. suaserat. v. 9 « *sicut consumitur nubes et pertransit; sic qui descenderit ad inferos non ascendet* »; — verba plana sunt neminem de limbo ad hanc terram redire (*ascendere*); v. 10 « *nec revertetur ultra in domum suam* »; — i. e. ad statum vitae praesentis (*Est.*), « *neque cognoscet eum amplius locus eius* »; — i. e. locus, ubi antea vixit homo, iam non videbit hominem revertentem (*Sa*). Apta est prosopopoea (cf. *Pin.*), qua pristina domus quae adeo quasi familiaris erat hero, eum fingitur penitus oblita esse, ita ut si rediret, eum iam non agnosceret. Ex hisce iterum patet, Iobum non loqui de hominis sorte et conditione in altera vita neque ullo pacto resurrectionem negare vel in dubium vocare [1].

---

1. Quare minime etiam consequitur, quod *S. Chrys.* et *Did.* h. l. volunt, Iobum ignorasse resurrectionem. *Did.* quidem ita : « alii haec a Iobo dicta esse volunt, primum quidem ut humanae vitae fragilitatem et deinde, cum qui semel obierit ad corruptibilem

d) Querelis laxat habenas 7, 11-21.

« Cum haec ita se habeant et ego ad extremum prope iam spiritum redactus sim, quod mihi liberum est, cordi et ori indulgebo paullulum et erumpentia suspiria non supprimam » (*Pin.*) [1]. v. 11 « *Quapropter et ego non parcam ori meo, loquar in tribulatione spiritus mei, confabulabor cum amaritudine animae meae* »; — hic versus maxime attendatur oportet; triplici modo edicit se velle animi moerorem in querelas effundere idque libere i. e. *os non continere,* non comprimere (hebr.) sed *loqui in angustia* et tribulatione *mentis* et *lamentari in amaritudine animae* (hebr.); proinde unum illud levamen sibi vult concedere, ut clamoribus et vocibus querulis dolores et animi pondus exoneret, ut impetum lamentationum non refrenet. Quare luce clarius est, ad verba sequentia applicandam esse illam regulam hermeneuticam, de qua ipse Iobus 6, 26 *in auram verba afflicti,* neque sermones hos ad verborum rigorem esse exigendos. Qua in re aliqui interpretes recentiores Iobo iusto iniquiores se praebere non verentur. Bene vero vim huius versus expendunt *S. Thom. Pin. Cord. Vav. W.*

Primum quod eius animum percellit est, quod homo fragilis ac debilis tantis a Deo exerceatur suppliciis; unde v. 12 « *numquid mare ego sum aut cetus, quia circumdedisti me carcere* »? — hebr. *quia posuisti mihi custodiam*; bene *Cord.*: « adeone tibi visus sum ferus ac noxius inter homines, ut in huius corporis aerumnosi carcere tot plagis me deprimere, vincire et compescere a violentia oportuerit »? Mare aestuans certis finibus quasi repagulis a Deo concluditur; cf. Gen. 1, 9. Ps. 103, 7. Iob 38, 11. Prov. 8, 29. Ier. 5, 22. « Aut sum bellua aliqua immanis et ferox, quae ne aliis exitio sit, caveis et clathris includitur »? *Men.* Continuo enim, immo etiam in somno et per noctem se cernit a Deo infestatum; ita v. 13 « *si dixero* : *consolabitur me lectulus meus et relevabor loquens mecum in strato meo,* v. 14 *terrebis me per somnia et per visiones horrore concuties* »; — i. e. si a nocte et a strato mihi aliquid levaminis polliceor, si mecum cogito : imminuet, *auferet gemitum meum stratum meum* (hebr.)

---

hanc vitam minime rediturum nec consueta munia obiturum, ostenderet... probabilis quidem (πιθανὴ) est haec interpretatio, prior autem verior, quod iustus ea quae sunt de resurrectione ignoraverit, unde et admiratione maiore dignus est, quod tale nihil sperans virtutem summam ostenderit ».

1. Ita transitus ad sequentia immediate fluit ex antecedentibus, quare *B.* perperam opinatur : « stichus sequens hanc poscit suppletionem : tu non retines animam meam a fovea ».

i. e. somno demum obliviscar dolorum vel saltem onus erit levius, tu dormientem persequeris et terres et excrucias somniis et obiectis spectris et terrificis visionibus novo quodam horrore me concutis, terriculamentis me turbas (*Cod. Cord.*). Particula בִּן uti notum est, causam saepe affert, quare bene *vulg.* aliique : *per visiones me horrore concutis*, neque opus est cum *Del.* interpretari : ex visionibus me horrore et terrore excutis et exturbas. Solent morbo elephantiaco laborantes noctes partim ducere insomnes partim molestis somniis angi. *S. Chrys.* censet probabile esse, Iobo ab ipso daemone eiusmodi terriculamenta fuisse immissa; certum id esse asserunt *Phil. exp. in. Pin.*

Tantis igitur exagitatus malis quid praeoptet, dicit v. 15 « *quamobrem elegit suspendium anima mea et mortem ossa mea* » ; — clarius ex hebr. : *et optat* (praeoptat, mavult) *suffocationem anima mea, mortem prae ossibus meis* (potius quam ossa mea) ; sensum esse comparationis *malim mori quam talia sustinere* patet ex particula בִּן ; mors ei magis videtur optanda *quam ossa haec*, ad quae corpus est redactum, quam manere et habitare in ossibus (*Malv.*). Morbus elephantiacus respirandi difficultatem et suffocationem revera secum affert (*Ros. Del. W.*), unde Iobus optat, ut morbus tandem penitus eum absumat atque conficiat. Simul extremam maciem morbus ille efficit, quare apte *ossùm* [1] mentionem facit. Porro animi moerorem pandit et quanto taedio afficiatur v. 16 « *desperavi* » ; — hebr. *aversor,* abominatus sum, taedio affectus sum; alii, uti supra v. 5 : contabesco vel sanie diffluo (*W. B.*); « *nequaquam ultra iam vivam* » ; — i. e. nullo modo vitam hanc miserrimam produci velim; ita denuo taedium vitae mortisque desiderium prodit. Aliud parumper in textu hebr. cui LXX quoque et *Syrus* et *Chald.* concordant : *non in perpetuum vivam* i. e. cum acerba quadam irrisione dicit : sane nullatenus vellem in tali miseria vivere in aeternum; vel est litotes : brevissimo tempore consumptus ero. Satius est mori, quam durissime affligi. Unde Iobus modo mortem exoptat (v. 15), modo levamen et solamen in aerumnis. Hoc nunc expetit « *parce mihi* » ; — vel ex hebr. potius *desiste a me*, omittas me (*Cod. Mar. Malv. Vav. Le Hir*) ; flagitat, ut Deus qui eum affligit, recedat, retrahat manum percutientem ; « *nihil enim sunt dies mei* » ; — hebr. *nam halitus* (*sunt*) *dies mei* i. e. vita et celerrime elabitur et vilis est (*nihil*), unde Deum rogat, ut nunc sibi misericordiam

---

1. Quare *B.* immerito textum mutat legens *aççebotaj* dolores mei; at *ossa* legerunt et verterunt LXX, *Sym. Syrus, S. Hier.* Perperam quoque *Hitz.* vocem hanc notissimam aliena prorsus significatione donat *vinculum, torques*, ut innuat, Iobum voluisse se *torque* strangulare. *Le Hir* censet *ex ossibus meis* intelligi debere de intimo desiderio : je l'appelle de tous mes vœux (la mort) et confert Ps. 35, 10. Sim. *Renan :* mes os ont appelé le trépas; iam *Malv.* quoque inter alia explicat *ex intimis medullis, cupidissime.*

exhibeat, cum post brevissimos dies iam non possit esse locus et occasio favoris ei praestandi, simulque vitae humanae fragilitate commemorata misericordiam implorat. Id in sequentibus latius prosequitur. v. 17 « *quid est homo, quia magnificas eum* »? — i. e. miratur, cur Deus hominem miserum *tanti faciat*, ut scil. tamquam antagonistam eum sibi opponat, cum quo congrediatur, quem magnis et continuis aerumnis cruciet. Est igitur honor ille *ironice* dictus : an operae pretium est, homuncionem tam attenta cura persequi et vexare? Ita rite versum accipiunt *Malv. Vav. Tir. Calm. W. Zsch. P.*; sensu igitur contrario haec verba usurpantur quam Ps. 8. Id h. l. contextus (cf. v. 12. 18. 20) plane exigit, quamvis aliqui verba haec eodem sensu quam Ps. 8 accipiant (cf. *Pin. Cord.*); ironice quoque ait « *aut quid apponis erga eum cor tuum* »? — i. e. sedulo attendis animum ad eum; nonne plus illi quam pro merito defertur, si illi affligendo et puniendo Deus curas intendat (*Calm.*)? Nunc iam ipse declarat, qua in re honor iste a Deo homini impensus et attentio ille magna consistat v. 18 « *visitas eum diluculo* »; — hebr. *per (singula) tempora matutina eum visitas* afflictione et castigatione « *et subito probas illum* »; — hebr. *per momenta* i. e. singulis momentis *eum exploras*, examinas, in eum inquiris (*Malv. Calm. W. Le Hir*). Ita dolore exulceratus continuos suos cruciatus diurnos nocturnosque tamquam assidua Dei flagella sibi incussa lamentatur Deique in flagellando assiduitatem, diligentiam, studium miratur. Unde cum expostulatione quadam exclamat : v. 19 « *usquequo non parcis mihi* »? — hebr. *quamdiu (quousque) non avertes oculum a me?* i. e. quamdiu non cessabis a tam assidua cura et vigilantia contra me? Quamdiu vultus tuus iratus in me erit defixus? Averte illum parumper! « *nec dimittis me ut glutiam salivam meam* »; — i. e. quamdiu non sines me, non recedes a me affligendo, dum glutiam; per tantum saltem intervallum, quo ad glutiendam salivam indigeo? Minimo saltem momento levamen mihi concede; adeo continenter dicit se vexatum, ut ne traiiciendae salivae spatium quidem sit a dolore vacuum. *Salivam glutire* modus est loquendi proverbialis (cf. *Pin. Cord. Sa, Malv. Mar. Men. Vav.*) apud Arabes etiam usitatus (*Ros. W.*) ad brevissimum tempus significandum, quare aliae explicationes, Iobum adeo aestu et siccitate faucium vel angina laborare, ut deglutire non valeat, vel ad tantam virium imbecillitatem fuisse redactum, omittendae sunt.

Iam sua sponte in adversitatibus enascitur quaestio, *cur* homo adeo affligatur. Ea animum etiam Iobi vehementer pulsat. Unde v. 20 « *peccavi, quid faciam tibi* »? — i. e. esto quod peccaverim (*S. Thom.*), uti amici contendunt (est oratio concedentis *Vav.*); quare merito LXX et *vet. lat.* « si ego peccavi, quid possum tibi facere »? Phrasis haec

מָה אֶפְעַל לָךְ quae eadem infra 35, 6 et 22, 17 occurrit, potest significare : *quid noceo tibi, quid mali tibi infero*, etsi ego peccaverim ; et ita eam recentiores communiter accipiunt, quem sensum *Pin.* non reprobat, reiicit vero *Calm.* Alii exponunt : quid agam et tibi praestabo, ut te reddam propitium, quomodo me geram erga te « *o custos hominum* »! — qui hominem acerrime observas, exploras, vigilantia tua circumdas (v. 12), qui oculum vigilem et vindicem in omnes intendis! Uter sensus sit praeferendus, difficile est dictu. At loci infra allati, animus Iobi exulceratus, ipsa appellatio Dei custodis hominum et observatoris acerrimi et expostulatio subsequens priorem interpretationem commendant. Miratur Iobus scil., quomodo Deus adeo in ipsum animadvertat « *quare posuisti me contrarium tibi et factus sum mihimetipsi gravis* »? — bene hebr. מִפְגָּע explicari potest : quare posuisti me in *scopum tibi* i. e. in metam, in quam scil. eiaculeris furorem tuum et tela (cf. *Malv.* IV. *Cod. Pin.*), uti 6, 4, veluti hostem quem ferias (*Sa*) ; at minime sum ferendo ictus tuos, cum meipsum measque miserias ferre diutius non possim (*Tir.*) ; vel potius ita Deus in eum incurrit, ut sibi ipsi factus sit oneri (hebr.)[1] Iobus. Quomodo enim Deum sustineat hostem? Unde instanter flagitat, ut aerumnas tollat ; esto peccaverim v. 21 « *cur non tollis peccatum meum, et quare non aufers iniquitatem meam* »? — cur tardas remittere? Urgens est petitio ; rationem addit : si nunc non parcis, iam propediem non es habiturus, cui possis parcere, brevi enim moriar. Itaque denuo vitae brevitate ac miseria proposita petit, ut extremum demum vitae spatium sibi cedat tranquillum : « *ecce, nunc in pulvere dormiam, et si mane me quaesieris, non subsistam* » ; — *nunc* per hyperbolen ex animi commotione ortam dicit pro *brevi, brevissimo tempore* occumbam, id quod etiam altero hemistichio enuntiat. Accelera igitur Domine, quamdiu excipiendis tuis beneficiis par sum (*Calm.*).

Quamvis igitur recentiores quidam falso prorsus et inique has querelas interpretentur — censent enim Iobum ad id audaciae progredi, ut Deum tamquam hostem suum infensissimum describat eumque et iniustitiae et crudelitatis accusare non vereatur — tamen verum est, Iobum viam inire periculosam, quia tanto cum impetu scire vult, *cur* patiatur, et quia cum animi quadam acerbitate Deum dicit accurate in hominem invigilare, ut severe puniat, si quid illum errasse et peccasse deprehenderit. Sed simul perpendendum est, Iobum in hanc inquisitionem protrudi stulto illo et acerbo modo agendi amicorum.

---

1. Vel secundum traditionem hebr. de Tiqqun sopherim *cur tibi factus sum oneri*, cui LXX et *vet. lat.* concordant (cf. *Cod. Pin.*) et quam *Houbig. B.* adoptant. *Syrus* vero et *Chald.* legerunt, uti textus mas. habet עָלַי.

II. DISCEPTATIO CUM BALDAD. CAP. 8-10.

1. SERMO A BALDAD HABITUS. CAP. 8.

Arg. — Iobi orationem Baldad ita concipit (uti recentiores quoque Iobi obtrectatores), quasi Deum iustitiae violatae arguisset, unde divinam iustitiam suscipit defendendam asserens filios Iobi propter peccata iuste esse punitos, Deum autem humiles Iobi preces non repulsurum (v. 1-7). Dein ex maiorum sapientia probat, impiorum prosperitatem non diu durare, sed subito excipi ruina (v. 8-19), pium vero non abiici; quare Iobo spes futura sit, si pietatem instauraverit (v. 20-22). — Simili modo uti Eliphaz Baldad quoque sermone suo peccat alias non agnoscens Dei castigationes quam ad peccata et scelera punienda inflictas, quare in Iobi verbis iustitiae divinae accusationem deprehendit.

a) Deum iuste punivisse, at accepturum preces humiles 8, 1-7.

Quamvis Iobus ab amicis petierit, ut magnitudinem dolorum perpendentes ipsi saltem ne addant molestiam, ut sint aequi bonique iudices, tamen (quod novum est patientiae tentamen) acrius Baldad in eum invehitur : v. 2 « *Usquequo loqueris talia* » ; — bene *Cord.* : « Baldad non uti Eliphaz urbana quadam praefatione sed ex abrupto verbis indignatione plenis utens, usquequo, inquit, verba haec ventosa ac vana effuties »? « *et spiritus multiplex sermones oris tui* » ; — hebr. *ventus* (spiritus) *vehemens* i. e. similes sunt vento vehementi, tumidi sunt, iracundi simulque vani, aerem verberantes quidem sed sensum verum ac pium non resonantes. Quid adeo ei bilem commoveat, explicat dicens v. 3 « *numquid Deus supplantat iudicium aut Omnipotens subvertit quod iustum est* »? — i. e. numquid Deus pervertet, inflectet, supprimet ius et num Omnipotens id quod aequum et iustum est convellet? Falso id colligit Baldad ex verbis Iobi 7, 12. 17. 20. 21, quae est simul acerba accusatio et ad animum Iobi exulcerandum facta, ac si dicerem homini misero : nuncne sentis Deum esse *iustum?* Apposite rem expendit *Ol.* : « Dei patrocinium suscipiens in eundem errorem cum Eliphaz lapsus est. Et sane amicorum chorus sub larva communis affectus et doloris animum hostilem ostendens ad eum accesserat; prostrato enim insiliunt et alii alios insequentes et gyros innumeros ducentes ac choream mo es am saltantes nec respirand

quidem facultate ei concessa ulcera eius reulcerant ». Et : « tacite sanctum ferit, tamquam iure et propter peccata adversa pateretur ». Similiter *Cod.* et addit : « interim egregii isti sermocinatores de certi amici partibus deque charitatis officiis quae vera iustitia est nihil cogitant ». Iam sine mora ulla Baldad sententiam suam, Deum utpote iustissimum non punire nisi peccatores, ad sortem filiorum Iobi applicat, sane modo inclementi, si viscera spectes in Iobo paterna : v. 4 « *etiam si filii tui peccaverunt ei et dimisit eos in manu iniquitatis suae* » ; — i. e. tradidit [1] eos in manum (potestatem, vim) iniquitatis ; iniquitas autem suo pondere et naturali quadam necessitate supplicium affert, unde illis evenit quod peccato sunt meriti. Innuerat supra Eliphaz (4, 10. 11 ; 5, 4), filios Iobi interemptos esse propter patris peccata, Baldad vero illos occubuisse dicit suae iniustitiae (defectionis, impietatis) poenas luentes. Utrum magis aptum censebis ad *patris* animum vulnerandum? Mitius illo agere Baldad opinantur *Mar. Tir.*

Illi quidem extremo supplicio interempti sunt propter peccata ; tibi vero cum adhuc vita suppetat, etiam praesto est via redeundi ad salutem, si scelera tua defleveris et virtutem fueris amplexus. Ita Baldad ex praeiacta sua de calamitatibus doctrina de Iobi sorte praesenti et futura iudicium fert v. 5 « *tu tamen si diluculo consurrexeris ad Deum* » ; — *mane surgere* phrasis est hebr. *sedulo, diligenter, omni studio* aliquid agere (*Pin. Cod. Vav.* cf. Luc. 21, 38 : « omnis populus manicabat ad eum in templo audire eum ») ; ergo h. l. omni conatu Deum quaerere, proin ex toto animo ad eum reverti ; idque clarius definit « *et Omnipotentem fueris deprecatus* » ; — primus gressus est oratio qua *supplex* gratiam Dei imploret (haec vis הִתְחַנֵּן). Huic internae ad Deum conversioni respondeat oportet vita, vel potius illa in ipso vivendi modo est exprimenda et absolvenda ; unde addit v. 6 « *si mundus et rectus incesseris* » ; — ex opinione praeconcepta Baldad iustitia Dei ita est comparata, ut hisce in terris quemadmodum peccatum poena, ita virtutem statim debeat retributio et merces subsequi et comitari ; quare Iobo promittit, si conceptam animo pietatem vitae integritate et rectitudine comprobaverit : « *statim evigilabit ad te* » ; — hebr. *vere* [2] (sane) *tum suscitabit super te* opem scil. suam, custodiam, agere quasi incipiet vigilias (cf. *Mar. Malv.* — Deut. 32, 11 hebr. et LXX

---

1. *Et* per modum hebr. ו incipit apodosin, uti germanicum *so ;* illud *etiam* melius omittitur, neque adest in hebr.

2. כִּי in apodosi particula est affirmationis cf. Is. 7, 9. — *B.* textum hebr. secundum graecum mutandum esse censet.

ὡς ἀετὸς σκεπάσαι); hoc ultimo sensu optime subiungitur post *diluculo surgere ad Deum* Deique promptam ac benignam voluntatem et amorem sollicitum significat. Iam ista Dei cura ostendetur in plenissima bonorum Iobi instauratione « *et pacatum reddet habitaculum iustitiae tuae* »; — hebr. שָׁלֵם haud immerito non tantum *tranquillum reddere*, verum *prosperitate donare*, *perficere*, *integre restituere* accipitur (cf. *Malv. Pin.*). Cum emphasi autem huiusmodi prosperitatem vel bonorum redintegrationem domui attribuit, in qua sit et dominetur *iustitia* i. e. rectus ordo veraque pietas in Deum et homines. Unde denuo nexum illum effert, quem necessario adesse censet inter iustitiam et prosperitatem, inter calamitatem et scelus. Quare tacite Iobum accusat hac appellatione, eius domum fuisse diversorium scelerum, non pietatis domicilium (*Cord.*). Quo efficacius Iobum ad suum institutum (v. 5. 6) pertrahat, *abundantiam* bonorum depingit v. 7 « *in tantum, ut si priora tua fuerint parva, et novissima tua multiplicentur nimis* »; — i. e. prior tua fortuna ac felicitas comparatione posterioris parva fuisse putabitur (*Malv. Mar. Men. W. Le Hir*). Sensus non est, quasi ipsa instauratio a tenui initio et exiguis copiis orta (*etsi* parva futura sint initia; ita fere LXX, *Vav.*) ad extremum praeter modum cresceret, sed comparatio apte fit et apposite ad id quod Baldad vult, inter statum priorem et eum quem fore pollicetur.

b) Esse fluxam impiorum prosperitatem 8, 8-19.

Iam ipse Baldad sentit doctrinam illam cui sola eius et argumentatio et admonitio innititur, valido probationis genere esse comprobandam, quo magis valeat in Iobi animum. Uti Eliphaz ex visione nocturna et revelatione et ipsorum angelorum lapsu pro sua sententia probationem deprompsit, ita Baldad ex *maiorum* et *sapientium constanti consensu*, proin ex traditionis auctoritate, sententiam suam fulcit et aciem contra Iobum instruit. Et primo quidem huius doctrinae *fontis excellentiam* et *necessitatem* commendat (v. 8-10), quo animos reddat ad illam amplectendam alacriores, i. e. Iobum magis redarguat et convincat. Unde, inquit, si nobis fidem non adhibes, illis saltem cede : v. 8 « *Interroga enim generationem pristinam* »; — ad antiquitatem et priscos homines provocat, qui quanto propiores sunt rerum initiis, eo censentur sapientiores et ab ipso numine quasi edocti. Ita apud omnes gentes, quibus inest communis persuasio, primos homines praeclara sapientiae dote instructos posteris suis saluberrimae doctrinae et vitae documenta tradidisse. Unde antiquorum sapientia in proverbium abiit. Talem vero doctrinam per seriem

ab initio generationum tradi, asserit Baldad Iobum ad *patres* priscae generationis amandans eumque iubens ascendere per saeculorum ordinem, quantum vellet : « *et diligenter investiga patrum memoriam* » ; — hebr. *et dirige* (*cor*) *ad investigationem patrum eorum* i. e. ad id quod patres illius generationis sapienter perscrutati et profunde meditati sunt; unde affirmat pricos illos sapientes et studiose inquisivisse et praeclaram sapientiam nactos esse; id innuit חָקַר cf. 11, 7; 38, 16. Ps. 95, 4 hebr.

Cur antiquorum sapientia indigeamus, exponit v. 9 « *hesterni quippe sumus* » ; — per meiosin dicit : non est nostrae memoriae vel experientiae rerum quae optima est doctrinae magistra, fidendum, quorum quippe vita brevis, experientia tenuis, aut non valde repetita et confirmata (*Pin.*); neque ex vita per annos multos traducenda nobis est experientiae thesaurus sperandus : « *et ignoramus, quoniam sicut umbra dies nostri sunt super terram* »; — per nos solos sapientiam acquirere non possumus (*ignoramus*), cum paucissimos tantum vivamus dies et vita nostra *umbra* sit; « quidquid in umbra fugax, labile, breve est, significari a Baldad potuit » (*Pin.*) ; cf. 1 Par. 29, 15 : « dies nostri umbra super terram et nulla est mora » et Ps. 108, 23. Sap. 2, 5 : « umbrae enim transitus est tempus nostrum » 5, 9 et infra 14, 2. etc., unde non possumus multarum rerum experientiam nobis comparare, quae longum usum requirit (*Cord.*), quare ad sapientiam longo saeculorum cursu collectam et a *longaevis* patriarchis iure quodam hereditario ad nos transmissam oportet recurrere. Cum notum sit libros sapientiales libenter in prisca hominum historia versari, certe hoc loco Baldad ad *longaevitatem* patriarcharum censendus est velle alludere, id quod iam innuit *Chrys.* (ἐπειδὴ ἡμεῖς ὀλιγοχρόνιοί ἐσμεν τοὺς γεγηρακότας ἐρωτήσωμεν) et perperam negat *Del.* Aliis placet umbrae imaginem ad tenebras mentis in quibus versamur quasi undique offusi transferre (*Mar.*); at minus apte. Post tale prooemium et antiquitatis laudem multo cum pondere Baldad Iobum ad illos doctores remittit v. 10 « *et ipsi docebunt te, loquentur tibi, et de corde suo proferent eloquia* » ; — hebr. *nonne ipsi* i. e. sane, certissime te docebunt, et quae ore loquuntur, *ex corde,* utpote cognitionis et intelligentiae sede, i. e. diu multumque animis praemeditati proferunt (*Cord. Pin.*).

Iam parabola quadam, uti mos est antiquorum sapientum (Eccli. 39, 2. 3), illam doctrinam proponit, qua simul quam necessaria sit et sole meridiano clarior eius perspicuitas, illustrat: v. 11 « *numquid virere potest scirpus absque humore? aut crescere carectum sine aqua* » ? — prius depingit statum florentem, dein repentinam ruinam ; quemadmodum iuncus, ulva, scirpus crescere et virere non potest nisi in locis

multa aqua humidis, ea autem subtracta *statim* exarescit, sic impius, recedens a bonorum omnium fonte Deo [1], statim fatali quadam necessitate omni fortunae flore deiecto corruit et exitio confringitur.

בָּמְא LXX πάπυρος cf. Ex. 2, 3. Is. 18, 2; 35, 7, iunci genus Aegypto familiare, luxurians in paludibus et locis stagnante Nilo humectis; אָחוּ cf. Gen. 41, 2 vox est aegyptiaca, uti bene *Hier.* : « audivi ab Aegyptiis hoc nomine lingua eorum (piachi) *omne quod in palude virens nascatur* appellari » (cf. *Fürst C.*); LXX h. l. βούτομον, dum Gen. 41, 2 vocem ἄχι retinent (*in locis palustribus, Hier.*). Hesychius explicat ἄχι πόα ἢ χόρτος χλωρός [2].

v. 12 « *cum adhuc sit in flore nec carpatur manu, ante omnes herbas arescit* » ; — in uligine nihil est scirpo ad speciem laetius ac florentius, attamen deficiente aqua vel durato torrida aestate limo subito et omnibus virgultis citius arescit ex sese, neque opus est ut ulla vis externa ei afferatur, per se perit (cf. *Cod. Vav.*). Molestus sane monitor, qui hac similitudine Iobi conditionem florentem et omni exspectatione citius corruentem aperte depingit et ipsa interrogandi forma talem ruinam proponit tamquam rem quam necessario [3] debuisse ita evenire luce meridiana clarius sit! Neque parcit Iobo applicatione in medium prolata v. 13 « *sic viae omnium qui obliviscuntur Deum* »; — i. e. talis est sors, talem exitum et interitum nanciscuntur qui Dei largitoris omnium bonorum obliviscuntur « *et spes hypocritae peribit* » ; — חֹנֵף LXX ἐλπὶς γὰρ ἀσεβοῦς ; alias vocem reddunt etiam ἄνομος, παράνομος, bis ὑποκριτής, quem sensum *vulg.* fere ubique sequitur, idque merito (cf. *Fürst C.*); unde Iobum simulata pietatis specie, cum v. g. religiose sacrificia offerret, impietatem occuluisse arguit.

Tum demum ruina facta v. 14 « *non ei placebit vecordia sua* »; — i. e. stultitia, qua peccatis indulsit ; si acerbos fructus messuerit, incipiet horrere et detestari impietatem et temeritatem suam qua antea exsultaverat. Sollemne est sacris literis nomine stultitiae etc. scelera, religionis cultusque Dei contemptum efferre, idque merito, nam si quis bene qualis quantusque sit *Deus* et quis homo, consideraverit, quid magis *stultum* fingi potest quam Deum sperni ab homuncione ?

Interpretatio *vulg.* facile ex hebr. fluit : כֶּסֶל firmitatem quandam et robur dicit aut in bonum aut in malum; *stuporis*, *obdurationis*, *stultitiae* significatu legitur

---

1. Bene *Phil.* : « sicut scirpus vel carectum sine aqua virere non potest, ita tu sine fomento atque humore iustitiae nequaquam permanere in pristina felicitate potuisti ».
2. *S. Hier.* vertit *aut crescere biblus sine aqua?* cf. *M.* 28, 1090.
3. Bene *Barh.* similitudinem allatam explicat : « sine stultitia (= peccato) non venit castigatio ».

Ps. 49, 14 (hebr.), Eccl. 7, 25; alias utique in sensu bono *spei* vel *fiduciae* v. g. Prov. 3, 26 *Dominus erit spes tua* (vel ad lumbos tuos? in latere tuo), Ps. 78, 7 (hebr.), Iob 31, 24; קוט = *fastidire*, indignatione commoveri (cf. *Fürst C.* qui nostrum locum eodem modo explicat, uti etiam *Ges.* in Thes.). Aliis placet vertere *cuius fiducia succiditur* (*Cod. Malv.* VI. et VII. *Ros. Del. W. Le Hir, Zsch.* uti fere iam praeierunt *Chald.* et *Syrus*) significatione verbi קָטַט (קוט) ex arabica radice petita; sed pro hoc significatu nullum exemplum aliud afferri potest, nisi quod etiam rabbini Kimchius et Iarchius affirmant (cf. *Cod. Ros.*). Verum est hunc sensum ad alterum hemistichium magis videri congruum, attamen eritne tanta vis tribuenda parallelismo, ut vel radicem alias inusitatam vel aliam a certa et ab omnibus tradita significatione confingamus? Tuto igitur versioni *S. Hier.* licebit inhaerere.

Tum demum reipsa experitur impius quam evanida fuerit spes atque confidentia ; « *et sicut tela aranearum fiducia eius* »; — hebr. *et domus araneae*, qua nihil est fragilius, infirmius, vilius ; cf. Is. 59, 5. Quam *caduca* sit haec impii domus quam sibi fabricatur i. e. spes eius, uberius delineat v. 15 « *innitetur super domum suam et non stabit* »; — quis enim potest telae aranearum inniti, an haec consistet ? « *fulciet eam et non consurget* » ; — hebr. *apprehendet eam* i. e. si tangit eam vel si illa apprehensa se sustinere et fulcire vult, num illa poterit consistere, permanere ? Tam labilis et fragilis fortunae est impius. Et Baldad quidem hanc doctrinam *sibi* quam maxime persuaserat et alte in Iobi animo reponere desiderat. Quare denuo similitudine priori (v. 11. 12) cognata et non sine verborum ambagine et pompa eam explicare et illustrare gestit v. 16 « *humectus videtur antequam veniat sol* » ; — sermo est de scirpo qui bene floret, at aestu et ardore[1] solis mox arescit cum non habeat humum ; altero hemistichio florens illa sed fallax conditio denuo proponitur « *et in ortu suo germen eius egredietur* » ; — uti fit in scirpo et iunco, initio celeriter germinat et crescit.

Ita quidem ex textu lat., cum in hebr. sit עַל־גִּנָּתוֹ = *super hortum* i. e. *per hortum* germen eius egreditur i. e. ramos emittit, illud *in ortu* videtur esse corruptum pro *in horto*, et ita teste *Luca Brugensi* quidam legunt et in Regiis bibliis teste *Mar.* ita est excusum (cf. *Malv. Vav. Calm.*) ; sed sensus utrimque idem fere est. At in priore hemistichio plerique interpretantur *viridis est coram sole*, ita LXX ὑγρὸς γάρ ἐστιν ὑπὸ ἡλίου (*vet. lat.* humidus est ante solem), *Syrus, Vat. Clarius, Mar. Malv. Vav. Ros. Calm. W. Del. Hirz. Hitz. Zsch. P.*, ita ut viror iunci vel arboris ex loco humido accedente solis calore (quae duae sunt incrementi conditiones) explicetur, unde etiam propagines eius longe lateque diffunduntur. *Le Hir* explicari posse censet : en face du soleil et en dépit de ses feux (?).

1. Etiam *Chald.* לִפְנֵי־שֶׁמֶשׁ vertit *antequam oriatur sol.*

Haec quidem felix fruticis conditio est, cui tamen quid vitii insit et cur fallax sit atque fugax, videtur sequenti versu declarari v. 17 « *super acervum petrarum radices eius densabuntur et inter lapides commorabitur* » ; — i. e. longe quidem lateque serpunt propagines, attamen in loco saxoso altas radices non agunt, unde firmitas et stabilitas deest, cum silicibus radices implicentur et fundo petroso haerere minime possint. Ita comparatione ostendit impiorum fortunam ipsa natura et indole esse flaccidam, evanidam. Hic sensus quem apud *Phil.* et *Ol.* [1] ex veteribus et apud *Tir. Men. Ros. W.* ex recentioribus invenio, et verbis et rei ipsi quam optime videtur aptari.

Ceterum alii hoc versu *prosperitatis* ulteriorem cernunt descriptionem : usque adeo vi innata arborem crescere, ut in ipsis locis saxosis agat radices et ex ipsius loci soliditate firmitatem quandam capiat (cf. *S.Thom. Barh.*[2] *Mar. Cod. Malv. Del. Le Hir, Zsch.*); immo neque desunt, qui haec de *iustorum* felicitate accipiunt (cf. *Pin. Calm.*). Atque hoc quidem neque iis quae praecedunt neque iis quae subsequuntur cohaerere posse videtur, illud vero vix verisimile est, cum *acervus lapidum* et *locus lapidosus* certissime radicum procursum et firmam cum terra cohaesionem et ipsius succi hauriendi opportunitatem inhibeat, et proinde lectorem de sterilitate potius quam de ubere arboris luxuria admoneat. Alii demum mediam quandam viam ingressi in v. 17 id tantum exhiberi volunt, *quando* demum arbor ab agricola exstirpetur (v. 18); « ubi autem offenditur a lapidibus, ita ut radices non proserpant ultra, sed impeditae intricentur, agricola exstirpat funditus nec vestigium relinquit » (*Clarius, Malv.* VII.); sed quorsum talia, quibus similitudinis vis ac ratio a Baldad proposita plane perditur?

Textum hebr.[3] quod attinet, S. *Hier.* sensum certe bene expressit etiam in altero hemistichio, quod ad literam sonat : *domum lapidum videbit* i. e. *locum lapidosum* planta videt, id quod priori hemistichio bene congruit neque ab usu vocis בית est alienum ; cf. Ex. 26, 29 ; 36, 34 ; 37, 14 ; 38, 5 (hebr. domus i. e. receptacula vectium) 1 Reg. 18, 32 (hebr. ad domum i. e. ad spatium duorum satorum seminis) ; Neh. 2, 3 (urbs domus sepulchrorum i. e. ubi est locus sepulchrorum) ; Prov. 8, 2 domus semitarum i. e. locus, ubi plures viae concurrunt ; ad idem spectat usus vocis בית in plurimis nominibus compositis geographicis, in quibus ei significatio *loci*

---

1. Ita habet prorsus dilucide : « tamquam de planta disserens quae inter lapides et silices crescens non semper durat sed subito marcescit, similes sunt, inquit, impii stirpibus in terra plantatis quae altitudinem non habet sed petrosa et dura est; vel enim omnino radices nullas agunt, vel si egerint quia terrae profunditate destituuntur, exarescunt, ita ut non amplius eo in loco appareant ». Eundem sensum *Phil.* innuit : « super acervum magis petrarum coarctabuntur non habendo illic vitae humorem » ; sim. *exp. in.*

2. *Barh.* : « licet ex saxis construat domum suam, subito videbit eius eversionem ».

3. LXX vertunt ἐν ὀὲ μέσῳ χαλίκων ζήσετ ὃ *vet. lat.* « in medio lapillorum vivet », unde literis parumper immutatis legisse censendi sunt יחיה (nunc יחזה) בין אבנים (nunc בית) : *Hitz.* vertit : « acervum lapidum penetrat » formam legens יַחֲזֶה ; *Houbig.* scribi vult יאחז *adhaeresecet.*

certe inest. Hanc interpretationem etiam tuentur *Vat. Ros. Ges.* (Thes. s. v. בית) *W. Le Hir, Renan.* Haec aliquanto fusius erant proponenda, cum in hoc hemistichio plerique a versione S. *Hier.* recedant; explicant enim *domum lapideam* i. e. magnum aedificium, vel murum propaginibus suis complectitur (cf. *Malv. Del. Hirz. Zsch.*) vel « surgit et elevatur aequatque magnas aedes et marmoreas » (*Cod.*), ita ut ad prosperitatem delineandam referatur.

Subito interit talis neque ullum remanet eius vestigium; v. 18 « *si absorbuerit eum de loco suo* »; — interpretes partim hoc continuata similitudine de arbore (scirpo) explicant quam agricola auferat (*S. Thom. Pin. Malv. Mar. Men. Tir. Gord. Ros. Vat. Clarius, Calm.*), partim relicta comparatione proprie de *improbo* quem *Deus* subito loco vulsum et emotum subduxerit e conspectu (*Vav. Cod. Cord. W. Hirz. Del. Zsch.*); utrum rectius, difficile est dictu, sed sensus nullum fere cernitur discrimen; at si 7, 10 spectaveris, libenter sententiae secundae palmam dabis; « *negabit eum et dicet: non novi te* »; — cf. 7, 10; « usque adeo funditus deletus erit, ut vestigium nullum appareat, nihil exstet, unde deprehendi possit aliquid ibi tale aliquando fuisse. Ut enim nos locus dicitur admonere quibusdam indiciis eorum quae in loco fuerint aut gesta sint, ita nihil vetat quominus dicatur oblivisci, non agnoscere, tacere, inficiari » (*Vav.*); hebr. *non vidi te*, tam funditus omnis impii gloria peribit. Quare non sine sarcasmo concludit: v. 19 « *haec est enim laetitia viae eius* »; — i. e. talis est finis et summa prosperitatis impii, ut stirpitus evellatur; exitum hunc et scopum ad quem via improbi tendit per irrisionem *laetitiam* dicit. Bene LXX ὅτι καταστροφὴ ἀσεβοῦς τοιαύτη, *vet. lat.* « quia eversio impii talis est[1] ». Ipse sicut arbor evellitur sterilis, ut alii tamquam fructuosae plantae nascantur et prosperentur (*Cord.*) « *ut rursum de terra alii germinentur* »; — i. e. alii in eius locum succedent eiusque bonis (loco quo steterit) fruentur. Non immerito adnotat *Malv.* III.: « apodosis, seu redditio ironica similitudinis *Iobum graviter mordens*, etsi statim lenitur promissionibus ».

c) Pio adfore spem 8, 20-22.

Talis igitur est maiorum doctrina. Eam iam paucis complectitur addita promissione pro Iobo, si illam in suam utilitatem converterit. Haec scil. est summa: v. 20 « *Deus non proiiciet simplicem* »; — in

1. Ita sane legendum est, non uti in editione opp. Hier. *imputabilis*, quamvis hoc mendum in codd. ms. videatur pervulgatum; cf. *Sabatier*, sacr. Bibl. lat. vers. ant. I, p. 847.

hebr. cum emphasi ; *ecce Deus non aversatur probum* (integrum) תָּם cf. 1, 1. i. e. ex mente Baldad : *pium* Deus non abiicit et detestatur quasi inimicum neque malis eum impetit, Deus *fortis* אֵל non abutitur potentia ad conterendum *probum* (*Pin.*) et ex altera parte « *nec porriget manum malignis* » ; — non eorum manus apprehendit, ut eos fulciat, iis faveat, vel labantes sustentet aut collapsos erigat; cf. Is. 41, 13 ; 42, 6. Ier. 23, 14, i. e. ut in prosperitate illos retineat vel ad eam instauret. Doctrinam statuit Baldad compensationis hisce in terris ad amussim operibus bonis vel malis correspondentis, « veluti aculeo infixo in animum Iobi, ut partim metu a mala gerenda vita deterreret, partim spe revocaret ad Deum » *Malv.* Duplici hac sorte proposita iam patet quid ex sententia Baldad Iobo sit exspectandum: si ad pietatem redierit, amplissima a Deo ei dabitur materia gaudii : v. 21 « *donec impleatur risu os tuum et labia tua iubilo* » ; —[1] dixerat Baldad : Deus non proiiciet simplicem i. e. Deus favet probo ; nunc addit *ad quem gradum usque* Iobus si pietatem instauraverit Dei favorem possit ac debeat exspectare, *in tantum* scil. tibi erit propitius, ut impleatur risu os tuum i. e. adeo te augebit bonis ad tale usque fastigium, ut laetitia et exsultatione perfundaris (*Sa, Men. W. Zsch. P.*) et labia iubilo redundent, sicut nunc eiulationibus. Pro eo usu עַד particulae cf. *Ges.* (Thes. s. v.). Alii explicant *dum*, dum interea, et ad membrum subsequens referunt (*Ges. Del.*) Nunc alteram partem v. 20 confirmat et simul *tacite* Iobo minaciter praedicit quid rei futurum sit, si mente et cogitatione apud impios perseveret : v. 22 « *qui oderunt te induentur confusione* » ; — i. e. plenissime operientur et penitus obruentur circumquaque involuti pudore (*Malv.*). Bene *Pin.* : « indui i. e. intime illi adhaereat, semper illum comitetur et arcte complectatur atque omni ex parte illum cingat ; vel est quasi cooperiri atque obrui » (sim. *Cord.*); cf. Ps. 34, 26; 108, 29. Ez. 26, 16. Non tantum illos rubore et ignominia suffundendos dicit, verum etiam penitus exterminandos : « *et tabernaculum impiorum non subsistet* » ; — cf. Ps. 51, 7 ; i. e. domus eorum, familia, liberi, facultates omnes penitus evertentur (*Pin.*). Vocat impios *odio te habentes*, ut indicet meliorem suam de Iobo spem et opinionem et ut hac etiam spe Iobi animum moveat et erigat fore, ut gloriosum de inimicis qui eius ruinae insultent triumphum agat, iique qui nunc in eius aerumnis exsultent, conticescant.

---

1. Particula עַד aliquibus negotium facessit, unde עוֹד *adhuc* legi malunt (cf. *Vat. Mar. Houbig. Ewald, Hitz. B.*) ; at arbitrarie, cum et versiones antiquae (*Chald. Syrus, vulg.*) עַד iuentur et sensus optimus adsit.

Sermo hic a Baldad prolatus multis nominibus ad Iobi animum vulnerandum est conformatus. Declarat enim Iobum tamquam peccatorem iuste a Deo punitum (v. 2), immo filios eius utpote maxime scelestos interiisse (v. 4), quo quid patri magis esse potest et dolori et contumeliae ? Iobi pristinam vitam et prosperitatem fuisse hominis impii evanidam felicitatem subitanea ruina finiendam aperte innuit (v. 6. 13-18); dolores vero perdurare insinuat quia Iobus adhuc maneat in peccatis et animi obduratione et malitia (v. 5. 6. 20). Molestissimus igitur consolator etiam Baldad comprobatur, qui tot aculeis [1] Iobum pupugit et vulneribus addidit vulnera.

2. RESPONSIO A IOBO DATA. CAP. 9.10.

Arg.— Quod Eliphaz asseruerat hominem coram Deo non esse omnino sanctum et purum, Iobus plenissime concedit, immo ex Dei sapientia et potentia idem ipse egregie elucere ostendit, ita ut Dei agendi modus homini sit impervius neque quisquam valeat a Deo rationem exigere (9, 1-13). Quare et ipse nullo modo cum Deo contendere se velle profitetur, quippe qui sit homo debilis ; etsi putet se posse ius suum a Deo exigere, tamen quomodo coram Omnipotente qui adeo eum affligit, suam posset vindicare innocentiam (v. 14-21)? Unum fixum certumque esse (quod amicorum obiurgationibus opponit), et innocentem et impium malis affligi, immo impium etiam quandoque hisce in terris fortuna exaltari (v. 22-24). Haec cum sit vitae conditio, denuo ad lamentationes convertitur, quae continuata dolorum serie extorquentur et quibus propter tremendam illam Dei sanctitatem et maiestatem coram qua nemo sit purus neque suae innocentiae causam agere possit, novum pondus accedit (v. 25-35). Quare igitur Deus eum, qui ex communi lege nihil tale meritus sit, adeo affligit? haec Dei agendi ratio quae adeo dura est et tamen propter Dei eminentiam ab omni iniustitia longissime abesse debet, vitam eius taedio et animum amaritudine replet (10, 1-7). Supplex Deo exponit, quanta cura eum ad vitam formaverit et beneficiis donaverit ; cui benefico consilio

---

1. Bene *S. Ambrosius* rem (ad cp. 9) perpendit : « incumbebant illi amici qui ad consolandum venerant et quasi inimici amaris eum perurgebant sermonibus. Unum enim solatii genus est in aerumna et in amaritudine constitutis culpa vacare, ut ea quae perpetiuntur adversa non pro delicti pretio sustinere videantur. Hoc quoque sancto viro adimere gestiebant, ut videretur ipse suae auctor aerumnae, qui peccatis gravibus Domini contraxisset offensam et pro impietatibus suis illa toleraret : describentes impiorum supplicia, ut qui vitia sererent, et meterent sibi dolores, quod mandato perirent Dei et spiritu vitae ipsius interirent..... quae vera quidem de Domini potestate, sed non convenientia tanti viri meritis asserebant » (de interpell. Iob et David 1, 4; *M.* 14, 801).

occultum illud opponi miratur quod nunc in se experitur tantis malis oppressus, quae in ipsum tamquam in hominem scelestum devolvuntur (v. 8-17). Quare denuo vitam exsecratus exoptat mortem et Deum implorat, ut paullulum sibi liceat respirare, antequam terram mortis et tenebras horrendas nunquam reversurus debeat incolere (v. 18-22).

In hac disceptatione Iobus *a*) ostendit se suis querelis et innocentiae suae assertione Deum minime iniustitiae insimulasse; *b*) contendit aerumnas *piis et impiis* infligi et ita sententiam amicorum de calamitatum causa quae sint *sola scelera* funditus evertere hoc iam loco aggreditur, quamvis id obiter tantum; *c*) simul tamen eadem cum amicis opinio animo eius inhaeret, calamitates immitti tamquam *punitiones;* at cum se a sceleribus purum sciat et ceteroquin etiam pios affligi cernat, id aliter explicare non potest quam asserens, Deum utpote sanctissimum in quovis homine defectus invenire, quos puniat. Haec Iobi mens clarius in subsequentibus etiam patebit, in quibus saepius contendit, si Deus secum secundum *communem et ordinarium* providentiam agere vellet, immerito se puniri. Unde sua sponte fluit quaestio, quae quasi novum tentationis genus pro Iobo exsistit, cur Deus eum secundum inusitati rigoris normam iudicet et castiget. Bene hanc Iobi mentem assecutus est *S. Aug.* scribens (ad 9, 1): « *vere scio quia ita est;* id est, quia secundum iniquitates meas haec mihi restituit; sed non sicut vos arbitramini, sed quia nemo est in conspectu eius iustus ».

a) Hominem non posse coram Deo consistere 9, 1-13.

Id quod Eliphaz (4, 17) et Baldad (8, 3) asseruerunt, Iobus plane agnoscere se et fateri et alta in mente habere inscriptum non sine emphasi contendit v. 2 « *Vere scio quod ita sit et quod non iustificetur homo compositus Deo* »; — i. e. hominem coram Deo non esse sanctum et purum. Quare apte in hebr. ad commotum animum exprimendum *interrogatio* habetur *et quid* (*quomodo*) *iustus erit mortalis cum Deo forti* (cf. *Cod. Malv. Cord.*). Bene *Pin.*: « est autem pulchra antithesis, *homo, Enos*, miser, aerumnosissimus *compositus Deo, El, forti*, iudici aequissimo et potentissimo » (cf. *Cord.*). Sententia eadem est, quae Ps. 142, 2: « non intres in iudicium cum servo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens ». Qua ratione autem coram Deo omnis hominum iustitia evanescere dicatur, non uno modo explicant: vel « quia iustitia iustorum vera quidem est, sed ab ipsis non est quasi propriis viribus acquisita, sed a Deo gratis donata ». Ita *S. Aug.* ad h. l.

et ad Ps. 142; vel quia eorum iustitia vera sed non pura est, cum admixta sit peccatis venialibus. Ita *S. Greg.* h. l... vel denique « quia ut vere et pura esset, comparata tamen iustitiae Dei increatae et infinitae iustitia esse non videtur, quemadmodum lux lucernae in radiis solaribus pleno die collocata non lucet » (*Cord.*). Id quod secundo loco proponitur, optime dici apparet, cum illa quae ex hominis qua creaturae indole ac natura *necessario* consequuntur, scil. iustitiam supernaturalem a Deo auctore primario concedi eamque esse limitibus circumscriptam et finitam, illi nullo pacto vitio vel reprehensioni verti possint.

Quam fixa ea sententia Iobo stet, ubertim declarat v. 3 « *si voluerit contendere cum eo* » ; — homo scil. cum Deo; apte *S. Thom.* : « cum aliquis comparatione alterius iustus est, libere et secure potest cum eo contendere, quia per mutuam disceptationem iustitia et veritas manifestatur; nulli autem homini tutum est cum Deo contendere, et ideo subdit » : « *non poterit ei respondere unum pro mille* » ; — i. e. ex mille naevis et defectibus et noxis quae ei a Deo iure obiici possint, ne unum quidem diluendo par erit. Adeo igitur Iobo persuasum erat, etiam sanctissimum quemque in vita mortali maculis aspergi. Iam in v. 4 rationem affert, cur Deus hominem adeo maculis onustum ostendere possit et quare quam maxime foret temerarium, si homo animo obfirmato suae iustitiae innixus ei vellet litem violatae iustitiae intendere; v. 4 « *sapiens corde est et fortis robore*; *quis restitit ei et pacem habuit* » ? — sapientia non solum intelligentiae notionem exhibet (quam nihil lateat et quae nulla hominum tergiversatione aut calliditate deludi possit; *Cord.*), sed uti saepissime et praecipue in libris sapientialibus, illam rerum cognitionem denotat, quae altissima religionis, pietatis, sanctitatis norma est imbuta et directa (cf. quae scripsi ad Is. 11, 2 et insuper Prov. 1, 7. 20-33 ; 2, 3-14; 4, 11-27; et similia permulta, in quibus *sapientiae* nexus intimus cum omni religione ac virtute proponitur). Quare si de Deo dicitur, merito non de sola Dei omniscientia, intelligentia, prudentia summa cogitatur, verum etiam de suprema eius sanctitate; nam in eo est Dei sapientia, ut se intelligens summum verum et bonum omnia ex hac norma metiatur et ad hanc referat, unde denuo liquet quam arcte copulata *sanctitatis* notio sit cum sapientiae notione in sacris literis nobis proposita. Ex quibus facile perspicitur, cur *sapiens corde est* v. 4 tamquam ratio adiungatur ad v. 3; Deus enim se infinitum bonum intelligens infinitamque perfectionem hominis imperfectiones innumerabiles et cognoscit et aversatur. Unde cum simul sit potentissimus, quis ausu temerario ei obnitatur? vel quis unquam cum tam forti concertatore habuit congressum (hebr. *quis obduravit adversus eum*, scil. cor vel cervicem),

qui pacem ex illo certamine retulerit i. e. cui non infeliciter cesserit tam inepta contentio (*Cord.*)?

Iam hanc Dei potentiam Iobus v. 5-10 delineat et magnifice probat; ita praeclare ostendit, qualis de Deo idea animo eius sit impressa et quam longe absit a violata religione et Dei reverentia. Describit autem illam primo quidem ex iis, quae maxima mole praestant in mundo hoc sublunari et quae Deus pro lubitu, facillime, citissime commovet v. 5 « *qui transtulit montes et nescierunt hi quos subvertit in furore suo* »; — i. e. tam subito, tam ex improviso et tanta cum celeritate alio transfert, e suo loco movet, evertit montes, ut antequam quasi ipsi advertant iam e statione deiecti sint et propriis sedibus evulsi. Comparatio ex terrae motu petitur [1], ut etiam v. 6 indicatur (cf. *Pin. Vav.*); v. 6 « *qui commovet terram de loco suo et columnae eius concutiuntur* ». — Terrae *columnae* infimae partes, fundamenta, quasi bases intelliguntur, quae reliquam terrae molem impositam sustinent (cf. Ps. 103, 5 et infra 38, 6). Nihil maiore pondere firmius et stabilius videtur ipsa terrae mole, unde sublimi modo Dei potentia adumbratur. Uti in terra, ita in *coelo* quoque praeclare cernitur. Eius enim nutui et imperio sol et stellae subiacent v. 7 « *qui praecipit soli et non oritur et stellas claudit quasi sub signaculo* »; — ab eo solo reguntur; i. e. unico verbo si vellet posset stellarum et solis cursum inhibere lumenque supprimere (cf. *Sanct. Vav.*). Varia autem est interpretum opinio, quid proprie hisce exemplis dicatur; volunt scil. aliqui alludi ad facta quaedam mirabilia tempore Iosue et Ezechiae (cf. *Cod. Cord.*), alii quotidianam dierum ac noctium vicissitudinem ex Dei praecepto fieri (*exp. in. Phil.* — at certe praeter alia utrumque a verbis abhorret (cf. *Pin.* qui ipse quidem *commodius* ad triduanas Aegyptiorum tenebras referri censet); alii de eclipsi, « sed omnium tamen commodissime alii Latini cum Chaldaeo ad eas tenebras referunt, quas efficit saeva aliqua tempestas et atror nubium quae interdiu orientem solem obscurant atque noctu lucentes stellas quasi inclusas asservant »; ita *Pin.* et similiter *S. Thom.* Stellae dicuntur obsignari, quando nubibus et

1. Quamvis non de terrae rotatione qua circa solem volvitur, hic sermo sit, sed de terrae motu, quo montes, urbes concutiuntur, tamen non abs re erit notare, *Didacum de Stunica* h. l. de *terrae rotatione* explicasse in commentario Toleti edito 1584, Romae 1591; ita enim scribit :« Locus quidem difficilis videtur, valdeque illustraretur ex Pythagoricorum sententia existimantium terram moveri natura sua, nec aliter posse stellarum motus tam longe tarditate et celeritate dissimiles explicari, quam sententiam tenuit Philolaus et Heraclides Ponticus... nostro vero tempore Copernicus iuxta hanc sententiam planetarum cursus declarat. Nec dubium est, quin longe melius et certius planetarum loca ex eius doctrina, quam ex Ptolemaei magna compositione et aliorum placitis reperiantur ».

tenebris obducuntur et quasi clausae tenentur (cf. *Pin. Cord. Malv. Mar.*)

Auget Iobus divinae potentiae laudem et simul docet, cur omni facilitate illa possit efficere, Deum dicens *coelorum creatorem* v. 8 « *qui extendit coelos solus* »; — cf. Is. 40, 22; 44, 24. Ps. 103, 2, unde elucet, haec de creatione revera dici; declarat autem phrasis « maximam Dei in creandis coelis facilitatem, cui longe facilius fuit de nihilo coelos condere quam sit homini pellem expandere » (*Cord.*); neque in tam magnifico opere adiutore indiguit vel consiliario, et quod semel condidit, eadem potentia fulcit et conservat (hebr. *extendens coelos*). Relucet porro divina virtus eo quod spumantes et tumescentes maris fluctus comprimit et compescit tanta facilitate, ut dicatur gradi, incedere, pedibus illos calcare « *et graditur super fluctus maris* »; — LXX id explicant : *et ambulat super mare tamquam super pavimentum.* Quae omnia quo magis homini sunt impervia, eo aptiora sunt documenta ad animos hominum admiratione virtutis divinae percellendos. In hebr. *calcans maris alta* i. e. fluctuum quasi altitudines, vertices. Sunt ex recentioribus, qui cogitandum censent de aquis superioribus in nubibus collectis, de mari quodam coelesti, de aquis illis quae erant super firmamentum (Gen. 1, 7. Ps. 103, 3), cum in priore hemistichio de coelo sit sermo. At ratio haec non convincit, quia potentiae divinae argumenta a Iobo ex omni rerum genere peti possunt et commodissime a summis et infimis accipiuntur, immo et uberius et efficacius ex utrisque.

Dei potentiam porro valere ait non solum in iis quae terrorem incutiunt (in terrae motu, in densis nubibus, in maris fluctibus), verum quam maxime in iis quae ad magnificentiam et coeli ornatum splendidissimum facta sunt. Quare v. 9 « *qui facit Arcturum et Oriona et Hyadas* »; — insignia recenset sidera, quae maxime oculos percellunt: unde a poetis antiquis iam inter praecipuas coeli stelliferi laudes recensentur; cf. Iliad. 18, 483. Virg. Aen. 1, 742. 3, 515. *Arcturus* proprie est stella splendidissima Bootae sideris post caudam Ursae maioris, sed etiam pro toto dicitur sidere v. g. *Virg.* Ge. 1,204. *Orion* sidus est australe iuxta frontem Tauri stellis triginta octo conspicuis constans; *Hyades* sunt septem stellae in capite Tauri (cf. *Pin. Cord.*), sorores Pleiadum, quae sunt Vergiliae et ad genua Tauri collocantur.

Nomina hebr. eadem fere ratione a multis explicantur aliis tamen dissentientibus. Et עָשׁ quidem veterum plurimi *congregationem* stellarum explicant, *Pleiadas* (LXX) vel *caudam* Arietis intelligentes; alii vocem = נעשׁ accipientes arabico collato sidus Ursae maioris interpretantur, quod Arabes *feretrum* (cf. ἅμαξα) vocant.

Alii pro עַד dici censentes de sidere Capellae explicant (ita v. g. *Furst. C.*). Sidus autem כְּסִיל *Oriona* communiter interpretantur[1]; LXX h. l. Ἕσπερον; 38, 31 vero *Oriona*. Sidus כִּימָה etymologice cumulum, conglomerationem stellarum dicit, idque de Pleiadum choro accipiunt (cf. *Furst. C. Del.*); LXX tamen h. l. Ἄρκτουρον vertunt[2], cum infra 38, 31 Pleiadas quoque intelligant, uti *vulg.*

Hisce adiungit « *et interiora austri* »; — i. e. sidera quae in penetralibus austri reconduntur, proinde antarctici poli constellationes, ita ut utriusque hemisphaerii i. e. totius coeli sidera tamquam divini roboris argumenta complectatur (cf. *Pin. Cord. Cod. Vav. Malv.*). Dein *omnia* uno conspectu exhibens hanc descriptionem concludit v. 10 « *qui facit magna et incomprehensibilia et mirabilia quorum non est numerus* »; — cf. 5, 9; eadem repetit quae antea Eliphaz dixerat, quae praeter eximiam de Deo sententiam etiam ostendunt, quantum Iobi intersit omnibus ut palam fiat, ipsum in magnifica de Deo sentiendi loquendique ratione nulli omnino cedere, immo libentissime a se agnosci et praedicari Dei sublimitatem; id quod ad *pios* Iobi sensus describendos eo magis est factum, quia dolorum acerbitate est obrutus. Bene explicat *S. Chrys.* : « nonne haec, inquit, quae antea dixi licet oculis subiiciantur, magna et investigabilia sunt? quanto magis ea quae invisibilia sunt »? Et huius quasi aposiopesis vim apte declarat *S. Greg.* : « divinae fortitudinis facta tunc verius explemus, cum haec nos explere non posse cognoscimus, tunc facundius loquimur, cum ab his obstupescendo reticemus. Ad narranda quippe Dei opera habet defectus noster, quam sufficienter exserat linguam suam, ut quae comprehendere idonee non valet haec idonee mutus laudet ». Praeclare quoque toto hoc loco patefit, quomodo ex rerum consideratione mens ad Deum ascendat et quae sit rerum naturalium scientiae indoles apud eos qui in sacris literis sapientes dicuntur.

Cum Deus talis tantusque sit, iam quid est homo cum Deo comparatus? Effert v. 11 hominis *ignorantiam*, v. 12. 13 eius *imbecillitatem*, uti supra Dei *sapientiam* et *potentiam* declaraverat. v. 11 « *si venerit ad me, non videbo eum; si abierit, non intelligam* »; — hebr. *en. transit super me neque video* i. e. divinus accessus et agendi modus nobis est impervius; Deus plurima circa nos et de nobis agit et disponit, nos vero quasi caecutientes rationem eorum nullo pacto assequimur; acies mentis nostrae adeo hebes est, ut Deum praetereuntem et praetervo-

---

1. *S. Hier.* notat : « *Oriona* qui hebr. dicitur *Chesil*, Symmachus absolute *stellas*, Theodotio interpretatus est *vesperum*. Hebraeus autem qui nos in Scripturis sanctis erudivit interpretari putat *splendorem* et significari generaliter *astra fulgentia* ».

2. Nisi potius *ordinem* esse interturbatum asserere velimus.

lantem (altero hemistichio hebr.) i. e. circa nos agentem, praesentem operatione sua, minime intelligamus (cf. *Malv.*). Haec versus acceptio ipso contextu commendatur. Quod alii explicant, Deum invisibilem et spiritum purissimum describi, si in hoc solo sistatur, parum est ad rem; quod aliis placet, nos latere, utrum Deus benevole ad nos beneficia largiens accedat, vel illa subtrahens recedat, neque ad *rem* neque ad *verba* satis est accommodatum (cf. *Vav.*); pariter ab usu verborum recedit, quod alii « en me aggreditur, nec video eum, invadit me ». Uti Dei agendi modus humanam sagacitatem praetergreditur, ita nullo modo ab homine vel impediri vel cohiberi vel ad examen revocari potest. Ita v. 12 « *si repente interroget, quis respondebit ei? vel quis dicere potest : cur ita facis* »? — i. e. si iudiciali quaestione examen actionum nostrarum instituat nosque puniat, quis ei obloqui audebit vel ei responsione satisfacere poterit? ita textum lat. rite explicant *Cord. Mar. Men. Tir. Vav.* Clarius magisque ad contextum in hebr. *en rapiet, quis eum impediet* (avertet, retrahet)? i. e. si voluerit corripere, delere, auferre, quis poterit eius voluntati obsistere (cf. *Vav. Cod. Malv. Mar.*)? vel quis poterit, uti in altero hemistichio, rationem ab eo exigere? Concordant satis LXX ἐὰν ἀπαλλάξῃ, (ergo חלף pro חתף?) τίς ἀποστρέψει; *vet. lat.*[1] « si enim morti tradiderit, quis avertet »?

Deinde v. 13 « *Deus cuius irae nemo resistere potest et sub quo curvantur, qui portant orbem* »; — secundum textum lat. Dei potentia exhibetur sub qua potentissimi quique curvantur; *qui portant orbem*, alii angelos (*S. Greg. S. Thom.*), alii angelos et principes tum bonos tum malos intelligunt, qui mundum gubernent et potentia, sapientia, imperio quasi manibus et humeris suis portent (cf. *Rup. Cord. Sa, Men. Tir.*), alii daemones (*Did.* sed sensu tantum translato πρὸς δὲ θεωρίαν; nam secundum literalem [πρὸς τὸ ῥητόν] cete aliaque venenata animalia ex textu gr. interpretatur; Caietanum cf. apud *Pin.*), alii eos « qui curas praesentis saeculi tolerant » (*exp. in.*), alii sanctos « qui orationis fortitudine sustinent mundum, ne ruat ac pereat » (*Phil.*), alii e contra thrasones, heroes, homines superbos, qui se invictos putent, sub quibus curventur omnia (*Calm.*). LXX vertunt κήτη τὰ ὑπ᾽ οὐρανόν, et *vet. lat.* « ab ipso subdita sunt cetera sub coelo »; LXX proinde monstra quaedam marina intellexisse

---

1. *S. Hier.* textum hebr. ita videtur intellexisse : si arripit, quis respondebit ei? Facile patet, quomodo יְשִׁיבֶנּוּ *respondebit ei* potuerit verti cf. 13, 22; 35, 4. Prov. 18, 13; 22, 21 26, 16. 2 Sam. 24, 13; 3, 11. 1 Reg. 12, 6. 2 Chron. 12, 16. חֲתַף *vulg.* Prov. 23, 28 rite expressit *latro*, uti alias etiam vocem cognatam חָבַט; hoc loco ex altero membro *aliquem arripere* = *repente* interrogare explanavit.

videntur a Deo prostrata et subiecta. *S. Hier.* versio sensu quodam mythologico aspersa est; dubium tamen, utrum Graecorum fabulas de Titanibus et sim. an rabbinorum de Leviathan (cf. *Calm.*) respexerit.

Textum hebr. עֹזְרֵי רָהַב vel *adiutores superbiae* (arrogantiae, i. e. homines feroces, rebelles; *praesidia superbiae* i. e. omnia illa quibus homines insolescunt, *Cod. Mar. Pin. Malv. Vav.*) vertunt vel vocem *Rahab* retinentes *adiutores Rahab* explicant eique mythum antiquum subesse censent de monstro quodam marino a Deo olim devicto et in vindictam inter sidera in coelo affixo, ad quam rem sidus referunt, cui nomen apud antiquos κῆτος, πρίστις, πρῆστις, *balena*, *bellua* (cf. *Hirz. Del.*). Sed cum talis fabulae apud Hebraeos ne minimum quidem vestigium reperiatur, haec expositio omni destituitur fundamento neque ullo modo 26, 12. 13 commendatur, cum etiam hoc loco *Rahab* nullatenus ad sideris nomen referatur. Quare cum *Ros. W. Zsch. P.* in priore illa est sistendum de *adiutoribus elationis* qui robore inflati auxilium ferre conantur rebellibus adversus Deum. Neque enim speciatim de *Aegypto* est cogitandum (quamvis *Rahab* etiam ad illud regnum designandum adhibeatur; cf. Is. 30, 7; 51, 9. Ps. 86, 4; 88, 11), quia *particularia* illa ex Israelitarum historia apud prophetas quidem saepe adhibentur, sed ab indole libri Iob exsulare videntur. Ceteroquin *vulg.* vocem *Rahab* vel retinet, uti Ps. 86, 4, vel *superbia* (Is. 30, 7), *superbus* (Is. 51, 9. Iob 26, 12. Ps. 88, 11) ponitur; hoc ultimo sensu etiam *Chald.* h. l. explicat, scil. de impiis et elatis qui auxilientur in multitudine; sim. *Syrus* « sub eo conteruntur auxiliantes multis »; et *Sym.* οἱ ἐπερειδόμενοι ἀλαζονείᾳ.

b) Neque se velle cum Deo contendere 9, 14-21.

Iam quae in genere dixit de Dei sapientia et potentia, ad se suasque res speciatim applicat. Talem scil. cum de Deo gerat notionem animo insculptam, quam longissime se abesse profitetur ab omni cum Deo altercatione; quare v. 14 « *Quantus ergo sum ego, ut respondeam ei et loquar verbis meis cum eo* »? — hebr. *nedum* (quanto minus) *ego ei respondeam* (cum eo disceptem), *seligam verba cum ipso* i. e. si robusti illi nihil valent adversus Deum, egone homuncio debilis et infirmus ei responsarem et cogitarem concinnata oratione verbisque apte selectis eum adoriri *(Cod. Cord. Malv.)?* Bene verborum vim perpendit *Pin*: « nunquam animo finxi, ut vos de me fingitis, me posse aut velle illi ex aequo respondere et obstinate contendere cum Deo sapientissimo et fortissimo, non illi denuntiare litem aut expostulare cum eo de meis aerumnis aut meam causam verbis et oratione defendere »; et *S. Thom.*: « concludit propositum quod scil. suae intentionis non est cum Deo contendere ». Quin immo fatetur, licet ius et aequum steterit a se, verba tamen se non facturum defendendi sui gratia *(Vav.)*; ita v. 15 « *qui etiam si habuero quippiam iustum, non respon-*

debo, sed meum iudicem deprecabor »; — i. e. « non de mea iustitia gloriabor sed meum iudicem deprecabor ut propitius sit » *(exp. in.)*. Apte ad rem notat *S. Thom.* : « contingit quandoque quod aliquis, etsi non sit multum potens aut sapiens, tamen propter securitatem suae conscientiae non formidat contendere cum quovis iudice. Sed hanc etiam causam contendendi cum Deo a se excludit ». Mavult enim veniam et clementiam rogare quam iudicis officium poscere, etsi iustus et pius fuerit (cf. *Pin. Cord. Cod. Calm.)*. In hebr. idem habetur *qui si innocens essem, non responderem,* vel *quia etsi iustus essem, non respondere possem*... Ita sane magnam animi demissionem erga Deum manifestat et longissime abest ab iniustitiae accusatione Deo irroganda, quam nihilominus recentiores quidam etiam hic deprehendisse sibi videntur. Sed quo iure?

Pergit in animi sui demissione et Dei sublimitate explicanda. Non solum enim non audet cum Deo contendere (v. 14), neque sua iustitia fretus ius a Deo postulat, sed humiliter supplices ad Deum tendit manus, verum etiam sibi persuadet se tam parum apud Deum sublimem valere, ut etsi Deus vocanti responderet tamen nullo modo censeret, Deum verba et rationes ab ipso prolatas attendere. Homo enim Deo compositus tam parvus est adeoque a summae iustitiae tramite remotus, ut Deus secure possit negligere et spernere, quaecumque ab homine ad suae iustitiae causam commendandam proferri possunt; Deus vero adeo sublimis, ut nullo modo hominis conquerentis ratiunculas attendere censendus sit; vel certe homo suae vilitatis intime sibi conscius nunquam sibi potest promittere suas rationes tanti esse, ut Deus illas sua attentione dignas esse et responsione censeat. Hunc animi demissi sensum egregie pandit v. 16 « *et cum invocantem exaudierit me, non credo, quod audierit vocem meam* »; — quem v. ita ad verbum et fortasse clarius ex hebraeo vertas : *si vocabo et respondebit mihi, non credam, eum aures praebere voci meae* i. e. etsi vocanti mihi (ad ius dicendum) responderet, tamen non crederem eum clamori meo aures admoturum. Rite perspexerunt *Cord. Mar. Tir. Calm.* exponi hoc versu altam imbecillitatis humanae et divinae maiestatis cognitionem; quod aliis placet, orationem esse diffidentis, verba carnis, vel verba eius qui orationis exauditionem non sibi suisque meritis attribuat (cf. *Malv. Pin. Vat.*), difficile ad contextum accommodatur, neque verbis satis est congruum. Optime autem ad utrumque refertur haec sententia : etsi ego proponerem causas cur non deberem ita pati, et Deus has ratas haberet, tamen nondum sequeretur, Deum *debere* aut *velle* obsequi meo desiderio, quia scil. Dei agendi modus cum hominibus non e rationis humanae norma, sed a iudicio divino determinatur (cf. *W.*). Cur vero Iobus

ita censeat (Deum scil. alio eoque impervio quodam modo agere cum homine), rationem affert ex iis quae tunc experitur v. 17 « *in turbine enim conteret me* »; — i. e. quippe qui turbine me conterit, [1] iam me dolore et calamitatibus obvolvit mihique qui talia ex communi iustitiae norma non sim meritus, vulnera super vulnera infligit; « *et multiplicabit vulnera mea etiam sine causa* »; — i. e. gratis, sine culpa, sine meo merito, non propter peccata (*Caiet.*); scil. si res secundum usitatum iustitiae modum perpendatur, ex quo gravissima tantum scelera tam diris suppliciis puniri solent; unde merito plerique exponunt: supra merita (*exp. in.*), sine causa manifesta, ab homine afflicto perceptibili (*S. Thom. Cod. Sanct. Cord. Sa, Men. Tir. Mar. Calm.*) vel ita, ut mihi malorum meorum causam non reddat vel explicet (*Pin.*). Neque enim verbis istis ullo pacto inest ea iniustitiae accusatio, quam recentiores quidam hisce a Iobo impingi Deo perperam censent. Nam qua ratione talis dira imprecatio ex animi Iobi sensibus hucusque prolatis intelligi posset? cf. v. 14. 15, quibus animum demissum et pium prae se ferebat. Verum est, magnitudine dolorum, quos innocens patitur ita ut cur puniatur nulla ei ratio a Deo reddatur, animum eius pungi. Quare utrumque latius prosequitur; et v. 18 quidem illum *turbinem et vulnerum multiplicationem* declarat; v. 18 « *non concedit requiescere spiritum meum et implet me amaritudinibus* »; — i. e. ita continuo dolore crucior, ut fere non liceat respirare, spiritum reducere (hebr. cf. 7, 19), *num satiat me acerbitatibus* (hebr.). Deinde vero a v. 19-21 alterum quod v. 17 innuerat, illud scil. « sine causa » explicat. Deus enim potest modo illo homini impervio agere hominemque ultra iustitiae *consuetae* normam castigare, quia et Deus est potentissimus quem nemo in ius possit vocare (v. 19), et homo nullo modo coram Deo suam iustitiam et innocentiam potest vel praetendere vel defendere (v. 20. 21).

Unde v. 19 « *si fortitudo quaeritur, robustissimus est; si aequitas iudicii, nemo audet pro me testimonium dicere* »; — sensum bene reddidit *vulg.* Ceterum hebr. magis est concinnum et ipso dicendi genere abrupto praepollens : *si de potentia fortis* (agitur, dicit) « *ecce* »; *si de iudicio*, « *quis me citet* »? i. e. quis diem dicet mihi (*Cod. Mar. Malv.* VI. *Vav.*), ita ut Deus ipse loquens a Iobo

---

1. Verbum שׁוּף esse revera *conterere*, et ex veteribus elucet versionibus (cf. LXX ἐκτρίψῃ *Chald.* בִּדְכָדֵק comminuens, *Syrus* me percussit) et ex cognatis colligitur dialectis; ita v. g. Onqelos Deut. 9, 21 verbo שׁוּף hebraeum כָּתַת exprimit (cf. *Ros. Del. Fürst C.*). Res est notatu digna propter insignem locum Gen. 3, 15, quo in *vulg.* idem verbum *conterere*, dein *insidiari* redditur.

inducatur, id quod ad sententiae gravitatem et vivam Dei potentis et supreme independentis descriptionem multum confert[1].

In altero hemist. legitur יוֹעִידֵנִי a יעד constituere, definire (v. g. tempus, locum) forma eadem hiphilica legitur Ier. 49, 19; 50, 44 (*vulg. quis me sustinebit* ibi vertit) et rite explicatur *diem alicui dicere, in ius vocare, citare.* Cum *S. Hier.* vertat *nemo audet pro me testimonium dicere,* certe legit יְעִידֵנִי, a עוד, forma hiph. הֵעִיד testimonium dare, cui lectioni etiam *Chald.* consentit בַּר יְסַהֵיד עֲלַי quis testabitur pro me? *Syrus :* quis ei occurret? simili modo liberius LXX et *vet. lat.* : « iudicio eius quis adversabitur »? Secundum *vulg.* instituto iudicio nemo coram Deo pro Iobo testimonium in eius favorem edere auderet; ex hebr. autem tale iudicium non potest institui, cum nemo sit qui Deum possit in ius vocare.

Pergit Iobus : etsi tale iudicium fieret, *coram Deo* nunquam posset se iustum probare; v. 20 « *si iustificare me voluero, os meum condemnabit me* »; — id quod iam v. 2. 3. 14. 15 innuerat nunc alio modo exsequitur; sensus certe est : « si ad rectitudinem divinae iustitiae integritas mea exigatur, procul dubio invenietur prava et distorta » (*Malv.*), sed quomodo *os meum condemnabit me?* Varie id expediunt : me damnabit proiectae cuiusdam audaciae, qui tam libere ausim pro me dicere (hoc ipsum dicere coram illo, me esse iustum, impium esse existimo; ita *Ol.* sim. *Men. Cord. Calm.*), vel mendacii, quia verissimo iudici repugnare coner, vel quod propria laus propriumque de sua innocentia testimonium nomine mendacii vel suspectae veritatis in iudicio locum non habeat, sed explodatur (cf. *Pin.*); at optimum est, talem fore huius disceptationis exitum, ut cum Deus mihi tot defectus possit ostendere, me proprio iudicio reum[2] debeam declarare (*W.*). Unde addit « *si innocentem me ostendero, pravum me comprobabit* »; — i. e. quanto magis in illa contentione meam iustitiam vindicare conatus ero, eo magis poterit me multorum defectuum reum traducere; Dei enim sanctitas ibi naevos deprehendit, ubi humanae mentis acies obtusa sancta omnia et pura cernere sibi videtur; bene *Cord.* : « in quantum scil. manifestabit peccata, quorum mihi non sum conscius vel quod memoriam effugerint vel certe quod illa pro peccatis non reputaverim ». In hebr. תָּם אָנִי *integer sim* i. e. etsi mihi videar sine ulla reprehensione omnibus officiis

---

1. *B.* in priore membro verba ita collocat : *si de potentia, en fortis ipse!* ita quoque *Le Hir* — in altero mutat : *si de iudicio, quis eum citabit?* ultimum etiam *Hitz.*; at textus traditus est acrior, vehementior.

2. Quare bene *Barh.* : « in oculis meis ego integer sum; at sunt mihi peccata *abscondita a me,* propter quae sicut pravum me castigat ».

optime functus. Idem membrum repetitur non sine emphasi v. 21; unde eodem modo i. e. conditionali particula suppleta cum *vulg.* est explicandum : « *etiamsi simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea et taedebit me vitae meae* » ; — hebr. *non scio animam meam* i. e. non cognoscerem meipsum; Deus scil. tot ei posset ostendere defectus, ut seipsum iam non nosceret, sed quasi alius sibi videretur; iubar enim divinae sapientiae et sanctitatis tanta luce intimos animi et conscientiae recessus collustrare posset, ut ipse se, actiones suas, vitam anteactam iam non cognosceret sed iure abominaretur. Hic sensus congruit v. 20 (cuius aliquam exhibet gradationem) et v. 2. 3. 14. 15.

Sunt qui sententiam *assertive* explicant : *integer sum* (et cum tamen calamitatibus obruar) *nescio meipsum* i. e. nescio, quomodo integritatis conscientia et divina castigatio in me possit conciliari, mihi ipsi quasi dubius efficior, quasi aenigma sum, quid hoc sibi velit ignoro, unde *taedet me vitae meae* (cf. *Del.*). Quamvis ita via sterneretur ad v. 22, tamen prior expositio videtur retinenda *a*) propter externam illam cum v. 20 conformitatem, qua idem membrum in utroque versu est conditionatum, *b*) quia explicatio data « nescio me » videtur potius esse coacta. Quod vero aliis placet : « nihil curo animam meam » i. e. etsi periculum vitae incurram audaci mea affirmatione me esse integrum, tamen id omnibus viribus contendo et assevero (*Hirz. Zsch. Renan*, etc.), et a rei veritate, a sententiarum nexu et ab ipsis verbis hebr. longissime abest. Textus lat. prae se fert, hominem suae integritatis et iustitiae [1] non habere plenam certitudinem (cf. *Pin. Cord.*), id quod verum est et sua sponte ex textu hebr. consequitur.

c) Pium aeque atque impium affligi, immo impium exaltari 9, 22-24.

Talis cum sit hominis integritas coram Deo, iam censet Iobus constare, qua ratione etiam homo qui suae conscientiae testimonio et communi hominum aestimatione reputetur iustus, possit a Deo castigari. Unde sententiae aliorum, solos affligi impios, *suam* iam conceptis verbis opponit quam ex sui ipsius experientia et rerum mundanarum cursu hauserat, affligi pariter et impium et iustum (qui suo aliorumque iudicio sit iustus), immo impium saepe uti prospera fortuna. Ita adversariorum suorum assertionem breviter sed efficaciter et nervose

1. *S. Thom.* adnotat : « homo enim non potest ad liquidum motum sui affectus comprehendere tum propter variationem eius tum propter permixtionem et impetum multarum passionum ».

convellit. Hac autem Iobi defensione elucet *a*) etiam ipsum Iobum in calamitatibus non vidisse nisi aliquam Dei *punitionem* (illas etiam propter *alias* causas immitti ignorat, sed ipsa hac disputatione demum edocebitur); *b*) sed cum sibi conscius esset suae integritatis, nullo modo potuisse acquiescere amicorum opinioni; *c*) cum pariter sententia praeclara de Deo animo eius inhaereret, non potuisse arguere Deum iniustitiae; *d*) quare ex hac ipsa Dei sublimitate quam laudibus extollit, rationem petit, cur Deus *si velit* possit etiam iustum affligere; *e*) hanc ipsam autem rationem esse segetem novae cuiusdam tentationis; nam necessario quaestio statim nascitur: sed quare Deus *me* ex summa illa norma praeter morem consuetum punit? praesertim quia stimulus hic ad animum pungendum prorsus factus etiam altius infigatur consideratione quam ex eventuum cursu subdit impios saepe florere. Uti igitur Iobus ex una parte disputantium impetum et audaciam praeclare retundit, ita ex altera parte sua ipsius inquisitione novam sibi subministrat querelarum segetem, pugnae et impatientiae materiam.

Ipse Iobus summam eorum quae hucusque dixerat complexus et ostendens quo demum haec omnia spectent, pronuntiat v. 22 « *Unum est quod locutus sum: et innocentem et impium ipse consumit* »; — i. e. eo spectat mea oratio, haec est summa dictorum, iustum aeque ac impium aerumnis divexari (cf. *Sa*, *Men*. *Cord*. *Pin*. *Vav*. *Cod*. *Calm*.). In hebr. *unum hoc* (scil. Dei institutum *Mar*. una ratio eademque mensura, cf. *Malv*.), *propterea statuo* (i. e. omnibus consideratis pronuntio, *Malv*.) *integrum et impium conficit;* hoc scil. unum disputantibus opponit, in hoc ab illis discrepat (cf. *Vav*.). Unde Iobus assequitur, ut ostendat poenis non exhiberi, hominem afflictum esse communi hominum aestimatione impium iudicandum, vel ex poenis iure concludi vitam in sceleribus transactam. Cum igitur nexus ille inter *poenas* et *scelera* quem Eliphaz et Baldad statuerunt non adsit, simul Iobus declarat, falso ab amicis illis inferri, ipsum innocentiae suae assertione negasse iustitiam divinam vel ei iniuriam irrogasse.

Quod Iobus ex suae conscientiae testimonio concluserat, iam ex eventuum cursu ostendit; idque clare iam v. 23 in textu hebr. *si flagellum occidit subito, afflictionem innocentum ridet* — i. e. si calamitas quaedam publica saevit et mortes varias stragemque affert tempore v. g. pestis, belli, famis, Deus innocentes piosque ab illa non eximit, nihil illis afflictionem lenit, sed pii pariter absumuntur, quasi Deus illis non provideret. Dicitur ridere, sannis prosequi, quia clamantes illos non exaudit, non salvat et eripit ex aerumnis, quamvis posset; *vult* igitur illos pati; unde dicitur *laetari*, *ridere;* praeterea notandum est, Iobum graviore et significantiore verbo uti, quo clarius,

efficacius suam ex rebus petitam sententiam efferat et disputantibus obtrudat; quare exaggeratione adhibita, ut fit in acri disceptatione, contendit Deum non tantum *affligere* pios sed *gaudere* illorum afflictione. Ita adversarii fortius perstringuntur.

Textus lat. v. 23 « *si flagellat, occidat semel, et non de poenis innocentum rideat* »; — afflicti exprimit desiderium, ut Deus pii aerumnis morte exoptata finem imponat, neve diutius eius quasi afflictione delectatus suspiria eius et gemitus negligat, spernat et ita rideat. Deus enim differens exauditionem poenis pii quasi delectari videtur (cf. *Sa, Men. Cord. Mar.*). Hoc ipsum suspirium arcte adnexum ad v. 22 probat, pios acerbe quandoque affligi ita, ut mors evadat res exoptatissima. Unde *sensus* non adeo differt ab hebr. [1].

Alterum, quod Iobus ex rerum cursu obiurgationibus et argumentis disceptantium opponit, est *impios* exaltari, rerum potiri, impune dominari; unde sententia illorum egregie convellitur. Ita v. 24 « *terra data est in manus impii* »; — « quasi dicat: non solum innocentes opprimit, sed et impios exaltat, rerum arbitros facit » (*Mar.* sim. *Malv. Cod. Vav.*). Hic sensus facilis est et ad propositum efficax [2].

Praeter impium terrae tyrannum etiam iudices et magistratus ius et iustitiam opprimunt, bonos affligunt, idque fit certe Deo permittente; unde denuo quam falso amici Iobi iudicent de calamitatum causa apparet. Ita alio membro v. 24 « *vultum iudicum eius operit; quod si non ille est, quis ergo est* »? — i. e. Deus operit, obvolat vultum iudicum, eos permittit obcaecari, errare, ut nolint videre iustum et rectum (cf. *Sa, Vav. Gord. W. Le Hir*); alii (*Pin. Cord. Cod.*) impium intelligunt dominatorem, qui etiam tribunalium iustitiam pervertat iudicesque muneribus, terrore, exemplo corrumpat; sed aptius ex tertio membro *Deus* subintelligitur. Invicto hoc utitur Iobus argumento: innocentes pariter flagellari cum aliis, immo scelera impune quandoque constat grassari, unde illa amicorum sententia de aerumnis sceleri adaequatis rerum cursu exploditur, quia haec omnia *Deo* fiunt *permittente*. Quare triumphantis in modum hoc ultimum, in quo rei cardo vertitur, interrogatione effert, cum negare non possint illa accidere Deo disponente et gubernante (cf. *Vav. Mar. Malv. Cord.*).

---

1. Hac explicatione quae ipso suo facili nexu quo ex antecedente fluit non minimum commendatur, etiam satis emollitur durum illud quod sententiae inesse aliquibus videtur. Iam *Phil.* ita: « dure hic satis locutus est contra Deum. In toto quidem libro nullus locus est asperior isto et altero superius posito, ubi ait: quamobrem elegit suspendium anima mea et mortem ossa mea; de quibus sermonibus respondit ad Deum in fine libri: unum locutus sum, etc. » (39, 35).

2. Alii impium *diabolum* interpretantur (*Ol. Greg. Phil. Cord. Men. Tir.*); alia vide apud *S. Thom.* et *Pin.*

d) Se Dei maiestate et sanctitate opprimi 9, 25-35.

Iam Iobus a generali rerum consideratione ad suam revertitur conditionem, nexu eo faciliore, quia quae modo disseruit de piorum aerumnis, suo ipsius exemplo egregie sane illustrantur, scil. innocentem diris poenis vexari. Quare suae calamitatis magnitudinem delineat, primo ex eo quod vita hucusque transacta, et celerrime avolaverit neque bonis exoptatis sit potita (v. 25. 26), dein quod nunc continuo doloribus crucietur (v. 27). Atque prius illud quidem triplici effert comparatione ex iis, quae in terra, in mari, in aere citissima cernuntur (*Pin.*); v. 25 « *Dies mei velociores fuerunt cursore* »; — scil. « qui felicia nuntiaturus neque die neque nocte interquiescit, ne alius celerior boni nuntii gratiam praecurrendo defloret et munera praeripiat » (*Cord.*); vel cogita de regio cursorum instituto (cf. 2 Reg. 18, 22. 24.) [1]; « *fugerunt et non viderunt bonum* »; — hyperbole est et praesens afflictionum pondus denotat et sensum, quo fit ut bona praeterita quasi nulla censeantur vel fere ex memoria deleantur. Idem altera comparatione v. 26 « *pertransierunt quasi naves poma portantes* »; — quae scil. velocitate indigent, ut alios mercatores praeveniant.

Ceterum vox אֲבֹהּ a variis varie explicatur. *S. Hier.* certe ab אבב virere (fructus facere?), unde אֵב *viror, flos* (fructus recens?) 8, 12, videtur derivasse; similiter etiam *Chald.* כְּגַדְיָא quam vocem fructus delicatos (aromata pretiosa *Cod.*) interpretantur (cf. *Malv. Ros. Levy* II p. 5); alii ab אבה deducunt i. e. *naves desiderii* i. e. quae citissime festinant; hunc sensum praebet *Sym.* ἀπῆλθον ὁμοίως ναυσὶ σπευδούσαις; alii, uti iam *Syrus*, cum pluribus codd. (cf. *de Rossi*) איבה legunt, אִיבֹהּ naves hostiles (piratarum) intelligunt [2]. Recentiores tamen plerumque ex *arabico* vocem explicantes naves ex *arundine* vel *papyro* confectas intelligunt, ita ut אֲבֹהּ idem sit ac גֹּמָא apud Is. 18, 2 (cf. *W. Fürst L.*, in *C.* praefert explicationem de navibus infensationis, piraticis; *Del. Zsch. Le Hir, Hitz. P.*).

Demum « *sicut aquila volans ad escam* »; — quae rapidissimo cursu et impetu « tamquam fulmen e sublimi » (*Cord.*) se in terram ad

---

1. *Malv.* notat : « et sane admiranda sunt velocitatis cursorum exempla quorum non pauca annotavit Lipsius in epistola ad Nicolaum Micaultium quae est LIX centuriae epistolarum ad Italos et Hispanos ».

2. Aliqui rabbini (quos vide apud *Pin. Cod. Del.*) quos sequuntur *Pagninus, Vat. Clarius* volunt אֲבֹהּ fluvii nomen esse rapidissimi in Arabia qui incredibili impetu omnia abripiat (cf. *Cord.*); sed iam *Malv.* non immerito dicit illos *nugari. Ros.* mavult ex aethiopico אַבְּי *fluctus, unda* explicare *naves fluctuum* i. e. vi fluctuum devectae; sed id sane ieiune adderetur, cum demum naves utique non in arena navigent.

praedam iaculatur. Ita scil. tempus vitae anteactum breve videtur, velox, fugax, quasi uno ictu omnia subripiens iis praesertim qui subito ex prosperitatis culmine ruina irreparabili deiecti sunt.

Ad hanc amaram recordationem accedit dolor continuus praesens quem nullo modo avertere potest. In hoc sensu uterque textus et lat. et hebr. convenit, licet in singulis varius sit in v. 27 et 28. Et *lat.* quidem v. 27 « *cum dixero : nequaquam ita loquar ; commuto faciem meam et dolore torqueor* » ; — i. e. simul ac propono, iam non ita lamentari et querelas fundere sed tristem tetricumque vultum deponere animumque resumere, tunc magis dolore torqueor (cf. *Cord. Vav. Mar. Malv.*) ; vel etsi saepissime propono a querelis cessare, tamen prorsus contrarium contingit, prae doloris ingruentis vehementia facies immutatur (cf. *Sa. Tir. Calm.*) et dolore torqueor. Textum vero hebr. sic verte : *si dico : obliviscar moerorem meum, relinquam vultus meos* (tristes) *et recreabor* (hilaris ero [1] ; cf. *Cod. Malv. Mar. Le Hir*), ita ut v. 28 statim ut apodosis adiungatur : (tunc eo magis) *timeo ab omnibus doloribus meis; scio* (experior) *quod non me habeas culpa immunem.* Eundem sensum prae se fert *vulg.* v. 28 « *verebar omnia opera mea* » ; — i. e. « timui mihi a malis quae patior ne ingravescerent aut multiplicarentur » (*Vav.* sim. *Sa*). Cur ita? quia experitur se graviter a Deo puniri, proinde se non insontem haberi apud Deum; Deus enim ipsa re ostendit eum propter minores etiam defectus ex norma illa insueta iustitiae et sanctitatis affligi; unde « *sciens quod non parceres delinquenti* » ; — i. e. quod me non habes insontem sed levia etiam acerbe punis; cf. 9, 2. 3; innocentia quam homo sibi putat inesse, non ei praesidio est quominus affligatur (*Mar.*).

Hoc vero stimulo animus eius pungitur, quod tamquam improbus puniatur i. e. iis poenis afficiatur, quibus apud amicos impius habetur et quod ipse Deus non eius innocentiam respicit sed eum secundum rigorem sanctitatis (9,2. 3) tamquam impium considerat. Quare exclamat ex textu hebr. : *ego impius habeor* (ego ero nocens)! *quare frustra laborem?* scil. in asserenda mea integritate (*W. P.*), vel certe melius magisque ad contextum : in coercendis clamoribus et suspiriis ; ita suadetur v. 27 (sim. *Calm.*). Cernimus iam hoc loco, quomodo illa notio de summa quadam norma iustitiae ei sit aliqua impatientiae et quere-

---

1. Verbum בלג (hiph.) h. l. *S. Hier.* vertit *torqueri* (similiter LXX στενάξω, Syrus *tristitia affici*) ; at Amos 5, 9 rectius reddidit *subridere* et Ps. 38, 14 (39, 14 hebr.) *videre*, in *vulg. refrigerari;* sim. *Chald. confortari.* Mirum quod S. Hier. h. l. et 10, 20 contrariam verbo subiiciat notionem. Aquila recte μειδιῶν. LXX variant διαιρεῖν (Amos 5, 9), ἀναψῦξαι (Ps. 38, 14), ἀναπαύσασθαι (Iob 10, 20).

larum occasio. Unde bene *Vav.* : « certe ad Deum verba ista pertinent : ut comparatione summae illius exactaeque iustitiae non se innocentem fateatur »[1].

Ad eundem sensum facile, dummodo non nimium urgeas temporis praeteriti formam *laboravi*, textus lat. exigi potest v. 29 « *si autem et sic impius sum, quare frustra laboravi* » ? — Quod plerisque latinis interpretibus placet : « quid mihi profuerunt labores mei, opera pia et proba, si tamen aeque ac sceleratus quisque discrucior » ? et sententia est aequo durior, neque ullo pacto hebraicum אִיגָע hoc modo de vita anteacta potest intelligi.

Iam in sequentibus de facto ostendit, quorsum nolit laborare, ut silentium sibi imperet et gemitus et lamenta coerceat. Pluribus enim declarat primo, integritatis conscientia aliquem non reddi purum coram Deo (v. 30. 31), deinde ex hoc materiam capit denuo profundendi gemitus et querelas, quas v. 32 praeparat et mox proloquitur.

Primo declarat hominem etsi adiumentis efficacissimis ad nitorem efficiendum uteretur, tamen coram Deo sanctissimo manere sordibus onustum, ita ut ipsa vestimenta dicantur abominari eum et quasi abhorrere, ne talem sordibus impletum vestiant. Ita v. 30 « *si lotus fuero quasi aquis nivis et fulserint velut mundissimae manus meae*, v. 31 *tamen sordibus intinges me et abominantur me vestimenta mea* » ; — *aquas nivis* dicit, quibus quippe maior inesse vis ad eluendas sordes credatur (cf. *Thom. Mar. Vav. W.*). At frustra esset talis conatus ; vel etsi coram hominibus culpae obnoxius sit nulli, Deus tamen posset eum sordibus intinctum i. e. naevis ac defectibus plenum ostendere — nam sordes istas de culpis intelligi (cum *Greg. Thom. Cord. Tir. Gord. Vav. W.*) et non de vulneribus et ulceribus corporis (uti *Phil.? Ol. Pin. Mar. Malv. Men.*) toto contextu persuadetur, cf. v. 28. 29, et ratio quae v. 32 redditur rem 9, 2 et seq. expositam tangit. — In tantum autem Deus naevos ei detegere potest, ut ipsa vestimenta eum abhorreant, eius contactum fugiant, ut evitari solet contactus leprosi. Metaphora illa qua vestibus sensus tribuitur et horror corporis sordidi, animum afficit excitatque tetram quandam corruptionis imaginem (*Calm.*).

In hebr. v. 30 alterum hemistichium apte ad membrum antecedens effertur : *et si mundavero smegmate* (sale lixivii, sapone) *manus meas*; בֹּר enim rite explicant,

---

1. Alii inanem laborem referri volunt ad Dei invocationem vel ad spem melioris sortis, ad quam amici eum invitaverunt (cf. *Pin. Malv.*); at id longius abesse videtur neque adest indicium hisce illorum respici aut tangi verba.

ut Ier. 2, 22 בֹּרִית (nitrum *vulg.*) et Mal. 3, 2 (herba *vulg.*) et Is. 1, 25 בְּבֹר i. e. salem lixivii (Laugensalz) vel *alcali* (cf. *Cod. Mar. Malv. Calm. W. Del. Zsch.*). S. *Hier* v. 31 rite vertit *sordibus intinges me;* ita vocem שַׁחַת veteres intellexerunt (derivandam a שָׁחַת); LXX h. l. ἐν ῥύπῳ ἔβαψας; et sim. Ps. 15, 10; 54, 24 διαφθοράν reddiderunt et *Aq.* h. l. ἐν διαφθορᾷ βαπτίσεις με; ita explicant *Pin. Mar.* et de hac notione vide infra 17, 14; 33, 18. 22. 30. Alii, uti iam *Syrus* et recentiorum plerique *foveam* explicant i. e. *fossam coenosam* (*Malv. Le Hir*), non quod *Calm.* vult sepulchrum.

Cur autem talis exeat a iudicio divino [1], rationem affert eandem quam iam v. 2 et seq. proposuerat. Neque enim cum *sui simili* fit comparatio, utique *homini* comparatus et est et declarari debet iustus; at causa agitur cum Deo. v. 32 « *neque enim viro qui similis mei est respondebo nec qui mecum in iudicio ex aequo possit audiri* »; — supremo et sanctissimo Deo debet rationem reddere; neque cum Deo *ex aequo* potest in iudicium intrare et disceptare; ita in altero hemistichio *ut intremus una in iudicium* (hebr.) quod secundum sensum *vulg.* exhibet. Bene LXX et *vet. lat.* « non es enim homo sicut ego cui contradicam, ut veniamus pariter ad iudicium ». Causa igitur cadet, quia sibi agendum est cum Deo sanctissimo, qui summa utatur sanctitatis norma, neque potest aliquis Deum cogere, ut communem normam et mensuram adhibeat, i. e. ut si Iobus more humano declaratus sit iustus et debeat declarari, Deus hanc sententiam ita habeat ratam, ut eum debeat ab afflictione absolvere. Hoc alterum quod ad supremam maiestatis Dei auctoritatem spectat (*S. Thom.*), proponit v. 33 « *non est qui utrumque valeat arguere et ponere manum suam in ambobus* »; — hebr. *non est inter nos arbiter, qui ponat manum super utrumque nostrum*, qui coactione utrumque adigat ad iudicis sententiam agnoscendam et opere exsequendam et sua auctoritate utrumque compescat. LXX et *vet. lat.* habent : « utinam esset nobis arbiter et qui argueret et qui audiret inter utrumque » [2].

Minime mens Iobi est Deum accusare, ut qui sit solutus legibus omniaque pro arbitrio agat (*Mar.*), sed bene iam notat *Ol.* : « non ignarus fuit magnus Iobus secundum divinam iustitiam et districtum examen (ἀκρίζειαν) neminem reperiri iustum; nunc vero scopus eius est,

---

1. Rem ita declarat *S. Thom.* : « sordibus intinctus demonstrabor tuae iustitiae comparatus et per tuam sapientiam convictus; semper enim in operibus humanis aliquis defectus invenitur; quandoque quidem ex ignorantia propter debilitatem rationis, quandoque autem ex negligentia propter infirmitatem carnis, quandoque autem aliqua infectio alicuius terrenae affectionis etiam in bonis operibus admiscetur propter mobilitatem humani cordis, quod non firmum in eodem perseverat; unde semper aliquid in humanis operibus invenitur quod deficit a puritate divinae iustitiae ».

2. Similiter *Syrus* optantis particulam exprimit, unde legisse videntur לוּ pro לֹא.

non ut cum districto Dei iudicio (ἀκριβειαν) contendat neque ut iustum Deum iniuste ipsum supplicio afficere ostendat, sed ut amicos mendacii argueret qui propter peccata supplicia illi infligi arbitrabantur ».

Nihilominus Iobus tanta suae integritatis conscientia pollet, ut libere coram Deo suam causam agere velit, dummodo dolor iste ingens auferatur et ipsi liceat pauxillum respirare. v. 34 « *auferat a me virgam suam et pavor eius non me terreat* » ; — sunt qui *virgam* et *pavorem* tantum de divino dominio intelligant; proinde Iobum exoptare, ut Deus deposita sua auctoritate tamquam homo cum aequali agat (*Sa, W.*); at *virga* et *terror* certe cum plerisque aptius de flagello et morbo Iobi quo cruciatur et in apta sui defensione suaeque rei declaratione impeditur, tum ex ipsis vocibus accipitur, quae ad divinam maiestatem designandam non valde forent accommodatae, tum ex contextu, cf. v. 27. 10, 1 et seq. 6, 4. Si ita sibi ipsi reddatur, profitetur se libere locuturum suamque causam defensurum, neque fore ut timeat Deum qui ex communi norma humana secum congrediatur; ita v. 35 « *loquar, et non timebo eum; neque enim possum metuens respondere* ». —

Alterum hemist. ad verbum ex hebr. *quia non ita ego mecum*, vel *quia non sic ego apud me* varie supplent et explicant. LXX οὐ γὰρ οὕτω συνεπίσταμαι (nam non sic conscius sum) videntur supplere : non enim talis sum apud me qui debeat timere culpae conscius. *Syrus* explicat *neque enim sum ipsius adversarius;* fortasse haec explicatio ipsius textus hebr. est enarratio eadem quam apud LXX deprehendimus, scil. non sum talis qui debeam timere, quia non sum Dei adversarius; vel *Syrus* legit עִמּוֹדִי (stare meum) et supplevit עָלָיו (contra eum; cf. *Ros.*); alii : quia sic (in dolore) non sum apud me i. e. mei compos; ita *vet. lat.* « non enim sum mecum » et *Sym.* οὐ γάρ εἰμι ἐγὼ ὁ αὐτὸς παρ' ἐμαυτῷ et certe *S. Hier.* eundem sensum elegantius expressit (sim. *Mar. Malv. Pin. Vav. Calm.*); alii : quia non sum talis qualem me calamitates significant et isti putant (*Cord.*; id quod longius accersitum videtur). Optima videtur veterum illa expositio, quam LXX et *Syrus* innuunt : non sum talis qui debeam timere Deum, obmutescere coram illo (cf. *Malv. W. Del. Le Hir, Zsch.*); quae repetita suae innocentiae assertio ad sententiarum seriem a v. 32 optime et psychologice convenit et 10, 2. 3 fulcitur.

c) Anxie quaerit, cur Deus iustus pium affligat 10, 1-7.

At haec respiratio quam exoptarat, ei non conceditur; Deus non aufert ab eo *virgam* et *pavorem*. Unde in novas prorumpit querelas et singultus. Attende hoc loco doloris psychologiam! asseruit quidem se velle loqui dolore sublato, tamen nunc loquitur dolore perstante et id agit quod modo se agere velle negavit, scil. disceptare cum Deo et suam probare et proferre innocentiam. Ita enim qui doloribus cruciantur, affectibus agitari solent inter se litigantibus. Quae omnia simul

comprobant, quantis animi commotionibus Iobus iactetur, ex quibus doloris acerbitas facile concluditur.

In clamores prorumpere et magnis suspiriis doloris quasi habenas laxare, aliquid affert solatii ac levaminis.

Unde Iobus quoque v. 1 « *Taedet animam meam vitae meae; dimittam adversum me eloquium meum* » ; — i. e. laxato ore loquar (*Sa, Mar. Malv. Cord.* etc.) ; ipsa verba interpreti normam praescribunt, ut non ad rigorem illa exigat sed meminerit illa doloris esse indicia et ad animum exonerandum vehementius protrudi. In hebr. *dimittam super me* (de me) *querelam meam* cf. 7, 11 ; idem ostenditur alio membro « *loquar in amaritudine animae meae* » ; — i. e. in tanto moerore fidentius et etiam acerbius loquar (cf. *Cord.*) ; quare bene *S. Thom.* : « quasi dicat : verba quae exterius proferam interiorem amaritudinem ostendent, scil. ut det intelligere se in persona hominis amaricati loqui ». Tali usus exordio rem proponit v. 2 « *dicam Deo : noli me condemnare, indica mihi cur me ita iudices* » ! — duo scil. efflagitat et in hisce tota querelarum ratio vertitur ; prius, ne Deus eum peccatorem pronuntiet[1] per hanc vexationem, cum omnes iudicent propter scelera eum talia perpeti (*Cord.*) ; ex amicorum sententiis et iudiciis satis elucet, Iobum merito ita loqui. Alterum est, quod innocentem maxime pungit, ut sciat *quare* Deus eum qui ex communi lege tanta supplicia nullatenus meruerit, adeo dure adhibeat, i. e. cum eo contendat (hebr.). Sunt enim ipsi calamitates quas sustinet quasi mysterium quoddam et aenigma Dei cum ipso agendi ratio. Iam nunc secum in hanc causam inquirit mirabundus et quidem ita « ut *omnes iniuriae inferendae rationes*, quibus adduci mortales solent, *a Deo removeat*. Quid enim iuvet aliena vexatio ? quid operis sui destructio ? quid favere sceleratis ? sed neque tenet illum ignoratio, neque perturbatio ulla humana ducit » (*Vav.*).

Praecipue notandus est iste quaestionum cumulus v. 3-7, quo omnem iniustitiae modum adeo explicite a Deo excludit ; ea est enim interrogationum vis quasi dicat ; cur punior ? miror, nam ratio non potest esse quia Deus delectaretur oppressione (v. 3), neque quia eius iudicandi ratio errori aut vitiosis affectibus esset subiecta (v. 4), etc. Quare bene *Cord.* adnotat, quod recentioribus Iobi accusatoribus quam maxime est commendandum : « omnes vias iniustitiae quibus terreni iudices corrumpi et ius pervertere solent a Deo removet » (sim. *Tir. Gord.*).

---

1. *condemnare* = רשׁע hiphil est improbum pronuntiare, sontem, reum peragere (*Malv.*).

Unde v. 3 « *numquid bonum tibi videtur si calumnieris me et opprimas me, opus manuum tuarum* »? — *vulg.* saepe עָשַׁק (opprimere) vertit *calumniari* (cf. *Pin.*); in hebr. *an bonum tibi* (placetne tibi). *ut opprimas, ut repudies opus manuum tuarum?* i. e. fieri nequit, ut Deus qui meus *creator* est me hominem creaturam quam tanto studio (Gen. 2, 7. Ps. 138, 15) efformavit, adeo aversetur, ut oppressione, afflictione mea gaudeat, vel odio impulsus malum inferat; « *et consilium impiorum adiuves* »? — hebr. *illustres*, super illorum [1] consilium *effulges* (cf. *Malv. Mar.*) i. e. favore prosequi, illis adspirare (*Cod.*); i. e. dum impii Deo favente bona utuntur fortuna. Sensus ergo est: Deus certe me non punit quia delectatur mea castigatione dum impiis bene est; si poenis generatim delectaretur, impios affligeret; nam quis diceret Deum adeo crudelem, ut *innocentis* poena laetaretur?

Hic sensus videtur facilis; qui aliis (*exp. in.* consilium daemoniorum vel amicorum Iobi; *Vav. Calm.*) placet, Deum in Iobi afflictione iudicium adversariorum comprobare qui illum merito vexari putent, longius abesse videtur a verbis adeo planis, et a Iobo amicos hoc iam loco tam dure *impios* vocari merito quis nimis durum et prorsus improbabile reputaverit. Alii pressius consilia impiorum intelligunt ea, quibus innocentibus moliuntur insidias aut malum meditantur (*Cord.*), quae in Deum cadere nullo modo possint; qua explicatione alia ratio mali inferendi excluditur, quae in improborum invidia et odio innato contra pios sita est. Sensus certe exoritur haud spernendus; at nullum adest vestigium, ex quo *consilium* hoc significatu presso atque ad unum genus restricto sumi posse merito appareat.

Deinde « alteram assignat rationem cur Dei iudicium non possit esse non iustum, quia scil. et hominum merita et eorum pondera ignorare non poterat qui oculos non habet carneos, qui saepe lippi sunt et languidi atque in rebus etiam clarissimis hallucinantur et certe interiora non vident » (*Cord.*). v. 4 « *numquid oculi carnei tibi sunt, aut sicut videt homo, et tu videbis* »? — oculi carnei *humani;* homo exteriora tantum videt, specie decipitur, animi cupiditatibus mentis acies obnubilatur, falsis et praeconceptis opinionibus irretitur, veritatis fontes non pure ipsi fluunt, undique erroribus exponitur; quare in iudicio ferendo falli potest. Nihil tale apud Deum.

Neque Deo, cui omnia perspecta sunt, necesse est amicos probare, ut sciat, utrum sinceram colant amicitiam necne; *homines* quidem aliorum fidem ac sinceritatem *explorare* et experimentis cognoscere

---

1. *S. Thom.* ad illos refert qui Iobum oppresserunt; fortasse, ut *Pin.* eum interpretatur, ad Sabaeos et Chaldaeos quibus furta in Iobi bonis commissa bene cesserant.

student ; at non ita cum Deo ; v. 5 « *numquid sicut dies hominis dies tui, et anni tui sicut humana sunt tempora?* v. 6 *ut quaeras iniquitatem meam et peccatum meum scruteris,* v. 7 *et scias, quia nihil impium fecerim, cum sit nemo qui de manu tua possit eruere* » ? — i. e. numquid sicut homo meam fidem et sinceritatem explorare, eius periculum facere vis? cur me tam duro probas experimento? num ambigis de meae erga te fidei firmitate, uti homo quandoque de amico dubitat? Ita loquens Iobus quam proxime ad veritatem *inscius* accedit et quaestio ab ipso proposita animum legentis, qui prologi memor est, magna delectatione subit non sine iucundo sacri auctoris artificio. Ad hanc probationem designandam vel ex Iobi mente potius negandam optime refertur v. 7, in hebr. *quamvis scias* [1] me impii nihil admisisse i. e. non opus est, ut Deus hominem quippe quem plane et per omnia perspectum habeat quasi ad trutinam revocet, neque ut eum quasi coerceat et suo imperio contineat, quia homo totus a Deo dependeat neque ullo modo Dei manus possit effugere ; quare additur *cum sit nemo*, etc. Bene advertit *Pin.* hanc partem eleganter referri ad movendam commiserationem ; ita fit gressus ad sequentia, quibus Iobus supplex se tamquam opus Dei tanta cum cura elaboratum creatori propitio commendat.

Nexum et sententiam v. 5 simili modo *Cod.* et *Calm.* ad probationem et explorationem referunt. Ceterum alii aliter connectunt et explicant. Hominis vitam brevem fluxamque proponi et Dei asseri aeternitatem, ex verbis satis est perspicuum ; sed quorsum? plerique censent, excludi a Deo scientiae defectum ; hominem enim temporum successione et alia discere et alia oblivisci, unde facile iudicium falsum ferre possit, non ita Deum, qui in sua aeternitate omnia simul intueatur (cf. *Greg. Ol. Cord. Men. Tir. Vav. W.*). Vera quidem est sententia, at parum a v. 4 distincta neque satis ad v. 6 apta. *S. Thom.* ita explanat : Dei cognitionem per temporis fluxum neque crescere, neque decrescere, ita ut non opus habeat per flagella inquirere, an ego peccaverim opere et iniquus sim mente, sicut homines per tormenta peccata exquirunt ; — at explicatio non placet, cum modum iudicialem inquirendi per tormenta supponat.

Alii v. 5 insitam hominis pravitatem innui censent, qua alios studeat subvertere (*Mar.*) ; huic simillimum est quod *Malv.* probat : « an tota, inquit, aeternitate tua quidquam tibi humanum evenit »? Alii de Dei immutabilitate explicant, qua non, ut homines, modo faveat piis modo in eos mutata sententia insurgat (*Ros.* et apud *Malv.*) ; alii ideo vitae brevitatem negari putant, ut appareat, Deum non ob vindictae cupiditatem et opportunitatem poenas

1. Eo enim sensu hebr. עַל adhibetur, cf. 16, 17 ; 34, 16.

infligere, quam utique homo si semel nactus fuerit non sinat elabi timens, ne propter vitae brevitatem illa irreparabili iactura abeat (apud *Pin.* sim. *Del.* qui insuper Iobum quasi tormentis a Deo adigi exponit, ut se fateatur peccasse).

f) Deum ad misericordiam flectere conatur 10, 8-17.

Cum igitur nullam afflictionum causam deprehendat et se Dei potestati commissum sciat, nihil aliud ei restat quam ut Deum ad misericordiam moveat; id quod praeclaro modo fit commemoratis pristinis beneficiis (cf. Is. 63, 7. *Pin.*) v. 8 « *Manus tuae fecerunt me et plasmaverunt me totum in circuitu* » ; — i. e. nihil prorsus est in me quod non summo studio, arte summa et non sine labore (unde עִצֵּב in forma piel) tu efformaveris; quare mirabundus et simul deprecabundus addit hebr. [1] *et me perdes* (devorabis scil. interitu)? quod ad sensum bene *vulg.* « *et sic repente praecipitas me* » ! — Interrogatio vero orationem reddit valde acrem et incitatam (*Pin.* cf. *Thom. Vav.*), opponit Iobus iudici Deo dignitatem suae conditionis (*S. Greg.*), insuper omnium minime is perditum vult opus, qui fecit (*Vav.*). Quare maiore animi commotione urget et instat, idem Dei beneficium et curam latius prosequens v. 9 « *memento, quaeso, quod sicut lutum feceris me* »; — Adami protoparentis originem tangit, quatenus communis parentis initia ad omnes eiusdem generis et naturae participes referuntur. Quam sollicita cura, quanta praemeditatione, quanta prae ceteris omnibus excellentia hominem formaverit, ex quo omnes erant nascituri, Deo proponit; perperam aliqui haec ad hominis fragilitatem dici volunt (*Br. Pin.*), bene vero iam *S. Greg.* priore loco (c. 900) dignitatem creationis hominis comparatione cum reliquarum rerum conditione instituta illustrat. Idem elucet ex interrogatione, quae admirationem prae se fert « *et in pulverem reduces me* » ? — i. e. quem tanta arte effecisti iamne perdes? Post primam hominis institutionem transit ad continuam naturae propagationem delineandam, uti iam *Greg. Br. Thom.* nexum statuunt. Duo autem haec quae v. 8 et 9 proposita sunt, ita in subsequentibus pertexuntur, ut prior pars utriusque versus a v. 10-12, altera a v. 13-17 latius oppositione illa servata oratorie explicetur.

Primum in vulva materna ortum adumbrat v. 10 « *nonne sicut lac mulsisti me* » ? — bene ad hoc et seq. notat *exp. in.* : « in hac simili-

---

1. *B.* secundum graecum μετὰ δὲ ταῦτα μεταβαλών textum mutat pro יחד כּבוּב scribens *achar tasub.*

tudine ostendit, quod in visceribus matrum creationem hominis divinitas operetur ». Ordinem ita evolvit *Thom.* : « in hac hominis generatione primo occurrit seminis resolutio, et quantum ad hoc dicit : *nonne sicut lac*, etc... secundo autem concurrit compactio massae corporeae in utero mulieris, et quantum ad hoc subdit : « *et sicut caseum me coagulasti* » ; — ita enim se habet semen maris ad materiam quam femina ministrat in generatione hominis et aliorum animalium, sicut se habet coagulum in generatione casei. Tertio autem occurrit distinctio organorum, quorum quidem consistentia et robur est ex nervis et ossibus, circumdatur autem exterius a pelle et carnibus, unde dicit : v. 11 « *pelle et carnibus vestisti me, ossibus et nervis compegisti me* ». — Similia quoque apud *Chrys. Greg.* leguntur et apud interpretes latinos (praecipue *Sanct. Tir. Cord. Calm.*), qui rem veterum etiam philosophorum et medicorum testimoniis comprobant. Ceterum ipsis verbis patet, rem figurate proponi, neque minus certum est, auctorem sacrum non absolutam quandam et perfectam scientiae doctrinam de generatione et primo ortu hominis velle in medium proferre sed hominis formationem ex communi opinione perscribere, quae in quantum ad omnes physiologiae excultissimae leges exacta sit, non opus est hic inquirere (cf. *Gutberlet*, Buch der Weisheit, p. 165) ; sufficit, rem apte similitudinibus explanari ; id quod recentiores etiam interpretes concedunt[1]. Hos versus etiam de protoplastae formatione dici censet *Pin.*, utramque explanationem affert *Ol.*; at agi de hominis conceptione (« in ventre matris » versui adscribit *Barh.*), praeter contextum et v. 12 etiam persuadent loci similes Eccl. 11, 5. Ps. 138, 15. 16. Sap. 7, 1. 2. 2 Mach. 7, 22.

Formatione hominis in matris utero enarrata (v. 10. 11) ad partum vitaeque conservationem sub miserentis Dei tutela progreditur v. 12 « *vitam et misericordiam tribuisti mihi* » ; — hebr. *fecisti mecum ;* agnoscit Iobus se simul cum vita Dei benignitatem ac gratiam in se variam expertum esse et Dei custodia se amanter protectum ; unde addit : « *et visitatio tua custodivit spiritum meum* », — hebr. *et custodia tua*, i. e. cura, providentia, assistentia tua (*Pin. Vav. Malv.*) vel ut *vet. lat.* habet « inspectio tua » ; illam dicit assiduam Dei curam et quasi vigiliam (*Cord.*), qua saluti hominum prospicit ac consulit (cf. *Chrys. Ol. Pin. Cord.*).

---

1. Verbum hebr. in v. 10 הִתִּיךְ est effundere, sed etiam de fundendis metallis adhibetur Ez. 22, 20, unde *sicut lac fudisti me* (*Mar.*) intelligunt : lactis in morem me in certam formam immisisti, me formasti (*Ros. Del.*), sed LXX ὥσπερ γάλα με ἤμελξας et *Aq.* ἀπέστραξας omnino interpretationem *S. Hier.* commendant, quae etiam in seq. optime hebr. reddit.

Iam a v. 13 alteram superiorum versuum 8 et 9 partem enucleat, miratus quod post talem curam Deus tam atrociter in ipsum animadvertat eumque destruat. Hic sensus aperte textu hebr. proditur estque aptissimus, quem igitur rpimum explicabimus. Est enim v. 13 ex hebr. : *et haec celasti in corde tuo! scio* (*experior*), *haec fuisse apud te!* i. e. nihilominus talia, quibus nunc crucior et absumor, supplicia simul in corde tuo pro me meditatus es; nunc enim ipsa re experior, talia apud te pro me fuisse constituta ac decreta. Miratur enim ex una parte Dei in se benignitatem, ex altera strictissimum eius ac valde severum iudicium, quo poenis eum coerceri pro omni vitae ac morum conditione statuerat. Unde prosequitur explicans, quaenam fuerint *haec apud te* (v. 13) v. 14 ex hebr. : *si peccaverim, observabis me et a culpa mea non dimittes me impunitum* ; i. e. haec apud te statuisti, ut si quid peccarem (ut homines solent; חטא in oppositione cum רשׁע de levioribus peccatis dicitur, רשׁע de impietate, de peccatis contempto Domino [1], quae peccata « per superbiam » hebr. in *alta manu* Num. 15, 30 dicuntur) id districte observares et mihi annotares ad poenas exigendas (cf. *Malv.*) neque me unquam impunem abire permitteres. Denuo scil. Iobus animi sui sententiam aperit, qua censet secum agi propter defectus leviores summa cum severitate. Aliam conditionem ponit v. 15 ex hebr. : *si impius sim, vae mihi* i. e. quid tum demum horrendi mihi accideret! apiosiopesis est plena affectu, qua supplicia omni cogitatione maiora sibi delinquenti a Deo statuta fore innuit; immo etsi a peccatis et sceleribus immunis iustitia humana (utique semper levioribus defectibus obnoxius) praeditus esset, tamen ex Dei decreto ut calamitatibus obrueretur futurum fuisse conqueritur, ex hebr. : *et si iustus sim, non attollam caput meum saturatus ignominia et miseriam meam expertus ;* caput attollere, vel erecto capite incedere eius est, qui laetitia, prosperitate, sui confidentia, securitate fruitur [2]. Quodsi vero aliquam animo con-

---

1. Quod discrimen bene notat *S. Ambr.* : « quod conditionis est, non negat; quod impietatis est, repellit; quod infirmitatis est, fatetur. Peccasse conditionis est, quia nemo immunis lapsus est; impie agere non conditionis est, sed perfidiae et nequissimae mentis venenum. Non agnoscit hoc iustus; sed absolutio hominis in Dei miseratione, non in hominis potestate est » (t. 14 c. 805; de interpell. Iob 1, 6).

2. וְרֹאֵה עָנְיִי aliqui ut imp. vertunt *et vide miseriam meam* (cf. *Malv. Cod. Ros. B.*), recentiorum plerique רֹאֵה stat. const. a רֹאֶה formatum explicant ex analogia adi. יָפֶה, קָשֶׁה- ita v. g. *Ges. Fürst, W. Del. Zsch.*; alii forma רֹאֵה quippe quae a verbis intransitivis tantum derivetur negata participium legi punctis mutatis רֹאֶה malunt (ita *Hirz., Ewald*), sed cum a נָכָה revera adsit participium נָכֶה (utique sensu passivo), audacius videtur formam רֹאֵה ut linguae indoli adversantem reiicere; alii formam *infinitivi* a *saturatus* dependentis agnoscunt (cf. *Hitz.*).

ciperet superbiam, Deus illam horrendis cruciatibus coercere ac punire statuerat; ita v. 16. 17 ex hebr. : *et si attollitur* (cf. *Vav. Calm.*), *tamquam leo me venaberis* (cf. *Mar. Malv.* VII. *Calm.*) *et iterato mirum te ostendes contra me* (i. e. miris ac portentosis modis me cruciabis, unde optime *vulg.* : *mirabiliter me crucias*); *renovabis testes tuos* (i. e. plagas, 16, 8 cf. *Malv. Mar. Calm.*) *in me et augebis iram tuam contra me et vicissitudines et exercitus contra me* (i. e. copiae aliae aliis succedentes continuo me oppugnant, *Malv.*, a malis in mala revolvor *Mar.*). Notatu digna est *vet. lat.* : « capior sicut leo ad occisionem; iterum autem commutatus saevissime crucias me, restauras (apud *Aug.* instaurans) in me tormenta mea; ira magna usus es in me et importasti mihi tentationes ».

Deus persequens ac puniens leoni comparatur, uti Osee 5, 14; 13, 7 et similiter Is. 38, 13. Ier. 25, 38; et ipsa leonis similitudo ex re et usu frequenti s. literarum non tam ad oppressum vel opprimendum quam ad opprimentem refertur [1], quare lectio *leaena* codicum quorundam *vulg.* (cf. *Luc. Brug. Mar. Pin.*) videtur praeferenda, uti *Chald.* et recentiorum communis fert interpretatio contra LXX et veteres interpretes.

Hunc sensum vv. 13-17, qui ex textu hebr. immediate fluit, esse omnino praeferendum interpretationi *vulg.*, iam vidit et fassus est *Pin.* qui scribit ad v. 13 : « illud multo congruentius contextui totius orationis, ut agat de celatis et in corde conceptis dissimulatisque inimicitiis cum Iobo et nunc iam tum acerbis suppliciis manifestatis et proditis ». Insuper notat, verbum צפן nunquam ad benevolentiae aut amoris dissimulationem accommodari, non raro vero ad inimicitias et insidias occultas referri. Sensus autem *vulg.* hic fere esse videtur, ut latini interpretes communiter exponunt : v. 13 « *licet haec celes in corde tuo, tamen scio, quia universorum memineris* » ; — i. e. nunc quidem beneficia illa mihi praestita sunt abscondita et malorum inflictione quasi operta, videris enim esse iratus in me ; attamen spero et confido tuo in omnes amore ; v. 14 « *si peccavi et ad horam pepercisti mihi, cur ab iniquitate mea mundum me esse non pateris* »? — i. e. si in vita anteacta peccavi et tu distulisti me punire usque ad hanc horam et cum longanimitate me sustinuisti, iam me munda penitus et absolve, cum adeo te deprecor, vel cur non simul talem mihi ostendis longanimitatem et gratiam, ut penitus auferas et condones iniquitatem meam? Sed pergit v. 15 « *et si impius fuero, vae*

---

1. Cf. Num. 23, 24; 24, 9. Deut. 33, 20. 22. 2 Reg. 1, 23; 17, 10. Ps. 7, 8; 10, 9; 16, 12; 21, 14; 56, 5; 57, 7; 103, 21. Prov. 19, 12; 20, 2. Is. 15, 9. Ier. 49, 19; 50, 44. Ez. 22, 25, etc.

mihi est; et si iustus, non levabo caput, saturatus afflictione et miseria » ; — i. e. sive impius sum, sive pius, iram tuam non effugiam, non iam licet mihi laeto caput attollere, quia tibi visum est me afflictione et miseria saturare; v. 16 « *et propter superbiam quasi leaenam capies me, reversusque mirabiliter me crucias* » ; — i. e. tibi placet me quasi bestiam ferocem et nocentem insectari et ut hominem superbum, crudelem et rapacem exagitare, iterum iterumque me mirabiliter cruciare ; ita continuo testes tuos, testes irae tuae et vindictae in me, plagas scil. in diem novas in me immittis. Ita v. 17 « *instauras testes tuos contra me et multiplicas iram tuam adversum me et poenae militant in me* » ; — Dei *testes* alii parum apte de daemonibus vel tribus Iobi amicis intelligunt (cf. *exp. in. Thom. Vav. Cord.*). Interpres *vulg.* verba illa quae sensum mutant *licet* et *ad horam* de suo addidit, cum nullus textus, nulla versio antiqua talia prodat verbum autem שָׁמַר[1] sensu bono accepit, sed usurpatur, uti similiter supra 7, 12 מִשְׁמָר ve potius, uti infra 13, 27; 14, 16 ; 24, 15. Ps. 56, 7 (hebr.). Ier. 3, 5 Amos 1, 11.

g) **Ut paululum respirare liceat, petit 10, 18-22.**

Cum igitur Iobus occulto Dei iudicio se cernat impeti et continua malorum serie opprimi, mirum non est, eum denuo vitam exsecrari et mortis, utpote quietis, desiderio tangi. Quia aenigma illud v. 8 et 9 expressum et in subseq. latius propositum non assequitur, gemebundus Deum compellat v. 18 « *Quare de vulva eduxisti me, qui utinam consumptus essem, ne oculus me videret!* v. 19 *fuissem quasi non essem, de utero translatus ad tumulum* ; » — cf. 3, 11. 16[1].

Dolentis est repetitis vicibus eandem proferre et in omnem partem vertere cogitationem; quia videlicet Iobus cruciatuum cessationem summopere desiderat, delectatione quadam mortis conditionem sibi depingit.

Dein dolorum acerbitate pressus subito iterum Deo supplices tendit manus, ut illos mitiget, rationemque qua Deum flectat, depromit ex vitae mox finiendae brevitate. Ita v. 20 « *numquid non paucitas dierum meorum finietur brevi? dimitte ergo me, ut plangam paululum dolorem meum* »! — *vulg.* hic verbis abundat ; nervosius, efficacius hebr. *nonne pauci dies mei?* Dein pergit instanter rogans : *cessa, averte a me*

---

1. *Vulg.* inserendo *utinam* sensum clariorem reddit; in hebr. habetur tempus imperf. uti v. 14-17, quo illud significatur quod ex Iobi sententia satius futurum fuisset ; vel est quasi apodosis ad illam in interrogatione latentem conditionatam sententiam : si me non de vulva eduxisses, expirassem et oculus me non vidisset. Similiter v. 19 ex hebr. *debuī esse* tamquam talis qui non exstitit, de utero ad tumulum transferri satius fuit.

(i. e. desiste a me) *et refrigerer paululum !* [1] precatur, ut avertat Deus manum qua eum affligit, vel faciem oculosve vel cor, quibus ad eum cruciandum quasi attendit .[2]

Aliam Iobus rationem subiungit ex ipsa limbi conditione petitam, est scil. migraturus in regionem tristem, in qua miserentis Dei opem iam non experiri poterit et ex qua in terram hanc, scenam scil. gratiae Dei et benignitatis nullus est reditus. Quare v. 21 « *antequam vadam et non revertar, ad terram tenebrosam et opertam mortis caligine* ; v. 22 *terram miseriae et tenebrarum, ubi umbra mortis et nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat* ; » — *vulg.* sensum textus praeclare reddit; ceteroquin *hebr.* ad verbum ita habet : *in terram caliginis et umbrae mortis, terram tenebrarum quasi caliginis umbrae mortis* (i. e. cuius tenebrae densissimae sunt instar lethalis caliginis *Cod.*) *et non ordines* (sunt ibi) *et splendet sicut caligo* [3].

Verborum cumulo quam maxime horrorem et tenebras depingere studet, quo eius postulatio efficacior evadat. Sed quid illa regione intelligit? Certe non sufficit cum *Vav.* poeticam tantum et tragicam mortis et sepulchri descriptionem agnoscere (sim. *Lyranus, Men. Mar.*) sed dicendum cum *Phil.* : « quod terram inferorum descripserit, nulli dubium est », neque tamen cum ipso et *S. Aug. S. Greg. Ol. Caiet. Pin. Sanct. Cord.* regio aeternarum poenarum intelligi potest, quia *hanc* certe Iobus non pro se exspectat; quare generatim *Hades* (*Did.*), Scheol, exponi debet, vel, uti *S. Thom.* ait: « describit infernum communiter et quantum ad bonos et quantum ad malos ». Et recte *limbum* (*Malv.*) terram caliginis vocat, cum vita utilis, proficua, Dei favores novos in dies recipiens ibi iam non luceat (cf. quae annotavi ad Is. 38, 11 et 18) ; ibi enim revera ingruit nox, in qua

---

1. Ita secundum *Qeri,* quod veterum interpretum et multorum codicum auctoritas (cf. apud de Rossi) tuetur. *Kethib* verte : desistat, cesset a me.

2. Haec enim omnia ex usu loquendi facile ad verbum שׁית supplentur (cf. *Ros. Del.*); alii *exercitus* ex v. 17 subintelligunt (cf. *Malv.* V); alii *virgam* ex 9, 34, quae virga tamen longius repeti videtur.

Quod *vulg.* praebet *ut plangam paululum dolorem meum* non est ita aptum ad sensum, uti hebr. *et respirem tantisper* (cf. *Pin. Vav. Cord. Mar. Malv. Calm.* et supra 9, 27), quocum LXX et *vet. lat.* « patere me, ut requiescam pusillum » et *Syr.* et *Chald.* consentiunt.

S. Hier. exprimit in versione sua Kethib יחדל, idque (uti accentus quoque indicant) ad membrum antecedens refert; *Chald.* legisse videtur adi. הדל, habet enim « nonne veloces sunt dies mei et deficientes »; *Syrus* potius חלד vertere videtur, cum habeat « pauci sunt dies *vitae* meae, desiste a me et quiescam et respirabo paululum ». Idem LXX ἢ οὐκ ὀλίγος ἐστὶν ὁ χρόνος τοῦ βίου μου; Qeri יחדל commendatur phrasi simili 7, 16, et maiore emphasi, quae in parvis illis incisis et in concitata oratione cernitur.

3. Cf. *Malv.* et partim *Cod. Mar.* — ותפע i. e. terra splendet sicut caligo, uti supplent *Hirz. Del. Zsch.;* alii generatim *illucescit;* sensus idem est, quasi dicat : tota eius terrae claritas et splendor non est nisi densissima caligo.

nemo operari potest, ibi nulla est, cum promiscue omnes ibi colligantur, distinctio ordinum, dignitatum, statuum (cf. 3, 17 — 19; ita *Mar. Malv.*), vel potius, tenebris cum omnia operta sint, nihil ordinis et dispositionis iucundae cernitur; hoc fere innuit *Ol.*, hoc LXX et *vet. lat.* dicere videntur: « ubi non est lux, nec est videre vitam hominum ». Demum omnia complectens non sine acerba quadam ironia concludit dicens unam lucem ibi esse ipsam caliginem[1]; *vulg.* liberius: *sempiternus horror inhabitat.*

III. DISCEPTATIO CUM SOPHAR. Cap. 11-14.

1. SERMO A SOPHAR HABITUS. CAP. 11.

Arg. — Ceteris vehementius Sophar contra Iobum decertat eum loquacitatis et animi insolentis arguens, quia suam coram Deo innocentiam asseruisset, cum tamen Deus nitius cum ipso agat quam delictorum gravitas mereatur (v. 1-6). Quod ut verum esse probet, Dei sapientiam inscrutabilem, immensam proponit, cui aequalis praesto potentia sit; huic autem neminem sese opponere affirmat, nisi qui sit bruti instar stolidus (v. 7-12). Quod si vero Iobus resipiscat, summam ei pollicetur felicitatem, quam multis exaggerat et impiorum sorte breviter proposita illustriorem reddit (v. 13-20). Quam maxime Sophar offenditur eo, quod Iobus innocentem se dixerit; quare amicorum accusationem longe superans, cum minores poenas quam meritus sit dare contendit, qua acerba criminatione Iobi animus magis magisque irritetur oportet. Hac in re disceptationis quidam progressus psychologicus facile deprehenditur. Ceterum in asserenda Dei *sapientia* et *potentia* idem agit, quod Baldad pro Dei *iustitia* praestiterat (8, 1-7); spem autem resipiscenti ostendit simili modo quo ceteri interlocutores (8, 20-22; 5, 17-27).

a) Iobum pati minora quam mereatur 11, 1-6.

Sophar ira concitatus verba contumeliosa in Iobum congerit, ita eius patientiam novo tentamine exercens. Qua re sacer auctor duo in carmine assequitur: mores interlocutoris nobis ad vivum depingit Iobique probationem continua quadam serie crescentem delineat,

---

1. Membrum hoc adeo emphaticum *B.* e textu eiicit. *Houbig.* legi vult תעף *tenebrescit*; *Chald.* quoque תפע non per *splendorem*, sed per tenebras exprimit. Fortasse forma ad verbum chald. נפע erit referenda.

unde carmen suum et personarum varia indole descripta et Iobi tentatione magis aucta distinguit.

Prima statim verba egregie animum exprimunt impotentem v. 2 « *Numquid qui multa loquitur non et audiet* »? — textus hebr. propter brevia verba et acrius sonat et magis concinne : *num multiloquio*[1] *non respondebitur* (cf. *Mar. Malv.*)? qui abstractus loquendi modus et maiorem prae se fert contemptum animique indignationem et grata varietate commendatur ; ita primo *res* a Iobo prolatas inanem esse verborum sine sensu cumulum conviciatur, et altero membro ipsum loquentem contumeliose designat « *aut vir verbosus iustificabitur* »? — i. e. causam evincet, quasi satis sit ex Iobi mente verborum strepitum profundere, ut quis superior evadat. Hebr. *vir labiorum*, cf. Eccl. 10,11 i. e. loquax, garrulus, *vir verbosus*, uti optime *S. Hier.* Bene *Cod* : « minimum abest, quin illum rabulam et sannionem habeat » ; praeterea loquacitas non modo non ostendit insontem, sed potius suspectum reddit criminis (*Vav.*).

Porro Sophar auget criminationem Iobum arrogantiae et insolentiae accusans v. 3 « *tibi soli tacebunt homines* »? — Hebr. בַּדֶּיךָ[2] = *num nugae tuae viros tacere facient?* i. e. iis qui vere viri sunt silentium imponent (cf. *Pin. Cod. Cord. Vav. Mar. Malv. Calm.*), vel *iactationes tuae* ; cf. Is. 16, 6. Ier. 48, 30 ; 50, 36[3].

Insinuat Sophar, Iobum vana iactantia usum mirum in modum suis sibi argumentis complacere omniumque ora occlusisse sibi videri ; deinde irrisionis eum insimulat « *et cum ceteros irriseris, a nullo confutaberis* »? — sensum notavit interpres. Hebr. *et subsannabis et non est pudore* (te) *suffundens* i. e. et tu irridebis ita, ut nemo te pudefaciat, te compescat et confutet ludibria tua (cf. *Pin. Mar. Malv.*) ; *ceteros* supplevit *vulg.*, at ex v. 4 liquet, potius de irrisione quam *Deo* impegisset, Iobum accusari ; amici tamen eo sensu possunt comprehendi, quia ipsi Dei causam tueri volunt et Iobum simul cum Deo impietatis arguere sibi videntur, unde irrisio quam Deo inferre Iobus dicitur in amicos redundat.

Iam pandit Sophar, quid praecipue ipsius bilem commoverit v. 4 « *dixisti enim : purus est sermo meus* » ; — hebr. לִקְחִי doctrina, i. e. quae statuo de Deo, de divina providentia, de iustorum aerumnis, de

---

1. Ita Prov. 10, 19. Eccl. 5, 2 phrasis hebr. accipitur et hoc loco a recentioribus etiam merito explicatur. Verum est, LXX, *Hier. Chald. Sym.* (ὁ πολυλάλος apud *Ol.*) quibus *Cod. Ros.* assentiuntur, רב adiectivi in modum interpretari ; at *Syrus* abstractum reddidit.

2. Videtur *S. Hier.* vel legisse vel explicasse לְבַדֶּיךָ ; cf. Ex. 18, 14 et praesertim Ps. 50, 6.

3. Quo loco S. Hier. *divinos tuos* i. e. mendaces vel vana iactantes vertit.

impiorum felicitate clara sunt et lucida et sine ulla mendacii labe (*Pin.*), proinde totam suam cogitandi iudicandique normam ad boni verique regulam esse exactam asserit; huic *theoriae* accedit *vita* irreprehensibilis « *et mundus sum in conspectu tuo* »; — i. e. Deo teste et iudice, Deo bene conscio (*Pin.*); ei perspecta est mea morum integritas et nihilominus me affligit. Durius sane de istis Sophar verbis *exp. in.*: « ergo calumniatoris haec verba sunt, non veritatem et iustitiam prosequentis » (sim. *S. Greg. Rup.*); bene vero *S. Thom.*: « hoc Iob expresse non dixerat, sed ex verbis eius accipere volebat; quia disputaverat, se non propter peccatum punitum, vel ex eo quod dixerat: *scias quia nihil impium fecerim* » (10, 7; sim. *Phil. Pin.*). Sophar enim, qui in eadem est cum amicis sententia de calamitatum causa, aegerrime fert hanc causam in sceleribus a Iobo non agnosci; quare, ut est acriter disputantium, ad veram Iobi mentem, qua integerrimam quandam sanctitatem in se negans varios confessus erat naevos (9, 2. 31), non advertit. Unde *Ol.*: « quasi purum se et inculpatum dixisset, vituperat; cumque non animadverteret, quo animi affectu cum Deo iudicio contendere vellet, subiungit »: v. 5 « *atque utinam Deus loqueretur tecum et aperiret labia sua tibi* »! — animi est vehementer commoti, statim abiecta omni spe humanae persuasionis Deum appellare, ut ipse ad Iobum refutandum in arenam descendat, ut *aperiat labia sua contra te* (hebr.). Bene *S. Thom.*: « hoc videtur in sugillationem Iob dicere, quia dixerat: *indica mihi, cur me ita iudices* ». Iobum vero ait refutatum iri satis superque per divinam sapientiam v. 6 « *ut ostenderet tibi secreta sapientiae* »; — hanc profundam et absconditam sapientiam accuratius delineat addens in hebr. *quia duplicia ad intelligentiam* (cf. 5, 12; 6, 13) i. e. secreta illa prudentia, consilio, veritate (vera proin essentia et subsistentia — cf. *Pin. Malv.*) longe lateque omnia humana superant. Unde LXX et vet. lat. sensum bene exprimunt: « et doceat te virtutem sapientiae quia duplex erit super te » ὅτι διπλοῦς ἔσται τῶν κατὰ σέ; id quod *Ol.* explanat: « Dei excellentia longe maior est, qui sicut tu, sapientem se esse et iustum gloriatur; si igitur nobis sapientior et iustior est, sapienter et iuste de te supplicium sumpsit ». Rationem quidem veram allegat Sophar, ex Dei sapientia repetendam esse causam malorum Iobi, eam tamen perperam ad id valere opinatur, ut Iobi peccata fiant manifesta. Textus lat. « *et quod multiplex esset lex eius* »; — eodem sensu intelligi potest i. e. sapientiae legem profunditate, ubertate excellere et ita omnem humanam intelligentiam longe vincere. Alii ita accommodant, ut propter *legem* Dei variam et plurima comprehendentem Iobus facilius de peccatis convinci dicatur (*S. Thom. Br. Vav. Cord.*); *Pin.* vero de varia gubernandi ratione intelligit, qua Iobus merito mitius a Deo ad-

hibeatur ; sed prior expositio est simplicior magisque ad verba et contextum apta, at textus hebr. vetat, quominus *legem* Dei multa exigentem immediate ipsis verbis exprimi dicamus, sed est ulterior quaedam illatio ex Dei sapientia consequens. Quodsi Iobus hac sapientiae luce, qua Sophar se censet edoctum, collustraretur, tunc Sophar iudice : « *et intelligeres quod multo minora exigaris ab eo, quam meretur iniquitas tua* » ; — sensum bene assecutus est *Hier.* Incipit hic apodosis ; in hebr. *et* (tunc) *scito, quod obliviscitur* (oblivioni dat)[1] *tibi Deus partem iniquitatis tuae* (cf. *Mar. Cod. Ros. Hirz. W. P. Del.* et similiter iam *Chald.*). Bene notat *S. Thom.* : « et in hoc videtur reprehendere quod Iob supra dixerat : *utinam appenderentur* » (6, 1).

b) Dei sapientiam et potentiam esse immensam 11, 7-12.

Iam Sophar latius prosequitur, quae modo de altissima Dei sapientia indicaverat, idque ea mente, ut efficiat, Iobum esse peccatorem ; posse enim Dei sapientiam, utpote immensam, ibi facile delicta agnoscere et pervidere, ubi hominem lateant ; Iobum igitur innocentiae suae assertione iniuriam irrogare sapientiae divinae. Conatur ergo Sophar hanc Dei sapientiam alte Iobi animo imprimere, ut fateri cogatur se peccasse ; aliam enim calamitatum causam posse exsistere ne suspicatur quidem. Quare indignabundus Iobum interrogat, quasi is culpa negata suam sapientiam Dei scientiae fere praetulisset v. 7 « *Forsitan vestigia Dei comprehendes* » ? — i. e. num vias, quibus Deus incedit, eius consilia providentiae et agendi modum assequi te posse opinaris ? Apte *Ol.* : « quae Dei, inquit, sunt, vires tuas excedunt nec illius providentiae rationes invenire aut consiliorum actionumve eius fines assequi potes ».

Haec autem impervia sunt, quia perfecta Dei cognitio homini non conceditur, « *et usque ad perfectum Omnipotentem reperies* » ? — i. e. num perfecte cognitione tua Omnipotentem assequeris ? Quamdiu enim cognitione adaequata non comprehenditur, adesse posse in ipso *secreta sapientiae* homo sibi facile persuadebit ; quare arguit Sophar, si *talis* Deus te peccatorem et scelestum ipsa re et factis declarat, quantae est audaciae ei non acquiescere ? Hebr. *num investigationem Dei invenies ?* i. e. id quod Deus investigat, proinde intimam ac pro-

---

1. יַשֶּׁה scil. a נָשָׁה oblivisci ; *hiph.* oblivioni committere, dare, uti infra 39, 17 ; haec derivatio commodior est, quam illa, cui alii subscribunt : *quod mutuat, foenerat, exactionem facit tibi de iniquitate tua* (cf. *Pin. Malv. Ros.*) ; huic affinis est versio LXX et *vet. lat.* : *et tunc scies, quia digne reddita sunt tibi a Deo pro eis quae peccasti*, et *Syrus.*

fundam Dei sapientiam (cf. *Malv. Cod. Ros. Hirz. W. Hitz. P.*); *num usque ad perfectionem Omnipotentis invenies?* scil. illam Dei investigationem et sapientiam etsi quis attingeret aliquo modo, nunquam tamen ea claritate et perfectione eam perspiceret, qua Deus[1].

Iam quantae sit perfectionis Dei scientia, prosequitur, quatuor velut enumerans dimensiones, quibus in immensum diffundatur ; est scil. maior quam omnia quae homo tamquam immensurabilia concipit. Ita incomprehensam et infinitam esse Dei scientiam adumbrat et rerum comparatione effert ; v. 8 « *excelsior coelo est; et quid facies* » ?— in hebr. per modum exclamationis et admirationis *altitudines coelorum*[2], *quid facies?* latens scil. est comparatio, quae in membris subiunctis explicite habetur; vel: sicut fieri nequit, ut quis coelorum fastigium attrectet, ita ne speret, se ad Dei perfectionem et sublimitatem perventurum; « *profundior inferno et unde cognosces* » ? — nervose, concise, brevibus membris sermo in hebr. incedit ; suppletur in hebr. תַּכְלִית perfectio scil. Dei, et ita in seq. v. 9 « *longior terra mensura eius et latior mari* » ; — bene *S. Aug.* : « non enim debes eum reprehendere, cuius opera non comprehendis » ; cum igitur infernum, terram, oceanum homo mente et oculis non possit penetrare (cf. Eccli. 1, 2), qua ratione summam Dei sapientiam se attingere speret ?

Simul cum hac sapientia Deus absoluta pollet *potentia*, quam impedire nemo potest ; unde *tali* obsistere plane est absurdum. Ita Iobi querelas terrore divino opprimere studet ; v. 10 « *si subverterit omnia vel in unum coarctaverit, quis contradicet ei* » ?—i. e. si mundi machinam evertat et omnia ad chaos, in rudem illam atque indigestam molem reducat, ex qua in initio mundum (κόσμον) formaverit, quis ei obsistat vel eum reprehendat ? Ita textum lat. *Rup. Br. Thom. Pin. Cord. Vav.* etc. intelligunt ; similiter etiam textum graecum[3] *Ol.;* ad diluvium fieri allusionem et ad Aegyptios in aquis mersos censet *exp. in.* Dei potentiam egregie delineat, sed talem, quae in iustitia vindicanda et in occultis quoque sceleribus puniendis emineat. Nam de Dei iudicio esse sermonem, quo subito puniat, praeter textum hebr. (de quo vide infra) etiam versus sequens *vulg.* omnino suadet

---

1. Verba hebr. *Del.* quem sequitur *Zsch.*, explicat *Wesen* et *Urgrund;* sed satis videtur arbitrarium « inquisitionem » explicare « intimam rei rationem », quia haec quam maxime sit inquirenda.

2. Textus *vulg.* magis est concinnus, cum membrum *utrumque* eadem ratione efferatur; unde *Houbig.* et *Kaulen* (Einleitung p. 237) textum hebr. secundum *vulg.* corrigendum esse censent. At textui hebr. suffragantur LXX, *Syrus,* textus quoque hexapl. et *Chald.* et exclamatio illa quae in textu hebr. adest bene delineat admirationis affectum, neque lex parallelismi ita urgeri potest, ut sublata varietate *grata* omnia membra ad eandem conformitatem *externam* redigantur.

3. ἐὰνδὲ καταστρέψῃ τὰ πάντα, τίς ἐρεῖ αὐτῷ· τί ἐποίησας;

v. 11 « *ipse enim novit hominum vanitatem et videns iniquitatem nonne considerat* »? — i. e. Deus ita punit, quia novit occultam etiam pravitatem et quia iniquitatem cernere aequo animo non potest. Interrogatione non sine emphasi et animi commotione ratio profertur, quam Sophar reddit, cur Deus occulta scelera puniat et cur quandoque florens hominis conditio subito ac funditus evertatur. Tali enim ruina cum Iobus conciderit, Sophar infert : Deus vidit iniquitatem occultam eamque horrenda illa castigatione manifestam reddidit et cognitam omnibus. Cum enim norit scelera quoque abscondita, num censendus est illa negligere? Absit ! ergo punit. Quae igitur erunt partes hominis *sensati*? Nonne Dei iudicio acquiescet? nonne solum *stultus* vir contra Deum eriget animum? Stulti partes et mores, quibus Iobum indirecte perstringit, iam describit v. 12 « *vir vanus in superbiam erigitur et tamquam pullum onagri se liberum natum putat* »; — i. e. hominis vecordis tantum et insani est, animum superbe obfirmare contra Deum, Deique frenum et iugum — castigationem iuste impositam — magna cum impatientia excutere in morem asini silvestris, qui iugi et servitutis impatiens lascivia et petulantia impotenti per silvas agrosque vagatur. Et addi potest cum *Men.* : « talis tu Iob videris, qui divinae punitionis iugum fers impatienter » (sim. *Pin. Cord.*); comparationem institutam illustrat *Ol.* : « asinum solitarium assumit διὰ τὸ ἀνυπότακτον, ut insinuet Iobum esse immorigerum et effrenatum (ἀνυπότακτον) in iis, quae ad Deum spectant ». — Eundem sensum refert textus hebr., de quo magna quidem adest explicationum varietas, quem tamen *S. Hier.* optime assecutus esse videtur (cf. *Caiet. Pin. Sanct.*).

Ad textum hebr. haec nota : v. 10 ad latinam interpretationem accommodare student *Pin. Cord. Malv. I.*: *si concidet et claudet et congregabit et quis respondebit ei* i. e. si everterit omnia vel concluserit omnia et congregaverit in unum locum, ut fiat rerum confusio et primitivum chaos, quis possit eum arguere? Suffragatur etiam textus gr. et *vet. lat.* : « quodsi everterit omnia [aut congregaverit] [1], quis dicet illi, quid fecisti »? Probabiliter verbum חָלַף in forma hiphilica acceperunt illi; in simplici enim, quam *Chald.* [2] et *Syrus* quoque exprimunt, *transeundi* notionem habet; סָגַר *includere*, in carcerem protrudere etc. (cf. Ex. 14, 3) dicit, קָהַל hiph. coetum aliquem vel populum convocare significat (cf. Num. 1, 18. Deut. 4, 10; 31, 28 etc.). Et cum praeterea v. 11 particula *quia* (*enim*) adiungatur, melius certe et ad ipsa verba quam maxime apte recentiores v. 10 de actione forensi, de subito Dei iudicio explanant, quo hominem scelestum inopinato deiiciat : *si trans-*

1. Hoc membrum apud LXX non legitur.
2. *Chald.* ita « si transierit et clauserit coelos nubibus et coegerit exercitus »; *Syrus* « si veniat et capiat et congreget ».

ierit (Deus subito) *et in vincula coniiciat et ad iudicium vocet, quis ei obloquetur?* Deus enim qua sapientissimus novit omnia et proin eum, quem impium esse omnes latet, subito poena percellit. Apte adnectitur v. 11, in cuius altero hemistichio simplicem negationem retinent sed sensum parumper inflectunt LXX e *vet. lat.* : *videns iniusta non negliget*. Textus hebr. habet *et non attendet*, id quod certe per interrogationem cum *Chald.* et *S. Hier.* legi potest. Minus apte aliqui (*Mar. Malv. Ros.*) supplent « et homo non attendit », cum hoc v. 12 demum dicatur; alii (cf. *Cord.*) explicant « videt iniquitatem et *eum qui* non intelligit » vel talem iniquitatem, quam homines non advertunt (*Hitz. Renan*), id quod propter primum versus membrum tautologiam continet; recentioribus (*Hirz. W. Del. Zsch. P.*) placet paraphrasis : videt iniquitatem, sed ita ut non opus habeat peculiari quadam attentione; sed et liberior est et *supplere* debet, quae ad sensum hunc eruendum praecipua sunt, neque ipse sensus satis aptus videtur; nam post tam sublimem Dei scientiae commendationem fere putidum videtur efferre, Deum non debere magna uti attentione et operoso studio. Quare interrogationis modus praeferendus est.

In v. 12 יִלָּבֵב denominativum est a לֵבָב (לֵב) *cor* in forma niphal, unde facillime fluit significatio *corde donari*, veluti *cordari* [1], *animari* (animo donari). Sed cum *cor* Hebraeis sit quasi sedes vitae et operationum intellectus atque voluntatis omniumque affectuum veluti organum, dispiciendum est, ad quid speciatim referatur. Retulit S. *Hier.* ad *superbiam;* idque et voci ipsi congruit (cf. Is. 9, 9 in superbia et magnitudine cordis; Ez. 28, 5 elevatum est cor tuum in robore tuo) neque minus ad contextum est accommodatum [2]; dicit enim hac expositione Sophar, hominem *cavum* i. e. vecordem, sensu et intelligentia carentem in Dei iudicio et castigatione *corde inflari* i. e. spiritus truculentos, superbos, contumaces, feroces assumere, id quod verum est et sane bonum prae se fert hoc loco sensum. Simile quid altero membro exprimitur *pullus onager homo gignitur* vel fit, i. e. calamitate immissa homo talis non eruditur, sed fit quasi onager, in effrenatam quandam et indomitam contra Deum saeviendi licentiam protrudi se sinit. Ita *pullus onager* attribuitur tamquam praedicatum, ut grammatici loquuntur, et magis auget et declarat τὸ יִלָּבֵב, cui proxime adiungitur. Bene *Pin.* :« superbit (inquit) homo et iugum detrectat, onus repellit, *vocem exactoris* audire recusat, tractari domarique renuit, virgam non patitur; ut alludat ad id quod Iob cap. 9 dixerat : *auferat a me virgam suam* ».

Haec interpretatio eo etiam commendatur, quod optimam praebet oppositionem ad v. 13, quod intimo et vero nexu cohaeret cum v. 11 et occultam Iobi reprehensionem et sugillationem continet (cf. *W.*).

Inter varias aliorum interpretationes hae paucis sunt indicandae et diiudicandae : *a*) sunt, qui ילבב sensu privativo explicant *cor tollere*, *sapientia carere* (*Cod. apud Malv. Ros. Ges. in Thes. Olshausen*) ; sed tale niphal *privativum* sine ullo exemplo, immo sine analogia ulla asseritur; sensus inde consequens : « at homo vecors est et manet sine intelligentia, et est stolidus et contumax a teneris annis » utique facile ad contextum adaptari potest;

---

1. Cf. זָכָר mas, masculus; niphal = masculus natus est Ex. 34, 19.

2. Ita vocem etiam *Sym.* accepisse videtur; habet enim διαχενῆς θρασύνεται.

frustra enim talis Dei castigatione eruditur, doctrinam non suscipit, obfirmatur in obstinatione. Haec enim explicatio (et non mera naturae hominis oppositio, qua sit stultus et insipiens, ad v. 8. 9) et v. 11 postulatur et usu temporis imperfecti suadetur. *b*) Alii sensu bono versum accipiunt, i. e. quasi id enuntietur quod fieri debeat iudicio Dei ingruente : ipse homo vecors tum demum sapiens et cordatus effici censendus est et sapientiam nanciscetur Deo institutore quamvis velut iumentum nasci soleat, vel homo rudis ad meliorem frugem eruditur (cf. *Vat. Mar. Malv.* II et III. *Ewald. Zsch. Le Hir*). At difficile videtur exponi posse, cur Sophar de tali calamitatum successu sermonem inducat, cum plane contrarium in Iobo accuset, neque haec explicatio satis cum sequenti v. cohaeret ; si enim calamitas talem fert ex sese fructum, cur illa admonitio? *Onager fit homo* forte proverbium erat, quod in priore explicatione ad hominem trucem et ferocem describendum adhibetur. *c*) Alii ו *et* comparationis particulam explicant : homo insipiens non fiet cordatus, sicut nunquam onager ad hominis formam et indolem regeneretur et reformetur (*Oehler, Del.*). Verum est ו *et* posse quandoque ita accipi v. g. 5, 7; 12, 11 ; sed si Sophar tanta cum emphasi stulti hominis resipiscentiam negat, quomodo Iobum mox adhortatur ad resipiscentiam, quem tamen *insipientiae* accusavit (11, 2. 3)? Praeterea comparatio haec videtur esse nimis quaesita, affectata, neque cernitur ulla in contextu ratio, cur Sophar censendus sit velle prorsus negare, stultum unquam resipiscere posse. *d*) Sensu prorsus contrario explicat *Hitz.* hominem etiam stultum fieri posse sapientem, et contumacem evadere posse docilem ; esse scil. id proverbii loco dictum, quo Sophar de nullius hominis resipiscentia esse conclamandum et desperandum asserens rationem reddat, cur in subsequentibus Iobum admonitionibus erudiat. At *arctior* est nexus ad antecedentia in explicatione *S. Hier.*

c) Iobo resipiscenti optima quaeque adfore 11, 13-20.

Post acrem reprehensionem (v. 12) Sophar mitiore utens sermone Iobo spem ostendit, si velit resipiscere, uti alii interlocutores 5, 17 et s. 8, 20 et s. Et primo quidem ex textu hebr. et gr. et vet. lat. v. 13 et 14 conditiones exponit, Iobumque edocet quid iam agere debeat : *si tu praeparaveris* (vel pacatum reddideris) *cor tuum et expanderis ad eum manus tuas* (*si iniquitas est in manu tua, remove eam et non habitet in tabernaculo tuo nequitia*) *tunc levabis vultum tuum...* Ita in hebr. ; exponit Sophar, alludens certe ad יכין לבב v. 12, qua ratione Iobus *cordatus* esse debeat vel uti suo *corde* in afflictionibus, non ad ferocem tumorem, sed ut dirigat, disponat, ordinet illud *ad eum* scil. Deum supplicatione et humili deprecatione, quam externe etiam prodat supplicantium gestu atque habitu ; precum autem sinceritatem *opere* comprobet ; id quod per parenthesin quasi proponitur ; si qua bona iniuste possideat vel aliud scelus adhuc manus eius maculet, propellat omne malum neque permittat ullam perversitatem secum

cohabitare; quod si praestiterit, iam cum laetitia et fiducia vultum poterit attollere (cf. *Vav. Mar. Malv. Calm. W. Le Hir*). Eodem fere modo LXX et *vet. lat.* : « si enim tu mundum posuisti cor tuum et extendes ad eum manus tuas — si iniquum quid est in manu tua, longe facito illud a te, et iniquitas in domo tua non maneat — sic enim fulgebit facies tua ». In eundem fere sensum potest et sane debet etiam explicari textus *vulg.* v. 13 « *Tu autem firmasti cor tuum, et expandisti ad eum manus tuas* » ; — i. e. tu vero in afflictione tua praeter querelas etiam in id cor tuum direxisti et firmasti, ut ad Deum manus supplices extenderes ; ita sensu bono v. potest intelligi, ut Sophar alludat ad Iobi supplicationem querelis intermixtam (9, 15 ; 10, 2. 9. 20); quae explicatio propius accedit ad textus originalis sensum (cf. *Pin.*) ; v. 14 dein subiungit conditionem, quam addere debeat suae ad Deum postulationi « *si iniquitatem quae est in manu tua, abstuleris a te et non manserit in tabernaculo tuo iniustitia* [1], v. 15 *tunc levare poteris faciem tuam absque macula* » ; — primum [2] *fiduciam* depingit et firmam quandam securitatem, qua ille, qui abstulerit iniquitatem, mentem et oculos ad Deum potest attollere et erecto vultu, aperta facie (cf. 10, 15) vitam degere, dum mala conscientia vultum oculosque in terram deprimit. Alterum fructum imperturbatae ac stabilis prosperitatis subdit « *et eris stabilis et non timebis* » ; significanter in hebr. מֻצָק i. e. solidus, compactus, fixus quasi aes fusum vel ex aere fusus (cf. *Cod. Malv.*), ita immobilis in felicitate, sine ullo timore, ne denuo a Deo deiiciatur gradu (cf. *S. Thom. Pin.*). Tantus dein erit praesentis laetitiae et prosperitatis sensus, ut vel ipsa aerumnarum recordatio penitus obliteretur v. 16 « *miseriae quoque oblivisceris* » ; — vel si animum subeat, simul cum laetitia memor erit, illius molestiae iam nullum exstare vestigium, illam iam non posse reverti « *et quasi aquarum, quae praeterierunt, recordaberis* » ; — aquae enim praeterlapsae iam non revertuntur, nullum vestigium flumini imprimunt. Bene *Vav.* : « aut si recordetur, recordaturum tamquam aquae quae effluxerit; quod ad ipsum nil attinet, nihilque attinuit » (sim. *Caiet. Pin. Malv. Mar. Men. Del. Zsch. P.*). Alio parumper similitudinem inflectit *Cord.* : « ut non am-

---

1. Longius ab originali recedunt latini plerique exponentes : tu autem in tua impoenitentia obstinatus es et impatiens ad flagella et tamen Deum oras — quid mirum, si non audiris (cf. *Phil. exp. in. Greg. Thom. Cord. Vav. Men. Tir.*); dein verum docet Sophar et salutarem orandi modum. In hac expositione illud *tu autem* textus lat. non placet, quia non haberetur oppositio ad v. 12 sed eiusdem reprehensionis continuatio. Unde illud *autem* priorem explanationem nobis commendare certo videtur.

2. Apodosis incipit cum emphasi in hebr. *sane tunc;* cf. 8, 6; ut nos dicimus *ja dann* (cf. *W. Del. Zsch. P.*).

plius superioris miseriae recorderis quam aquae quae in flumine defluxit, in cuius locum longe maior aquarum abundantia successit ». Alii *aquas* metaphoram calamitatum, pluvias et tempestates (*Grey. Rup. Thom.*) malunt intelligere, quarum recordatio, si feliciter ac fortiter transactae fuerint, grata est « sicut grata est post tempestatem tranquillitas » (*Ol.*), « iuvat enim meminisse praeteritarum aerumnarum » (*Cod.*).

Iam tertio ipsam prosperitatem quanta futura sit delineat usitata lucis et splendoris metaphora, et quidem in hebr. *et prae meridie exsurget tempus vitae* i. e. reliquum vitae tempus fulgebit tibi serenius quam meridies; lucem et splendorem in summo claritatis gradu notat, ut felicitatis fastigium exhibeat (cf. *Malv. Mar. Cord.*). Particulam gradationis בן LXX et *vet. lat.* aliter vertunt : « a meridiano ἐκ δὲ μεσημβρίας orietur tibi vita » et *S. Hier.* particulam aequiparationis exprimit v. 17 « *et quasi meridianus fulgor consurget tibi ad vesperam* » ; — i. e. quod reliquum est vitae tuae (*vespera* vitae tuae) erit splendidissimum ac felicissimum (*Pin.*) ; aliter *vesperam Cord* : « inclinata iam aetate tua et calamitatum ac miseriarum aestu elapso veluti ad vesperum apparebit tibi lux » (sim. *Tir.*) ; aliter *Men.* : « cum tibi adesse crediderís ultimum diem, tunc lux meridiana felicitatis affulgebit » ; sed prima explanatio, utpote quam maxima obvia et simplex, praeplacet [1].

Addit ad hanc felicitatem, illam fore perennem et stabilem, etsi calamitates videantur minaciter ingruere ; unde metaphorice effert, quod supra dixerat *et non timebis* idque in textu lat. « *et cum te consumptum putaveris, orieris ut lucifer* » ; — i. e. ex ipso periculo splendidior quasi sidus matutinum fulgens evades ; vel ut *Cord.* habet : « cum advenisse tibi putes extremum diem, tunc experieris affulsisse vitae quasi primum incuntis iucunda primordia ».

Idem sensus in hebr., in quo tantum de forma תְּעֻפָּה quaeri potest. Uti puncta adsunt, verbalis forma sit necesse est imperfecti temporis cum ה paragogico et quidem vel *obtenebresces*, *obscuraberis*, i. e. si quando obtenebresces, *tamquam mane eris* (cf. *Malv. Pin. Mar. Ros. Hirz.* — et ita *S. Hier.* videtur intellexisse), vel quod *Del.* vult *etsi obscurum sit* [2], *ut mane erit*.

Alii vocem tamquam substantivum vertunt : ipsa obscuratio erit sicut lux ma-

---

1. Vocem חֶלֶד hoc tantum loco *vulg.* ita vertit ; aliis in locis *substantia* Ps. 38, 6 ; 88, 48 ; *orbis* Ps. 48, 2 ; *terra* Ps. 16, 14 ; dum *S. Hier.* in sua Psalmorum translatione primo loco *vitam*, altero *de profundo*, tertio *occidentem* (?) vel *orbem*, quarto iterum *in profundo* posuit ; vera eius notio est tempus, aevum, saeculum.

2. 3. pers. fem. cum ה parag. *mag es finster sein* et citat Ps. 20, 4. Is. 5, 19. — Ex sensu explicato elucet, non opus esse, ut hoc membrum cum *B.* priore loco ponatur.

tutina (cf. *Cod. W. Zsch. Hitz. B.* et iam apud *Malv.*), sed tum certe תִּעָפֶה vel תְּעוּפָה legi debet, uti legisse videntur *Chald.* et *Syrus*, qui nomen substantivum h. l. exprimunt; et ita legunt aliqui codd. et *Houbig.*

Haec felicitas porro firmum in animo gignet securitatis et fiduciae sensum, expertem timoris et perturbationis; proinde intime illam gustabit eaque fruetur. Ita v. 18 « *et habebis fiduciam, proposita tibi spe* »; — vel hebr. *et confides, quia est spes* i. e. securus eris et spes illa firma, cui securitatis sensus innititur, nunquam deficiet. Haec fiducia et animi serenitas ita est stabilis, ut ex ipso opprobrii periculo emergat. Id altero membro proponit, uti versu praecedenti fecerat. Ita duo hi versus symmetria constructionis efferuntur et mentione facta nullum ingruens periculum illam felicitatis conditionem posse imminuere, rem praeclare illustrant. Et in hebr. quidem (etsi) *confundaris, secure quiesces;* vel cum tempus *perfectum* habeatur, fortasse relicta illa cum v. 17 symmetria : etsi nunc sis pudefactus (*Le Hir*), tamen plane huius opprobrii oblitus secure ac placide quiete frueris, uti v. 16 calamitatum oblivionem depinxerat. Verbum חָפַר *erubuit* satis frequenter occurrit et hoc significatu etiam a *S. Hier.* multis in locis exprimitur, uti supra 6, 20; et Is. 1, 29; 24, 23; 33, 9; 54, 4. Ier. 15, 9; 50, 12. Mich. 3, 7. Prov. 13, 5 etc. At in nostro loco accepisse videtur ut *Chald.* qui vertit : « et praeparabis domum sepulturae », et a verbo חָפַר fodere derivasse, unde « *et defossus securus dormies* »; — quae verba vix aliter quam de sepulchro intelligi possunt : etiam post mortem quies tibi erit (cf. *Phil. S. Thom. Mar. Men. Tir. Sa* et quos affert *Pin.* : *Lyr. Dionysium, Titelm.*). Alii aliter [1]; ita *Vav.* : domi abditus secure ages; vel quasi vallo fossaque munitus secure ages (apud *Pin.*). LXX illam erubescendi notionem videntur ob oculos habuisse, cum liberius vertant ἐκ δὲ μερίμνης καὶ φροντίδος ἀναφανεῖταί σοι εἰρήνη, quod *vet. lat.* exprimit : « pro sollicitudinibus et curis apparebit tibi pax ».

---

1. Legunt aliqui etiam *defessus;* ita certe explicat *Br.;* et huius lectionis meminit *Vav. Mar.* Alii hebr. vertunt *fodisti* (cf. *Pin. Mar. Malv.*), idque varie conantur declarare : vel circa tabernaculum tuum fossam cavabis, qua hostibus aditus intercluditur; vel tu et agricolae tui poterunt secure colere terram, fodere, arare nullo metu praedonum; vel fodere nomadibus est figere tentorium et metari (*Cod.*), proin ubicumque fixeris tentorium, secure ages; vel sufficit, ut fodias, i. e. ut linea tantum circumducta res tuas protegas, nullo opus est vallo, ne quis in rem tuam pedem immittat; vel fodisti scil. *puteos;* vel metaphorice de labore et studio impenso (cf. apud *Pin. Mar. Malv.*). Neque desunt, qui voci חפר *perscrutandi* notionem attribuant hoc loco; iam *Malv.* allegat Ios. 2, 2, et ita *Hirz.* (cf. infra 39, 29) et *Del. Hitz. Renan* i. e. si perscrutatus fueris res tuas, secure cubabis, quia omnia optime sunt composita. — *Syrus* tantummodo habet : et dormies et requiesces.

Dulcem hanc quietem, cuius descriptio et spes Iobo afflicto non potest esse non exoptatissima et quae proinde ad eius animum commovendum prorsus est apta, ulterius exaggerat v. 19 « *requiesces et non erit qui te exterreat* »; — in hebr. *accubabis* verbo pastoritio de grege placide accubante ; neminem fore qui quietem et pacem audeat vel possit perturbare, iure inter bona maxima adnumeratur (cf. Lev. 26, 6. *Vav.*). Demum ad felicitatis culmen accedit, quod omnes illum honore prosequentur eiusque favorem et gratiam avide expetent ; ita scil. felicitatis quam promittit Sophar imaginem blandam absolvit « *et deprecabuntur faciem tuam plurimi* » ; — in hebr. proprie *et demulcebunt faciem tuam multi*, i. e. et numero multi et dignitate insignes (*Malv. Vav.*).

Hisce propositis Iobum invitat et allicit, ut scelera eluat et removeat. Et certe efficaciter et ad persuadendum apte hanc felicitatis certo secuturae descriptionem exhibuit. Concludit magna arte psychologica a contrario, uti Baldad 8, 22, additis minis et exitio proposito, si Iobus renuat. Unde triplici modo impiorum perniciem describit v. 20 « *oculi autem impiorum deficient* » ; — i. e. non modo nihil boni videbunt, sed tabescent misere, vana exspectatione consumpti ; luminibus exstinctis nulla iam adesse significatur facultas et copia bonis fruendi. Bene iungit *S. Thom.* : « uti bona desiderata non adipiscuntur, ita etiam mala, quae patiuntur vel timent, vitare non possunt ; unde sequitur » : « *et effugium peribit ab eis* » ; — i. e. nulla adest evadendi copia, nullus refugii locus, respirationis opportunitas nulla.

Quare demum tota illorum spes in id recidit, ut animam efflent ; ita in hebr. *et spes eorum est exhalatio animae* (cf. *Cod. Malv. Vav. W. Le Hir*) i. e. nihil iis superest quam interitus, mors, et in tantam malorum tempestatem devenient, ut vehementissimis suspiriis tamquam unicam rem exoptabilem mortem, animae efflationem appetant ; ita quoque LXX [1] et *vet. lat.* « spes enim eorum est perditio animae ». Simul Sophar acerbe perstringit Iobi desiderium, quo toties iam mortis quietem exoptavit, innuens, tale desiderium certissimum esse consummatae nequitiae indicium, quia ex Sophar doctrina in tam desperatam conditionem non delabantur nisi *impii*, iique soli omnem spem in una morte collocare debeant. Bene etiam *Cord.* notat, caput hoc pulchra antithesi concludi. Textus lat. « *et spes illorum abominatio animae* » ; — ita commode accipi potest, ut *abominatio* [2] *animae* dicatur

1. ἡ γὰρ ἐλπὶς αὐτῶν ἀπώλεια, ita textus hexapl., ita edidit Tischendorf ex cod. Vaticano; alia lectio habet ex cod. Alexandrino ἀπολεῖται.

2. Ita abominatio = Greuel, Scheusal ; cf. Is. 1, 13 incensum abominatio est mihi, et saepe *abominationem facere* in *vulg.* et alia v. g. Ex. 8, 26. Lev. 18, 22. Deut. 13, 14 ; 17, 1 ; 18, 9 ; 29, 17.

id quod anima abominatur, exhorret, omni vi naturaliter refugit; sensus dein non sine emphasi habetur idem : in id tandem devenient, ut, quae alias anima abominatur, iam totam illorum spem constituant, scil. mors, interitus, exstinctio.

Alii dolorem, tristitiam, afflictionem interpretantur (cf. *Mar. Pin.*), melius *Sa* et *Men.* : « vulgatae sententia esse videtur : tandem spes illorum recident in rem odiosissimam ».

Quae Sophar de Dei sapientia disseruit, praeclara sunt et praeclare dicta; item quae de Deo vindice, cui nemo resistere possit; verum quoque est, stolidum tantum hominem castigatione Dei agi in furorem. Sed cum in eodem versetur errore, poenas scil. temporales huius vitae et praemia *ad amussim semper* rependi vitiis et virtutibus, tota eius oratio non ad Iobum consolandum sed irritandum facta est, ita ut, quae ceteroquin vere dicuntur de Dei sapientia, tantum eius animum exulcerent, pungant, quia ex illis Iobi culpam adesse debere evincere vult. Eidem opinioni falsae tota felicitatis futurae promissio innititur, quare et ipsa et conditiones praeviae et ipsa ad humiliter Deo supplicandum adhortatio, utpote ex tali animi sententia profecta, non possunt non vulnerare Iobi animum. Quamvis enim nullam amici proferre possint sceleris accusationem et ipse sollemniter suam innocentiam professus sit saepius, tamen homo scelestissimus ab amicis declaratur, qui immo minores rependat poenas quam meritus sit, cui nihil aliud consolationis proponi queat, quam ut aut improbum se fateatur reluctante conscientia, aut misere tamquam impius pereat. Adde, quod Iobus dirissimis praeterea corporis cruciatibus vexatur, et suspicari poteris, quantis calamitatum et tentationum tempestatibus iactari censendus sit. Nullum miserentis animi signum, nullum verbum suave ab amicis prolatum animi eius et corporis dolorem et moerorem lenit; vulneribus addunt vulnera, idque quod Iobus certissime scit se experiri, scil. etiam innocentem affligi a Deo, tamquam rem plane absurdam, quae nullo pacto neque fieri neque cogitari possit, ne ulla quidem consideratione dignam penitus a se abiiciunt et superbe fastidiunt. Iam quid eiusmodi consolatoribus molestius?

Nos vero, prologi veraeque rerum conditionis conscii, non sine animorum quadam voluptate in utramque partem disputantium conatus prosequimur.

2. RESPONSIO A IOBO DATA CAP. 12 — 14.

Arg. — Iobus primo ironice amicorum sapientiam irridet, qua eum in nulla re ipsis inferiorem edocere velint, et conqueritur, quod

ab iis ludibrio habeatur communi miserorum sorte (12,1-5). Hoc prooemio praemisso contra amicorum assertionem affirmat, *sontes etiam et impios prospere agere* ; idque adeo notum esse et obvium, ut omnia quae creata exsistunt huic rei testimonium ferre possint et quisque fateri debeat, talia fieri ab Omnipotente (12,6-10). Quare veterum sapientium dicta (quae contrarium asserere videantur) non sine examine et iudicio ait esse suscipienda; etsi illis insit sapientia, tamen Dei sapientissimi agendi modum multo magis valere ad nostram eruditionem (12, 11-13); eum vero talem esse, ut pro sua potentia in omni humano ordine et conditione evenire permittat bona et mala, prospera et infelicia, quae tamen nullatenus ad virtutum praemium vel ad scelerum punitionem referri possint. Talia accidere, multis exemplis probat Iobus, quae et vidisse se et perpendisse asserit (12, 14-13,2). Quare cum hac probatione assertio amicorum prostrata iaceat, iam vehementius in eos invehitur, qui mendacio, iniquitate et iniustitia Dei causam agere velint et defendere eam sibi videantur; tales causidicos et defensores Deus certe et abiiciet et pudore suffundet, cum eorum argumenta inania prorsus sint (13, 3-12).

Interlocutoribus ita reiectis et devictis Iobus denuo spiritus audaces assumens innocentiam suam magna vi profitetur, eamque paratus est tueri coram Dei tribunali, conscius se rem evicturum, dummodo Deus eum non plagis et terrore ita obruat, ut animi sui viribus destituatur (13, 13-21). Quare certamen hoc, quod adeo expetit, interrogationibus ad Deum factis quasi praeoccupans instituere quantum ex se est, aggreditur; sed cum Deus ei non reddat rationem, denuo debilitate sua et malorum impetu enumeratis Deum ad miserationem flectere conatur (13, 22-28). Quam misericordiam quo efficacius imploret, Deo iterum ob oculos ponit hominis vitam brevem, miseriis obseptam, culpis ab origine immunda obnoxiam, arctis limitibus circumscriptam; quare Deus parcat (14, 1-6)! Idque eo magis, quia hac vita semel elapsa homo ad aliam vitam terrestrem, qua Dei benignitate et gratia frui possit, non revertatur (14, 7-12). Utique, pergit, si conderetur in limbo, donec furor Dei in eum deferbuerit et tunc ad vitam hanc rediret sanus et integer, posset interea patienter redintegrationem suam exspectare et favoris Dei denuo acquirendi spe se consolari ; at nunc plenam in se experitur Dei severitatem (14, 13-17) et sicut fortissima quaeque dilabi cernit, ita omnem humanam spem penitus exstingui sibi fateri debet. Homo enim perpetuis malis obnoxius tandem talem vitae exitum sortitur, ut caro corruptione consumatur, anima vero moestitia et ignorantia tabescat. Ad id tandem spes recidit humana (14, 18-22).

In hoc sermone haec praecipue notanda sunt :

1) Argumentum, quod supra iam tetigerat 9, 22-24, nunc uberius proponit, et ita amicorum doctrinam de malorum causa falso inniti fundamento, evinci ipso rerum usu et experientia docet; — 2) crescit Iobi in molestos consolatores ira, uti elucet ex sermonis exordio 12,2 et praesertim ex illorum reprehensione, quam Iobus argumento suo exposito et propugnato subdit (13, 3-12); — 3) profitetur quidem strenue suam innocentiam, ut antea, eamque coram Deo iudice se probare posse confidit; attamen minime se ab omni naevo liberum putat; suspicatur enim poenas sibi infligi propter peccata in adolescentia commissa (13, 26) et in universum omnium hominum immunditiam, quam ab origine ipsa trahant, deplorat (14, 4); — 4) quamvis vitam post mortem futuram agnoscat (uti prius v. g. 3, 17-19, ita nunc 14, 21. 22), tamen nondum *spe* alterius vitae et recompensationis ibidem accipiendae se solatur. Sistit enim in hac sententia : praesentes calamitates posse tolerari, dummodo homo iterum ad hanc vitam redeat, ut mala bonorum recompensatione et novis Dei favoribus redimantur. Quod cum fieri nequeat, inde novam rationem petit deprecandi aerumnas et Dei miserentis opem implorandi.

Attamen quae 14, 13-15 animo concipit, psychologice quodammodo proludunt ad spei culmen et fastigium, quod exprimet postea 19, 26. Ad quod ut aperte et ut ita dicam *reflexe* perveniat, ulterius amicorum obiectionibus et accusationibus est urgendus. Videtur enim in ipso Iobo doctrina de divina compensatione paulatim ab hac vita in alteram tamquam in sedem propriam et perfectam transferri. Amicorum vero disceptationibus id efficitur, ut Iobus demum profiteri cogatur, in altera vita veram et plenam esse omnium difficultatum solutionem. Ita doctrina, compensationem terrestrem esse insufficientem et mancam, conceptis verbis proponitur.

a) Iobus de amicis conqueritur 12, 1-5.

Cum in sermone Sophar non pauca sint, quibus Iobi animus offendi debuit, et cum insuper amici suam sententiam, quam falsam esse intima persuasione et summa claritate sentit Iobus, tanta cum fiducia proponant, mirum non est, quod Iobus « subamare illos reprehendat » (*Cord.*) v. 2 « *Ergo vos estis soli homines* » ; — i. e. sensu et ratione praediti, ergo vestra sententia unice est vera; hebr. *profecto vos estis populus*[1] i. e. tota generis humani universitas in vobis solis est collecta, vos soli sapientes, ceteri pecudes (*Vav.*). Dein cum sarcas-

1. *B.* textui adscribit *nabon;* sed ironia optime sine ullo additamento consistit.

mo « *et vobiscum morietur sapientia* » ; — i. e. « sic vos sapientiam devorastis universam, ut una vobiscum sit moritura » (*Malv.*). Ita superbiam illam flagellat, qua (11,3) suam tantum sententiam valere volunt, Iobi autem nulla prorsus attentione dignam. Nam certe non debuerunt suae sententiae de malorum causa adeo perfracte inhaerere, ut Iobi sollemnem innocentiae attestationem tamquam summae impietatis crimen traducerent. Quare Iobus et sibi mentem et sensum inesse asserit, quo de rerum veritate et de divina providentia bene iudicet v. 3 « *et mihi est cor sicut et vobis* » ; — i. e. animus, sensus, mens, intelligentia (cf. *Ol. Greg. Thom. Pin. Cord. Vav.*) ; cor enim apud Hebraeos sedes est totius vitae spiritualis et intellectualis et affectuum ; « *nec inferior vestri sum* » ; — i. e. vobis tamen de sapientia si agitur, non concedo. Fervorem iam et aestum disputationis eiusmodi assertio prae se fert ; « figura est liptote vel extenuatio, cum plus significamus, quam dicimus » (*Pin.*). Quare cum comtemptu de *vulgari* amicorum sapientia et de *loci communis* amplificatione subdit « *quis enim haec quae nostis ignorat* »? — proprie ex hebr. *cum quo non sunt sicut ista* (*Pin. Mar.*) ? i. e. apud quem non sunt talia (*Malv.*), quis quamvis e media plebe homuncio haec ignoret (*Pin.*)? Adnotat *Ol.* : « haec autem nulla animi elatione contra eos dicit, sed moleste ea ferens, quae contra veritatem dixerant ». Dein pandit Iobus se pungi amicorum hostili irrisione, qua eius innocentia negetur. Sermo concitate, brevibus incisis, ut animi commotio fert, incedit in hebr. *ludibrium suo* (i. e. proprio) *amico* — *ego sum Deum vocans et exaudivit eum* i. e. per modum exclamationis praemittit, quam grave sit esse derisui proprio amico, et talem se esse subdit (unde personae tertiae, dein primae usus) ; dein appositionis loco ad *ego* (in forma verbali expressum) addit, qui sum Dei invocator et quem Deus utpote sibi acceptum olim exaudire [1] et favoribus prosequi dignatus sit (cf. *Malv. I. W. Le Hir*), et statim rei indignitatem iterata exclamatione effert : *ludibrium* (ludibrio scil. est) *iustus, integer!* i. e. qui omnium minime talia mereatur. Sensus est efficax et ad animi commotionem aptus.

Alio parumper inflectitur textu lat. v. 4 « *qui deridetur ab amico suo sicut ego, invocabit Deum et exaudiet eum ; deridetur enim iusti simplicitas* » ; — talis scil. invocabit Deum ultorem, neque is surdis auribus illam orationem suscipiet (cf. *Sanct. Cord.*), unde Iobus spem victoriae profitetur a Deo sibi contra amicos attribuendae. Hancque spem in textu lat. porro cernimus enuntiatam v. 5 « *lampas contempta*

1. Hoc rei indignitatem, qua ab amicis adhibetur, auget ; quare *B.* hanc partem eiiciendam esse immerito censet.

apud cogitationes divitum, parata ad tempus statutum »; — axioma est generale; virum enim iustum comparat faci neglectae et despectae a superbis, quae tamen servetur a Deo ad tempus consilio divino designatum, quo clarissime in sublimi loco constituta praeluceat; ita *Cord.* (et similiter *exp. in. S. Greg. S. Thom. Sanct. Sa, Mar. Men. Tir. Calm.*); est enim iustus revera *lux*, i. e. « vera lucens scientia, sed propter vilem personam aut temporalem miseriam despectus in cordibus superborum » (*Rup.*), « est lumen et fidelium lux et exemplum » (*Br.*), cum Deus ex tenebris et caligine latentem nunc sanctitatem proferet in apertum (*Pin.*); nunc enim lux eius est miseriis obscurata et ideo despecta in amicorum animis, attamen sperare se dicit novum fulgorem.

Ut similitudo magis reddatur obvia, *Pin.* explanat in hunc fere modum : est iustus fax accensa, lucens sanctitate; sed talem pietatis splendorem impii spernunt; alii iustum afflictum comparari volunt faci, taedae de industria proiectae, conculcatae, exstinctae, sed quae servetur a Deo in novum usum et fulgorem. Hoc certe magis quadrare videtur. Textus lat. ex hebr. facile declaratur; accepit enim *Hier.* לַפִּיד = lampadem [1], ut similiter *Chald.* torrem, facem interpretatur; in altero vero membro לְמוֹעֲדִי retulit ad מוֹעֵד tempus statutum; quomodo רֶגֶל (si vocem legerit) sibi explicaverit, incertum est; fortasse uti Ex. 23, 14 et Num. 22, 28 *vicem*, proinde ad literam « parata ad temporum statutorum vicem » quasi ictum pedis, vel vestigium (cf. *Mar.*), uti similiter Targum prius *tempus* tantummodo exprimit, dum alterum Targum *pedis vacillantis* mentionem facit, sicut et *Syrus*. Ceterum LXX et *Syrus* prius membrum diversimode reddunt. Commodius autem recentiores [2] textum hebr. interpretantur. Derivant לַפִּיד a voce פִּיד pernicies, quam *S. Hier. ruinam* vertere solet Prov. 24, 22 et in ipso libro Iobi 31, 29; et similiter 30, 24 (*si corruerint*); in altero autem membro iam veteres (*Pagn. Cod. Mar. Malv. Vat.*) viderunt מוֹעֲדִי רַגֶּל commodius derivari a מוּעַד vacillare; quare ex hebr. habetur v. 5 : *calamitati* (tribuitur) *contemptus secundum mentem securi* (felicis); *paratus* (est contemptus) *vacillantibus pede* i. e. miser apud felices despectui habetur, et si quis fortuna labatur, pede quasi nutet, iam exponitur contemptui, despectio quasi parata et praeparata invenitur pro infelice. Sensus hic obvius est et simplex et optime cohaeret cum emphatica illa exclamatione v. 4 *ludibrium iustus, integer*, et rationem reddit, cur sit ludibrio, quia scil. vitio humanae naturae fit, ut generatim omnes miseri despicatui sint iis qui prospere agunt vel in securitate degere sibi videntur. Quare hunc sensum utpote planissimum praeferimus comparationi illi coactae textus latini, a quo et aliae veterum versiones recedunt.

b) Impios saepe prosperitate frui 12, 6-10.

Hoc prooemio praemisso statim Iobus rem suam aggreditur :

---

1. Uti vox exstat Gen. 15, 17. Iud. 15, 4 etc.; occurrit enim in 13 locis.
2. *Fürst* in *C.* veteres sequitur; in *L.* recentiores.

impios scil. saepe prospere agere, ergo ex conditione temporali prosperitatis vel infortunii non posse virtutem vel scelera inferri, et Deum non eum recompensationis modum observare quem amici semper exprimi contendant. Unde non sine ictu vocis Iobus statuit v. 6 « *Abundant tabernacula praedonum et audacter provocant Deum* » ; — hebr. *pacata sunt tabernacula vastatoribus et securitates* (sunt) *provocantibus Deum* i. e. saepe qui vi et violentia omnia agunt, leges divinas et humanas spernunt et Deum audacter lacessere et ad vindictam provocare non verentur, pace fruuntur et altissima tranquillitate ; « *cum ipse dederit omnia in manus eorum* » ; — hac felicitate fruuntur largitore ac conservatore Deo. Ita in *lat.* ; potest etiam in eundem sensum aptari hebr. textus, qui verti potest ad verbum : *cui adduxit Deus in manum eius ;* ita significanter Deus ut felicitatis impiorum auctor designatur, qui sensus optime ad contextum Iobique mentem aptatur (cf. *Mar. Malv. Cod.*).

Varie alii verba hebr. accipiunt : qui Deum gerit in manu sua i. e. cui manus, vis et violentia, quasi pro Deo est, qui scil. vi omnia agunt ; secundum illud Virgilii *dextra mihi Deus* (Aen. 10, 773) ; vel qui manum suam pro Deo habent ; cf. Gen. 31, 29. Deut. 28, 32. Hab. 1, 11. 16. Mich. 2, 1 (*Ros. Hirz. W. Le Hir*) ; vel, quod *Del. Hitz. Zsch.* placet, qui ingredi facit Deum in manum suam i. e. qui *gladium* manu capit et ita instructus nullo Deo adiutore se indigere iactat quasi alter Lamech, Gen. 4, 23. Sed certe explicatio est nimis artificiosa, unde textus lat. plana sua versione praeferendus est.

Recentiores (*Ros. Hirz. W. Del. Zsch. Le Hir, Renan*) vim huius sententiae non esse assecuti videntur. Referunt enim eam tantummodo tamquam sententiam priori oppositam et quasi subordinatam. i. e. iustus despicitur, dum e contra impii in deliciis vivunt ; et in subsequentibus volunt Iobum ea solum prosequi et latius explicare, quae v. 3 indicaverat, scil. ab amicis talia proferri, quae omnibus sint nota. In hac acceptione versus 6 eiusque valor fere disparet. At hunc esse nexum a Iobo intentum, aegre mihi persuadeo. Nam ad talem nexum iam v. 11 et 12 minime referri possunt. Sapientiam enim veterum amici pro sua sententia in medium produxerunt, ergo ad quid Iobus eam tamquam testem afferret, si nihil aliud vellet nisi dicere, nota tantum proferri ab amicis? Dein ad quid *iudicium* illud, quod ad discrimen boni malique habendum adhiberi vult v. 11 ? Demum Iobum a v. 13 etc. nihil aliud velle quam Dei potentiam describere, nullo pacto supponi potest. Sed recentiores supponunt. At immerito. Cum enim Iobus dicat, ab amicis ea proferri, quae omnibus iam satis superque nota sint, num censeri potest tam longa oratione nihil aliud velle praestare, quam ostendere, se posse eodem modo sicuti amici fecerant, vel etiam melius et abundantius Dei

potentis et sapientis laudes celebrare? Reprehendit amicos de *loci communis* amplificatione verbosa, num idem statim post talem reprehensionem a Iobo factum aliquis sibi persuadebit? Minime [1]. Quare rectum viderunt aliqui veteres, qui v. 6 tamquam rei cardinem continentem interpretati sunt. Ita v. g. *Cod.* scribit : « controversiam repetit, defenditque constantissime thesim a tribus viris impetitam de secundis in hac vita improborum rebus » (sim. *Caiet. Mar. Cord. Vav.*). Hoc si assumimus, quod verba ipsa sane omni vi nobis aperiunt et quasi obtrudunt, et v. 6 suo vigore constat, et quae sequuntur, multa cum emphasi proferuntur, neque opus est, ea ad longe dissita trahere vel tamquam inanem circumlocutionem traducere.

Affirmat igitur Iobus, quod supra iam tetigerat (9, 22-24) de impiorum sorte prospera, idque rerum cursu clarissime contineri ita ut a nullo possit in dubium vocari. Hoc ut emphatice et hyperbolice asserat, ipsa animalia ratione carentia, immo ipsas res sensu carentes testari magno verborum pondere contendit. Eo sane nexu, quem nos adstruimus, haec apte et nervose in sermonem induci apparet ; inanis vero esset verborum sonus, si Iobus v. 3 tantum latius vellet prosequi, cui merito quis oggereret *ad quid perditio haec ?*

Unde v. 7 « *nimirum interroga iumenta et docebunt te ; et volatilia coeli et indicabunt tibi* » ; — nexum bene vidit *Caietanus*, hinc scil. probari illud Iobi propositum, bona et mala sine discrimine bonis perinde ac malis immitti a Deo et non propter ulla creaturarum merita. Plerique hoc ad Dei cognitionem, gubernationem, providentiam e creatis rebus hauriendam referunt (cf. *Chrys. Ol. Phil. exp. in. Rup. Thom. Tir. Cord. Cod.*) ; recte id quidem, sed arctiore tamen nexu ad antecedentia adiungi debet, quem nexum bene iam *Br.* proponit : « si, inquit, nescitis, quia abundant tabernacula praedonum, iumenta... vos docebunt ». Aliter coniungit *Pin.* : « quod paulo ante dixerat, Deum dedisse in manus hominum universa creata, nunc confirmat universarum creaturarum testimonio » (sim *Men.*) ; aliter alii, v. g. *Vav.* : « vehementius obtrectatores pulsat, qui sibi sapere et minime vulgaria proferre videantur ; quae ab illis enim commemorata sunt, eiusmodi esse ait, ut vel lapides aut pisces nihilo deteriora dicerent, loqui si possent » (sim. *Ros. Hirz. W. Del. Renan*) ; at frustra ; nam cur neglecto v. 6 ad v. 3 ascendamus, cum tamen nexus melior tam prope adiaceat et ex subsequentibus prorsus postuletur (cf. v. 11 et seq.)?

---

1. Quare etiam sententia, quae ex 13, 1. 2 derivari posset, afferri a Iobo veteris alicuius sapientis carmen, mihi non probatur.

Idem ampliore sermone proponit v. 8 « *loquere terrae et respondebit tibi, et narrabunt pisces maris* » ; — creaturas dispescit, uti 9, 25. 26 in eas, quae in terra, in aere, in aqua versantur (*Zsch.*). In hebr. [1] *meditare* (animum adverte) *ad terram* (cf. *Malv. Pin.*). Modus iste res ratione destitutas compellandi magnam persuasionis vim et efficaciam in loquente manifestat. Quae omnia si quis, ait, animo perlustraverit et interrogaverit, illorum institutione edocebitur, a Deo fieri id quod v. 6 dixerat, a Deo scil. sortes ita misceri, ut permittat saepe impios laute vivere. Ita in hebr. v. 9 *quis ignorat in omnibus istis* (i. e. interrogatis et consultis omnibus istis), *quia manus Iahve fecit hoc*. In textu lat. v. 9 « *quis ignorat, quod omnia haec manus Domini fecerit* » ; — « omnia haec » ad argumentum v. 6 enuntiatum referri debent ; addit Deum ita agere pro suprema sua in res omnes potestate v. 10 « *in cuius manu anima omnis viventis et spiritus universae carnis hominis* » ; — i. e. quia omnia tribuit omnemque vitam creavit et continuo conservat, supremo in omnia etiam utitur dominio, i. e. facit prout *vult*, proinde non opus est, ut in sortibus distribuendis unam recompensationis normam sequatur ; vel cur non posset, suggerit Iobus, alios etiam fines prosequi? Contra amicos enim, qui Deum ad *unam* normam adstringere volunt, illam quam Deus pro suo supremo dominio habet *agendi libertatem* et potestatem vindicat (cf. *Calm.*).

c) Varia etiam esse consideranda 12, 11-13.

Cum igitur adeo planum et apertum sit, Deum in rerum gubernatione non omnia ex una *iustitiae distributivae* norma administrare, Iobus amicos urget, ut mancam ac deficientem suam Dei gubernantis scientiam compleant recta investigatione et *omnium*, quae hisce in terris geruntur, consideratione. Quare adagii in modum ad talem considerationem eos invitat, exhortans, ut iudicandi discernendique facultate rite utantur ; quodsi veterum sapientum dicta unam illam iustitiae administrationem celebrare videantur, illa non sine examine et iudicio esse accipienda. Unde v. 11 « *Nonne auris verba diiudicat et fauces comedentis saporem* » ? — apte plane ו *et* tamquam comparationis particula accipitur (*Ros. Hirz. W. Del. Le Hir*) ; quare ex hebr. *nonne auris sententias* (adagia, proverbia) *probabit* (probare, ad

1. שִׂיחַ est imperativus (*Cod.*), uti etiam recentiores explicant ; nam quod aliis placet, *virgultum, frutetum* esse etiam compellandum (*Mar.*, apud *Malv.*), versionibus veterum contradicit, neque satis apte ad לָאָרֶץ accommodatur.

examen vocare debet), *sicut palatum cibum gustat sibi?* Habet homo iudicandi facultatem et natura duce impellitur ad eam adhibendam; tali igitur ut utantur, amicos exhortatur, neve sine ullo discrimine veterum effata amplectatnur sed subtili iudicio illa discernant et interpretentur. Neque hoc modo iniuriam infert veteribus illis. Nam concedit, inesse in iis sapientiam et ex usu rerum et multiplici experientia prudentiam; ita v. 12 « *in antiquis est sapientia et in multo tempore prudentia* »; — i. e. longaevitas (hebr.) affert prudentiam. Haec verissime; attamen non continuo sequitur, illos iam omnem Dei cognitionem et multiplicem eius sapientiam attigisse [1], quae rerum cursu et administratione contineatur. Unde ex ipsa rerum iterata consideratione nobis est perpendendum, quomodo se habeant apud Deum, apud quem demum omnis est sapientia; v. 13 « *apud ipsum est sapientia et fortitudo, ipse habet consilium et intelligentiam* »; — apud Deum scil. omnis sapientiae fons isque immensus, sapientia sine ullo limite, sapientia *simpliciter* et omnium rerum optima discretio, *intelligentia* תְּבוּנָה consistit, cui aequa adest, i. e. illimitata *potentia*, et quae optima semper noscit adiumenta (*consilium*); iam vero Deus qua talis multa agere potest, quae homines non statim assequantur; quare ab antiquorum senumque prudentia, quam *verbis*, axiomatis nobis transmiserunt, ad *Dei opera* multiplicia variumque gubernandi modum est ascendendum, ut tali consideratione *adaequatum* habeatur de rerum cursu iudicium. Unde a v. 14 talem considerationem instituere incipit.

Hic nexus, quem dedimus, clarus est, aptus ad verba, factus omnino ad disputationis argumentum et progressum et intimo vinculo cohaeret cum antecedentibus et subsequentibus. Multum autem innititur illis, quae supra iam ad v. 6 et 7 disputavimus; eo quoque efficitur, ut quae subsequuntur non sint merum specimen, quo ostendat Iobus, se aeque bene de Dei sapientia disserere posse atque amicos; tale enim *specimen* post v. 3 (*quis enim haec quae nostis ignorat?*) prorsus iam exsulare debet. Demum ex ipsa illa consideratione elucebit, illam a Iobo ad finem a nobis assignatum fieri.

Iam aliorum etiam sententiae sunt afferendae et paucis diiudicandae. Varium enim nexum iam ad v. 11 statuunt. Plerique censent agi hic de Dei cognitione, quam homo e rebus creatis hauriat; « ut externo sensu statim

---

1. Quare minime opus est cum *B.* contra omnia veterum testimonia corrigere textum *quia non est in antiquis sapientia;* num ita Iobus iudicasse censeri potest?

percipiuntur sensibilia, sic intellectu facile intelligibilia, nempe Dei opera et operum auctor, Deus » ; ita *Tir.* et in eandem fere sententiam explicant *Aug. Chrys. Ol. Thom. Vav. Sanct. Cord. Cod. Men. Sa*; « tam aperta sunt quae dixi, quam quae auribus audimus et quae palato gustamus; alia probatione non egent » (*Mar.*). Vera haec quidem, at non explicant, cur Iobus tantum momenti ponat in probatione, in examine instituendo discretionis, neque cur veterum et adagiorum fiat mentio. Eadem etiam valent contra *Pin.*, Deum scil. omnia nosse, pervadere, ac si sensibus esset praesens, illum probare aut reprobare hominum actiones, ac si gustatu contingeret. Alii hisce volunt Iobum suam commendare sapientiam, quippe qui priscorum sapientum dicta probarit et menti impresserit (cf. apud *Pin. W.*). Sed quorsum haec? obiecerant amici priscorum sapientum doctrinam, ergo Iobus debet potius asserere, se veterum dicta ad examen revocasse. Aliis placet, hisce socios carpi, quod non diligenter expenderint a se dicta, quo animo prolata essent; vel contineri admonitionem, ut aurem et animum advertentes melius iudicent de Dei administratione (cf. *Malv. Ros.*). Huic affine, quod habet *Br.* : « quia nec aures audiendi, nec fauces comedendi habetis, ideo verba mea male iudicantes, cuius saporis et dulcedinis sint, non intelligitis ». At tum non apparet, cur statim antiquorum sapientiae mentionem iniiciat. Demum *Rup.* censet, rationem afferri, cur non omnes aequaliter intelligentiam accipiant; sicut enim non omnis operatio in uno sensu, ita non omnibus inesse sapientiam (sim. *S. Greg.*).

Neque quid sibi velit v. 13, omnes consentiunt. Censet nempe *Cord.* conclusionem esse, quam ex naturae principiis demonstraverit esse planissimam et omnibus per se notam. Quocum connexum est, quód alii (*Ros. Hirz. W. Del. Zsch. Renan*) volunt, Iobum agere de divina sapientia, ut ostendat, se non modo non cedere amicis, sed longe magnificentius ac sublimius de illa loqui posse. At sane *friget* haec explicatio. Neque enim instituitur concertatio quaedam de optimo dicendi genere, quis quam ornatissime et uberrime valeat dicere, neque apte in *hunc* campum Iobus nunc descenderet, postquam asseruit, talia ab omnibus sciri; cur igitur nunc tanto verborum pondere explicaret, se quoque nosse quae omnibus sint notissima? Quare iste nexus, quem supra dedimus, omni ex parte commendari videtur.

d) Non una norma administrari cuncta 12, 14-13,2.

Dei gubernandi rationes delineaturus a potentia incipit, cui nihil possit resistere, attamen statim commemorata *sapientia* (v. 16) indicat, eum hac potentia non uti pro mero arbitrio neque pro sola iustitiae administratione; unde in calamitatum immissione rationem haberi vult et potentiae et *sapientiae*. Proinde id quod aliqui Iobo impingunt (*Del. Zsch.*), diserte negat, Deum scil. pro lubitu, pro arbitrio (*Willkür*) malis hominem affligere ; notio enim *sapientiae* id excludit.

Ineluctabilis est eius administratio, cuius exponuntur effecta per

antithesin membrorum (*Malv.*). Ita a v. 14 « *Si destruxerit, nemo est qui aedificet; si incluserit hominem, nullus est qui aperiat* »; — magis nervose in hebr. *en, destruit et non aedificatur, claudit* (carcerem) *super virum et non aperitur*. Carceres Hebraeorum in modum cisternarum erant (cf. Gen. 37, 20. 22. Ier. 38, 6 et lacum leonum Dan. 6, 14; 14, 30), unde claudere *super* virum lapide v. g. ori putei imposito. Locutio de viro angustiis et difficultatibus intercepto etiam valet (cf. *Pin. Vav. Men.*).

Utitur quoque elementis ad regiones terrasque affligendas, v. 15 « *si continuerit aquas, omnia siccabuntur; et si emiserit eas, subvertent terram* » ; — hebr. *ecce, coercet aquas et siccantur; et dimittit eas et vastant terram*. Siccitate vero et inundatione omnes pariter et boni et mali plectuntur; unde ipsum exemplum Iobi mentem praeclare illustrat et probat, non unam mercedem virtutis vel poenam criminum esse Dei gubernantis normam. Siccitate et inundatione fruges pereunt, fame homines interimuntur vel ipsis aquis simul cum domibus absorbentur nullo bonorum malorumve discrimine facto.

Denuo inculcat, haec et potenter et *sapienter* fieri a Deo v. 16 « *apud ipsum est fortitudo et sapientia* »; — hebr. תּוּשִׁיָּה cf. 5, 12; apte *Ros.*: « denotat rationem certam ac prudentem, qua omnia ex aequitatis norma et iuris formula administrat, ne tyrannice putes eum robore abuti; robore quidem valet, sed interim etiam certa lege et ratione omnia gubernat, ut nihil impotentia quadam tyrannica ab eo fiat ». Ad hanc quoque sapientiam spectat « *ipse novit et decipientem et eum qui decipitur* »; — hebr. *ipsi* (subest) *errans et decipiens* (cf. *Malv.*), i. e. uterque a Deo dependet; quare error et fraus in tantum solum serpere et nocere potest, in quantum Deus *sapiens* permittere voluerit (cf. W.); porro quae inde fluunt, eius sapientiae subduntur et providentiae consiliis inservire debent, « tum decepti hominis ignorantia, tum deceptorum et impostorum malitia et calliditas divinae providentiae deserviunt quasi illius administrae » (apud *Pin.*) i. e. Dei consilia etiam his promoventur; unde bene concludit *Pin.* : « qui superior est omni malitia et calliditate humana, atque providentiam habet deceptionum atque errorum, non potest esse nisi infinite sapiens ». Quare Iobus paucis hisce quasi lineamentis praeclaram divinae gubernationis imaginem adumbrat.

Variis porro exemplis explicat, Deum agere pro sua potentia et sapientia et ita quidem, ut homo, cur talia fiant, non assequatur. Fatendum scil. est in tanta repentinarum calamitatum et fortunarum eversionum multitudine plurima accidere, quorum rationem homo nullo modo attingat. Quare Iobus maximam quandam et variam congeriem calamitatum proponit, quibus varii hominum ordines

deturbantur, evertuntur, quasi interrogans amicos, utrum ad hos omnes eventus suam doctrinam applicare audeant vel possint necne. Quod si fieri nequit, intelligant ergo, Deum alia etiam norma administrationis uti, quam sola stricta iustitia. Sufficit enim ex Iobi mente oculos reflectere ad rerum cursum multiplicem, ut quis deprehendat, non solius mercedis vel iustae punitionis rationem posse haberi. Quod ut quasi manibus palpent, insigni enumeratione per amplissimos ordines, per vastissima regna, per potentissimas gentes mente et animo circumducit: v. 17 « *adducit consiliarios in stultum finem et iudices in stuporem* »; — i. e. consiliarios sapientia destitutos ita ostendit, ut consilia eorum prudentissima in stultum finem demum desinant et concidant.

Sensum hebr. bene expressit S. *Hier.*; est enim שׁוֹלֵל (cf. Mich. 1, 8) *spoliatus*, unde ad verbum *adducit consiliarios* (unumquemque) *spoliatum* i. e. ea re privatos ostendit, qua consiliarii vi muneris debent praestare, mente scil. ratione, prudentia, consilio (cf. *Malv. Pin. Calm.*); eodem modo v. 19 sacerdotes ostendit spoliatos scil. auctoritate, gloria. Non ita apta est ad sensum explanatio LXX, *Chald. vet. lat.* « qui ducit consiliarios captivos », neque concordat cum membro parallelo *et iudices infatuat* (hebr.), stultos reddit, ea privat sapientia, qua instructi esse apud homines censentur.

Iobus igitur ostendit, regum consiliarios, populique principes, duces (hi enim *iudices* et sunt et nominantur) saepe vehementer errare, illaque dare et sequi consilia, quorum, quamvis videantur prudentia, tamen exitum non inveniunt (cf. *Cord.*), vel in tales incidere rerum perturbationes et angustias, ut consilii prorsus inopes deprehendantur. Num talia tantum propter peccata admissa infliguntur? si ita, quorumnam peccata in causa sunt? an ducum? an populi solius? sed tunc populi vel duces sine causa flagellantur; an utrorumque? Mira ergo semper peccatorum conspiratio! Num proinde haec unica erit tot eversionum causa? Quis in tanta casuum frequentia unam tantum eandemque semper et ubique causam subesse probabile censebit? Quare pergit Iobus in enumeratione v. 18 « *balteum regum dissolvit et praecingit fune renes eorum* »; — i. e. cingulum militare, potestatem, regiae dignitatis insignia illis adimit (cf. *Phil. exp. in. Thom. Pin. Cord. Mar. Malv. Men.*), eos in servorum et captivorum conditionem redigit, ut fune cincti captivi ducantur.

Hebr. מוסר S. *Hier.* vel *cingulum* esse censuit (ab אסר? an מוֹסָר? a notione ligandi?) vel *balteum* posuit pro *insigni* regiae auctoritatis et dominationis, cum מוּסָר soleat vertere *disciplinam*, *increpationem* (cf. supra 5, 17. Prov. 3, 11; 22, 15; 23, 13). Hoc sensu etiam aliqui recentiores vocem capiunt « imperium illis adimit » (*Ros. Del. Le Hir*), dum alii (*Hirz. W. Zsch.*) sensu contrario explicent: *vincula*

regum solvit i. e. modo reges captivos libertati et throno restituit (sim. iam LXX, *vet. lat.* : « qui collocat reges super sedes » et *Chald.*: « catenam regum dissolvit » cf. *Mar. Malv.*), modo in vincula illos coniicit. Sed cum membra *antithetica* nondum adfuerint neque in subsequentibus appareant (prima antithesis ex hebr. demum v. 23 legitur), haec explicatio non adeo placet; praeplacet illa *S. Hier.* quae membrorum aequalitatem, antea et post obviam, etiam in nostro versu servat; sed tunc sane in textu hebr. potius מוֹסֵר legeris (= מֵאֵסֵר; cf. *W. Fürst L.*).

Post reges ordinem sacerdotum *sacrum* etiam rerum vicissitudinibus subiici ait v. 19 « *ducit sacerdotes inglorios* » ; — cf. ad v. 17 ; exhibet illos spoliatos sacra sua dignitate, ludibriis expositos, profanatos; ut similiter dicitur Is. 43, 28 *contaminavi principes sanctos*[1].

Et generatim adiungit « *et optimates supplantat* » ; — hebr. proprie *perennes* i. e. stabiles, valentissimos subvertit, evertit ; inopinato lapsu intereunt, deturbantur. Cum his qui in dignitate civili, regia, sacerdotali constituti sunt vel stabiles fortuna esse videntur, etiam illos deiicit qui *facundia* et *prudentia* valeant, v. 20 « *commutans labium veracium et doctrinam senum auferens* » ; — hebr. *auferens labium firmis* i. e. iis, qui sermone, eloquentia validi sunt (cf. *Mar. Malv. Hirz. W. Del. Zsch.*) *et sapientiam* proprie gustum, discernendi facultatem, cf. *Malv. senibus adimit*, ita, ut qui longo vitae cursu se sapientes et rerum peritos probaverint, iam quasi in tenebris palpent. Neque minus parcit iis, qui *nobilitate* et robore praestant vel tyrannide sua alios opprimunt, v. 21 « *effundit despectionem super principes, eos qui oppressi fuerunt, relevans* » ; — i. e. robusti sede et auctoritate deiiciuntur, ut ii quos misere oppresserant, respirare valeant. Hanc explicationem commendat textus hebr. *effundens despectionem super nobiles et zonam* (cingulum, balteum) *robustorum laxat* i. e. robustis oppressoribus vim et potentiam aufert (cf. *Malv. Cod. Calm.*). Sensus proin quem exhibet *vulg.* derivatus est et quasi consequens ex hebr., uti iam *Pin.* explicat.

Ad textum hebr. nota : מְזִיחַ est = מֵזַח quam vocem *Hier.* Is. 23, 10 bene vertit *cingulum* (cf. *Pin.*) et habetur in *vulg.* Ps. 108, 19 *zona*. Vertit *Chald.* : « et fortitudinem regum debilitans » sim. *Syrus*. LXX vero et *vet. lat.* : « et humiles sanans » ; ergo legerunt רפא pro פרה et fortasse מוזה *exhaustus* cf. Deut. 32, 24. Ad eam interpretationem et lectionem proxime accessit *S. Hier.*

Versus sequentis duae potissimum explicationes feruntur, quarum mentionem iam facit *Ol.* : « qui manifesta facit, quae omnibus sunt obscura et

1. Immerito aliqui (*Cod. Calm. Ros.*) *primates* interpretantur; horum iam mentio facta est, unde כֹּהֲנִים in usitata significatione relinqui debet.

qui in apertum producit, quae tenebris involuta erant; vel qui homines in periculis et morti vicinos conservat; periculum enim umbram mortis vocat » (sim. *Cord.*). Prior explicatio i. e. Deo omnia patere, vel obscurissima quaeque et occultissima a Deo in lucem proferri et pro lubitu luci publicae exponi ea, quae homines maxime tecta esse velint, haec, inquam explicatio longe plurimos interpretes habet patronos et ad Dei sapientiam egregie illustrandam facta et nata est. Altera autem, quae propius contextui inhaeret, quamvis *difficilius* verbis accommodetur, scil. despectos ac miseros a Deo in prosperae fortunae luce et loco subito quandoque collocari, a paucis proponitur et propugnatur, inter quos sunt *S. Thom.* et *Men.* Nos mediam quandam viam ingressi verba commodius explanare posse opinamur.

Hunc agendi modum, qui in variis hominum ordinibus et sortibus cernitur (cf. v. 17-21), iam praedicat Iobus admirabundus v. 22 « *qui revelat profunda de tenebris et producit in lucem umbram mortis* » ; — sensus enim (cf. quae modo adnotata sunt) et verbis et contextui aptissimus is est, ut per modum comparationis tacitae Dei agendi rationem adumbrari dicamus ; hac scil. rerum vicissitudines et eversiones, quas Deus operatur, adeo hominum mentes percellunt, adeo mirae videntur, ac si cum omnium stupore illa in lucem subito proferret, quae tenebris perpetuis involuta sunt et obtecta ; quare Deus censendus est hisce hominem de multiplici providentiae suae consilio, quod aeque ignorant atque *profunda* illa, edocere velle. Vel sicut Deus in sua *scientia* abditissima quaeque penetrat, et omnem humanum modum longissime supergreditur, ita in suis *operationibus* quoque modos et fines prosequitur, qui hominis intellectum et fugiant et plurimum superent. Ergo ita agens revera hominibus revelat profunda de tenebris et luci exponit abditissima inferni. Quid mirum, si homines illa profunda non attingant ?

Quae de hominum ordinibus dixit, iam etiam de integris populis valere affirmat, quos Deus modo exaltet, modo interimat : v. 23 « *qui multiplicat gentes et perdit eas et subversas in integrum restituit* » ; — ultimum membrum ex hebr. *extendit*[1] *gentes et abducit eas* i. e. modo eas propagat, latum spatium iis concedit, modo eas in servitutem et captivitatem abducit, et e suis sedibus eiicit. LXX et *vet. lat.* : *sternens gentes* (viam sternendo et complanando iis, *Ol.*) *et in via deducens.* — Quodsi regna evertere vult et nationes perdere, principes et duces

1. שׁהח extendere, expandere, uti *Hier.* vertit Ier. 8, 2 (secundum sensum 2 Reg. 17, 19) et in *vulg.* Ps. 87, 10. Forte hoc loco illam *extensionem* intellexit, quae est exsulum dispersio et expulsio ex patria (cf. *Pin.*), unde נחה sensu fausto accepit; sed cf. 2 Reg. 18, 11 (hebr.).

consilio et prudentia privat. Ita v. 24 « *qui immutat* (hebr. auferens) *cor principum populi terrae et decipit eos, ut frustra incedant per invium* » ; — in hebr. *errare eos facit in vastitate* (ubi) *non* (est) *via* (cf. *Malv.* in avias solitudines *Cod.*) ; i. e. consilii expertes exitum e calamitate non inveniunt.

Ita ignorantiae tenebris obvoluti, sui prae stupore et angustia vix compotes v. 25 « *palpabunt quasi in tenebris et non in luce, et errare eos faciet quasi ebrios* » ; — cf. Is. 19, 14; 24, 20; 29, 9. 10. Ier. 25, 15; 49, 12. Ez. 23, 32.

Talis proinde est Dei administratio, ut subitae rerum et populorum eversiones eveniant, quas nulla ars, dignitas nulla, nulla potentia vel sapientia humana cavere vel impedire possit. Haec vero administratio ad Dei *potentiam* et *sapientiam* pertinet, quare non omnia ex una iustae retributionis norma pensanda esse Iobus inferri vult. Concludit enumerationem 13,1 « *ecce, omnia haec vidit oculus meus et audivit auris mea et intellexi singula* » ; — i. e. talia [1] saepe accidere et ipse vidit et ab aliis accepit ; ea autem non solum in memoria condidit, sed ita mente intelligere studuit, ut veram de Dei gubernatione doctrinam sibi efformaverit. Provocaverant amici ad experientiam (5, 27; 8,8) ; experientia eos refellit ; nam ait : « nec in his sensibilibus effectibus mea cognitio requievit, sed ex eis ad intelligentiam veritatis ascendi » (*S. Thom.*) ; unde amicorum iactantiam, qua ipsum edocere volebant, retundens subdit v. 2 « *secundum scientiam vestram et ego novi, nec inferior vestri sum* » ; — cf. 12,3 ; concludit hanc partem, uti inceperat ; repetitio sane efficax post longam et insignem argumentationem. Triumphantis in morem hanc contra amicos disputationis partem absolvit ; minus dicit, plus intelligi vult.

e) Esse amicos causidicos mendaces 13, 3-12.

Amicorum opinio de *una* malorum causa prostrata iacet. *Veram* illorum causam, qua etiam explicetur, cur pii et innocentes affligantur, Iobus nosse desiderat ; quare disceptationem iam exoptat cum Deo ; v. 3 « *Sed tamen ad Omnipotentem loquar et disputare cum Deo cupio* » ; — ab amicis enim impius habetur, illos videt in sua sententia obstinatos, unde ad Deum confugere, coram Deo suam agere causam, a Deo innocentiae testimonium accipere simulque rationem, cur affligatur, discere desiderat.

---

1. In textu hebr. *haec* sane excidit ; vocem enim et sensus requirit et LXX, *Chald. Syrus, S. Hier.* habent ; quare *B.* eam textui bene inseruit.

Bene *Men.*: « quia a vobis doceri nihil possum, ideo cum Deo disceptare cupio, ut ab illo audiam, quod mortalium nemo docere potest ». Dum vero haec dicit, indicat sibi molestam esse disputationem cum contentiosis hominibus, et *veram* exoptans scire causam recordatur, quam *falsam* et iniuriosam amici attulerint, qui insuper Dei causam se defendere glorientur. Unde aptissime ad animi affectionem fluit concitata haec cum amicis expostulatio, quam abrupte ex hebr. subdit v. 4 *vos vero fabricatores mendacii, medici nihili* (inepti, inutiles prorsus) *omnes vos* (cf. *Mar. Pin. Cord. Cod. Malv. Vav. Calm.*) i. e. ratiocinationes proferunt mendaciis compositas; consolatores sunt molestissimi, qui malis minime medentur, immo ea augent. Sensum reddidit *S. Hier.* fere periphrastice « *prius vos ostendens fabricatores mendacii et cultores perversorum dogmatum* » [1].

LXX et *vet. lat.*: vos autem estis medici iniqui et curatores malorum; ad quod bene *Did.*: « iniquus (ἄδικος) est medicus, qui aegris praeter salutaria alia remedia adhibet; ἰατροὶ κακῶν de iis fortasse dicit quia magna de se praesumpserint, quasi aliorum adversis casibus mederi possent »; Iobo quippe suaserunt, ut agat poenitentiam, si velit prospere agere, quod remedium inutile pro se ab imperitis commendari medicis non sine eorum irrisione asserit. Quare cum sarcasmo pergit: v. 5 « *atque utinam taceretis ut putaremini esse sapientes* »! — hebr. in ultimo membro *et foret vobis sapientiae*, silentium vobis verteretur sapientiae, pro sapientia vobis esset, secundum illud Prov. 17, 28 *stultus quoque, si tacuerit, sapiens reputabitur; et si compresserit labia sua, intelligens* (cf. *Malv. Mar. Men. Cord.*). Bene rem perpendit *Cord.*: « amicorum in loquendo imprudentiam et imperitiam taxat: stulte enim amicum luctu et moerore oppressum verbis exulcerabant; stulte de ira et stomacho Dei erga impios prolixe disserebant apud eum qui gravissimis miseriis urgebatur, cum potius, ne ad desperationem eum adigerent, sed aliquo modo levarent, de disciplina et castigatione agerent, qua Deus omnem filium quem recipit coercet ».

Reprehensionem a se iure fieri, in subsequentibus ostensurus, iam eos, ut attente audiant, invitat v. 6 « *audite ergo correptionem meam et iudicium labiorum meorum attendite* »! — hebr. *contentiones*, i. e. obiurgationes *labiorum meorum attendite* (cf. *Mal. Mar. Ros. Del.*) [2].

---

1. Ultimum membrum non est nisi explicatio prioris, nisi forte *Hier.* ad *Sym.* translationem respexerit κατασκευάζοντες ἄλογα (cf. *Cord. Vav.*).

2. Bene in priore membro LXX et vet. lat. etiam vim vocis תּוֹכַחְתִּי reddiderunt *obiurgationem* oris mei (cf. *Hirz. Del.*), neque enim est vis vocis argumentatio, ratiocinatio (ut *W.* vult).

Iam sequitur obiurgatio v. 7 « *numquid Deus indiget vestro mendacio, ut pro illo loquamini dolos* »? — ex hebr. *num pro Deo iniqua loquemini et pro eo loquemini fraudem?* i. e. num in favorem Dei, ad eius causam tutandam, mendaciis uti vultis, an tali defensione, quae falsis opinionibus nitatur, Dei administrationem vindicare et commendare vobis est in animo? i. e. ita, ut mihi iniustitiae et impietatis calumniam impingatis? « Illi scil. ut iniustitiae suspicionem a Deo amolirentur, mendacium et dolos concinnabant sceleris Iobum arguendo, quo Dei bonitatem defenderent » (*Cord.*). Quare illos partium studio abripi dicit v. 8 « *numquid faciem eius accipitis et pro Deo iudicare nitimini* »? — faciem accipere, personam respicere est non ex veritate et aequitate ferre sententiam sed ex qualitate personae, ut ei causa adiudicetur, quia honoratior et potentior est, etsi nullo iuris titulo potiatur. Optime germanice dicimus : wollt ihr für Gott parteiisch sein? et vultisne vos pro eo litigare, quasi eius causa vestro indigeret patrocinio [1]? Num tale iudicium ei gratum esse potest, qui personarum acceptionem in iudicio reprobat? num non Deo quam maxime contumeliosum, corrupto iudicio eius partes agere (cf. *Cord.*)? Iteratis quaestionibus Iobus rei indignitatem efferre vult amicosque, ut ab instituto desistant, inducere. Unde etiam minas addit, cum talis defensio Deo odiosa esse debeat. Quare v. 9 « *aut placebit ei, quem celare nihil potest* »? — i. e. num Deo, quem nihil potest latere, talis defensio placebit? Minime. Sensum potius reddidit *Hier.* quam verba. Est enim in hebr. *num bonum* (i. e. vobisne proderit), *si vos exploraverit?* i. e. inquirit cordium arcana [2]; videt, contentione et temeritate atque iudicii praecipitantia male vos in me animatos talia loqui (*Pin.*). Neque poterunt Deum fallere, unde mendacium et cordis et iudicii temeritatem et impietatem non possunt coram Deo cohonestare, « *aut decipietur ut homo vestris fraudulentiis* » ? — bene sensum *S. Hier.* expressit. In hebr. ad verbum : *num sicut decipere* [3] *hominem, decipietis eum*?

Responsum minis plenum ipse cum emphasi subiungit v. 10 « *ipse vos arguet, quoniam in abscondito faciem eius accipitis* » ; — hebr. *increpando increpabit vos* (puniet); apposite scribit *Cord.*: « in abscon-

1. Quare vix opus est cum *B.* in textum inserere *cum fraude;* multo minus in priore membro addi debet *cum mendacio,* cum *faciem accipere* iam arguat rem non agi sinceram.

2. Cum hebr. concordant LXX et *vet. lat. : optimum erit* (καγὸν γὰρ), *si discusserit vos?*

3. הִתֵּל inf. hiph. a תָּלַל; omittitur in imperf. syncope τοῦ ה, unde תְּהָתֵּלוּ statim sequitur et Ier. 9, 4 habetur, cf. *Gesenius* Thes. s. v. תלל; *Ewald,* Lehrbuch § 127 d. *B.* formas verbales contra punctationem ad radicem secundariam הִתֵּל referendas esse censet.

dito faciem Domini accipiunt, quia externo sermone humanis sensibus aequitatem obiiciunt, dum simulant se in iudicando nihil praeter veritatem inquirere, neque ab integritate vel benevolentia dimoveri, vel odio transverti, neque parti alteri sic patrocinari, ut alteram prodant et oppugnent. Hoc illi summo studio se facere simulabant, cum interim multa confingerent, quae Iobi causam mirum in modum aggravarent... Certe tot mendacia et errores adversus Iobum... fingi minime potuissent, nisi ab illo qui potentioris alicuius faciem respiceret ac revereretur...; pro Dei victoria in plurima adversus Iobum mendacia proruperunt neque rectam sententiam pronuntiarunt ». Quia non norunt nisi Deum *iustum*, ut hunc tueantur, iniuste in Iobum agunt. Huius autem iniustitiae, etsi pro Deo suscepta sit, poenas illos daturos Iobus praedicit v. 11 « *statim ut se commoverit turbabit vos et terror eius irruet super vos* »; — i. e. modo quidem tacere videtur Deus, at non semper silebit aut quasi ignorabit quae male agitis; subito se ipsum ad vindictam et poenam exigendam suscitabit, tunc vos terrore suo mulctabit (cf. *Pin. Cord.*). Prius membrum in hebr. *nonne celsitudo* [1] *eius vos conturbabit* (cf. *Pin. Malv. Mar. Vav. Cod. Calm.*)?

Vindictam minatur numinis celsissimi, quod ita se defendi mendacio non vult. Quare statim secundum textum lat. supplicium denuntiat v. 12 « *memoria vestra comparabitur cineri et redigentur in lutum cervices vestrae* »; — id minatur quod superbis est molestissimum, deletum iri eorum memoriam, fore, ut nomen eorum aestimetur tanti, quanti cinis est i. e. iri proculcatum, pulvere sepultum et ipsa eorum capita superbe erecta fore, ut conculcentur; « ut lutum calcabimini » (*Men.*). Verum textus hebr. accurate est vertendus : *adagia vestra* (melius argumentationes, ad literam : eure Gedenksprüche) *sunt proverbia cineris* (similitudines cineris) *et propugnaculis luti* (similia sunt) *propugnacula vestra* [2]; similia iam indicant *Vat. Mar. Malv. Calm.* et haec iure a recentioribus adoptantur. Proinde argumentationes et ratiocinia amicorum quo loco habeat, Iobus intrepide profitetur triumphantis in morem, qui sua innocentia fretus intime sibi conscius est, illorum arguendi modum de origine suarum calamitatum vanum esse et inanem.

---

1. *S. Hier.* sine dubio שְׂאֵתוֹ infinitivum = elevare se accepit temporis particula suppleta. Simplicius substantivum שְׂאֵת intelligitur — infra 31, 23 *pondus* vertit; Hab 1, 7 *onus* — et ob formam verbi fem. תִּ debet intelligi.

2. גֵּב tergum (unde « cervices vestrae » in *vulg.*), id quod eminet, cumulus, tumulus.

γ) Se posse innocentiam suam coram Deo tueri 13, 13-21.

Amicis ita reiectis id denuo asserere aggreditur, quod ei adeo cordi est, scil. se pati innocentem. Unde regreditur ad v. 3 et postulat, ne hanc suam cum Deo disceptationem interrumpant v. 13 « *Tacete paulisper ut loquar quodcumque mihi mens suggesserit* » ; — secundum hebr. profitetur se quocumque suo periculo libere velle querelis frena laxare.

Phrasis hebr. et transeat super me quid, i. e. quidquid super me venerit, interpretanda est S. Hier. hoc sensu : quidquid mihi in mentem venerit, forte memor [illegible] 7, 11 ; 9, 35 ; vult se querelis suis habenas laxare, et dolori satisfacere [illegible] (*Cord.*), id quod etiam a LXX et vet. lat. indicatur, cum [illegible] ; sinite, exhalem dolorem acrem, ne mei curam geratis, an mens pia vel impia suggerat (*Cord.*).

Verum non latet interpretes phrasin hebr. propterea aliquid aliud dicere indicatum ; [illegible] tacete et desistite a me ; constructio est quam vocant praegnantem, cf. Is. 41, 1 tacent ad me i. e. sileant et ad me advertant animum ; et transeat super me quidvis i. e. quidquid mihi eveniat, quodcumque [illegible], quidquid tandem mali mihi sit eventurum, etsi maiores poenas luere debeam (cf. *Pin. Cod. Cord. Malv. Mar. Var. Calm.* et recentiores). Idem *Chald. et transeat*[1] *super me aliquid* (i. e. quidquid fuerit).

Ita scil. magna cum emphasi suam de innocentia persuasionem pandit et ex amicorum mente addit : etsi hac mea contentione maiorem ac graviorem numinis irati vindictam mihi attraham ; illi enim in una poenitentia et humili sceleris confessione levamen pro Iobo esse repositum, iterato et firmiter asseruerunt (cf. 5, 17 ; 8, 5 ; 11, 14) et querelis auctum iri poenam (cf. 5, 2 ; 8, 20 ; 11, 4-6. 12. 20) non obscure innuerunt. Insuper ipse Iobus Deum secum agere maiori quadam severitate profitetur (cf. 7, 20 ; 9, 17-21 ; 10, 13-16) opinatus, minorum etiam naevorum rationem haberi et exigi apud Deum strictissimam (cf. 9, 20. 21. 30-32) ; quare facile intelligitur, cur in liberiore et acerbiore sermone, quo tamen uti *vult* ob animi amaritudinem et adversariorum contumaciam, periculum apprehendat, ne maiorem poenam incurrat, quam tamen animi quadam audacia spernit, ut uni satisfaciat desiderio, suam cum omni pondere innocentiam omni modo coram amicis palam proclamandi et vindicandi.

Post tale exordium res ipsa postulare videtur, prout bene advertit *Pin.*, ut iam nunc laxatis orationis habenis liberius loqui incipiat. Quare hic querelas inchoare dicendus est (cf. *Mar. Var.*). Haec explicatio v. 14 quam optime et verbis et contextui congruit ; v. 14 « *quare*

1. Syrus longius praet. exprimit : et loquar omne, quod transiit super me.

lacero carnes meas dentibus meis et animam meam porto in manibus meis »? — i. e. quae est culpa mea, qua tabefio, dolore excrucior, me ipsum quasi per dolorem et luctum discerpem, cur vitae periculo sum expositus, morti proximus (cf. *Cord. Tir.*)? Iste sensus fluit etiam ex textu hebr. : *propter quid* [1] *feram carnem meam in dentibus meis et animam meam ponam in manibus meis?*

Ultima phrasis saepe occurrit (cf. 1 Reg. 19, 5; 28, 21. Ps. 118, 109) neque ab ullo eius sensus in dubium vocatur; est enim vitae se periculo exponere, in vitae discrimine versari, vitam habere periculo expositam « quod enim in manu portatur, facile excidit, facile etiam diripi potest » (*Pin. Cord. Vav.*), vel ut iam S. *Hier.* explanat : « quotidie periclitor et quasi in manibus meis sanguinem meum porto » (ep. 106; Migne t. 22 c. 865). Prior quidem phrasis nullibi occurrit, sed certe est etiam proverbialis et, cum in hac quaestione duo membra sub una interrogationis particula simplici *et* inter se coniuncta sint, merito inter se fere parallela censeri possunt. Nam quod aliqui volunt, *carnem in dentibus ferre* esse idem ac *carnem periculo eripere* (— similitudine deprompta a lupo, qui, ne praeda ei eripiatur, eam ore et dentibus secum aufert [?] cf. *Hirz. Del.* —), vel vitae conservationi studere, vix credibile videtur, cum praesertim hoc loco *talis* et *tanta* oppositio inter utrumque membrum simplici *et* exprimeretur; esset enim tunc sensus : ad quid vitam conservare studeam? immo ad quaevis pericula illam volo proiectam! At, ut monui, *et* non est neque *immo potius*, neque *e contra*. Alii (*Ros. W.*) עַל־כֵּן praecedenti כֵּן arcte adnectentes vertunt *super quidquid fuerit* i. e. super quocumque tandem eventu, quodcumque tandem mihi evenerit. Sed *primo* עַל־כֵּן ubique significat *quare*, *quamobrem*, neque licet particulam adeo frequentem et notam inusitato prorsus significatu accipere; *dein*, etsi liceret, quid quaeso sani sensus habes in hac sententia : quodcumque tandem mihi evenerit, proiecta audacia volo vitam periculo exponere? annon idem est ac si diceres : etiam cum vitae periculo volo vitam periculo exponere — praeclara, puto, sententia! Alii demum censent, phrasin latinam esse praeoccupationem quandam, qua doceat amicos, non esse cur de ipso metuant quasi desperante, ac si diceret : cur me ipsum in rabiem abiens consumerem, cur me demum praesentissimo periculo obiicerem (cf. S. *Thom. Caiet. Pin. Malv.*)? Sed haec explanatio excluditur v. 13, neque potest ad textum hebr. et ad subsequentia adaptari.

Querelis igitur hac quaestione inceptis apposite pergit in textu hebr. *ecce occidet me* vel : *si occidet me, ad eum aspirabo* (i. e. Deo si me occidet cum desiderio obviam feror, quia mortem oxoptat, qua ex cruciatu liberetur, et mortem sibi proxime instare opinatur, cf. 3, 11-23; 6, 9; 7, 16. 21; 10, 20) *verum vias meas coram ipso defendam* i. e. id unum vult adhuc ante mortem, innocentiam suam coram Deo asserere et affirmare, se non mori mortem impii [2].

---

1. Haec verba *B.* ad antecedentem versum refert. Sed dein v. 14 nuda assertione constans languet.

2. Praetulimus in textu hebr. *Qeri* לוֹ pro לֹא quod in textu scribitur, quia *Aq.* et *Chald.* et *Syrus* et *S. Hier.* non לֹא sed לוֹ exprimunt.

Sed etsi לֹא legas (quod *Houbig.* vult), sensus non multum mutatur : en, occidet me,

Eodem modo etiam textus lat. explicari potest et debet v. 15 « *etiam si occiderit me, in ipso sperabo; verumtamen vias meas in conspectu eius arguam* »; — video sane Deum mihi certissimam mortem infligere (*Pin.*) et in talem praecise spero, talem exopto; non recusat mori; id expetit, quare *etiam* Deum qui eum morte afficiat, desiderio amplectitur; verum vitam suam probam fuisse coram Deo probare se velle asserit. Et hoc ipsum conscientiae suae testimonium, haec fiducia, qua audet fidenter suam causam coram Deo agere, ipsi iam est saluti, i. e. debet sufficere ad eum ab accusationibus liberandum, quia homo scelerum sibi conscius non tanta fiducia litem coram Deo expostulare auderet. Ita textus hebr. *iam hoc mihi in salutem, quia ad eum impius non accedet*, i. e. non audebit tali provocatione ad Deum accedere. [1]

In vulgata lectione v. 16 « *et ipse erit salvator meus* »; — haec spes et fiducia victoriae tandem obtinendae firmius exprimitur; illam autem inniti fatetur conscientiae testimonio « *non enim veniet in conspectu eius omnis hypocrita* »; — i. e. ut bene *Vav.*: « cum non ausit eius in conspectum venire homo nequam atque improbus, audeo ego conscientia optimae mentis fretus sistere me illi et apparere coram ». Cum innocentiae assertio adeo sit contra praeiudicatas amicorum opiniones et proinde Iobus merito timeat, ne sermonem ipsius fastidiant vel audire prorsus renuant, denuo eos exhortando compellat v. 17 « *audite sermonem meum et aenigmata percipite auribus vestris* »! — in hebr. magna cum emphasi: *audite audiendo* (i. e. sedulo, attente) *sermonem meum et declaratio mea* (sit) *in auribus vestris!* Bene in vulg. *aenigmata* dicuntur, quia Iobi propositio (pati scil. se innocentem) illorum captum penitus superat sicut aenigma quod solvi nequeat. Quare inviti quasi sunt auditores qui mentem suam Iobi expositioni occludant. Talibus autem unam eandemque rem necesse est iterum iterumque occinere et omni assertionis pondere proponere. Ex parte Iobi repetita declaratio, quam firmiter ea menti ipsius insideat, ostendit. Ita vis percipitur v. 18 « *si fuero iudicatus, scio, quod iustus inveniar* », — in hebr. magis nervose et concitate: *ecce, age, instruxi iudicium* (causam), *scio, quod ego iustificabor* (causam evincam, iustus apparebo et declarabor). Desiderat scil. litem instruere : « si recte riteque accedere permittar ad me tuendum, si ex ordine causam

---

non habeo aliam spem; ergo dicit se certo exspectare mortem, uti in alia lectione profitetur se anhelare ad Deum occidentem. — De *Aq.* cf. cod. syr. hexapl. p. 322 *g*. — Ceterum codd. sat multi praebent לוֹ (cf. de Rossi).

1. Hebraeum הִוא h. l. *hoc* esse accipiendum, iam suadet, ut bene adnotat *Pin.*, versio LXX καὶ τοῦτό μοι ἀποβήσεται εἰς σωτηρίαν et *vet. lat.* et hoc mihi eveniet in salutem.

meam dixero, si servata iudiciorum lege et consuetudine audiar, scio me iri absolutum » (*Pin.*). Quae in textu lat. sequuntur, animi hanc securitatem et desiderium mirifice produnt v. 19 « *quis est qui iudicetur mecum? veniat! quare tacens consumor* »? — veniat tandem, qui litem et criminis accusationem sit intenturus (*Pin.*); appareat, qui mecum iudicio contendat! *Deum* scil. invocat, ut ei rationem reddat, cur adeo affligatur. Taedet eum diutius exspectare ; cur moriar, antequam causam dixero? Reorum est et male sibi consciorum tacitos sisti coram iudice, tacitos mortis poenam subire ; non ita vult Iobus, sed innocentiae declarationem, quam amici oppugnant, coram divino tribunali affirmare. Eandem animi securitatem alio modo prae se fert textus hebr. *quis iste, qui disceptet* [1] *contra me* (i. e. me convincat, me sontem possit probare)? *quia tunc tacebo et exspirabo;* tunc volo lubens tacere et animum exhalare, si quis me criminis reum ostendat. *Deum* appellat, ut, si possit, contra eum in iudicio appareat ; Deum compellari patet ex v. 20. « Rem auspicaturus precatur Deum, ut dolorem et formidinem extenuet, cum sit perspicuum, duos hos affectus et discursum intellectus et verborum prolationem intercipere » (*Cord.*). Unde v. 20 « *duo tantum ne facias mihi et tunc a facie tua non abscondar :* v. 21 *manum tuam longe fac a me et formido tua non me terreat* »! — cf. 9, 34; manus Dei est plaga gravis qua a Deo affligitur ; formido Dei est terror maiestatis illius et sanctitatis immensitas, cuius comparatione nemo est iustus ; postulat, ut *communi* hominum norma et conditione iudicium instituatur; quod si fiat, profitetur se intrepide coram Deo suam causam defensurum.

g) Hac spe deiectus Deum misericordem implorat 13, 22-28.

Conditione litis proposita ipsam disceptationem inducere studet Deum precatus v. 22 « *Voca me et ego respondebo tibi; aut certe loquar et tu responde mihi* »! — i. e. « Deo optionem dat, ut sibi vel actoris vel rei partes sumat » (*Malv.*) « sive velit contra eum obiicere ipso respondente, sive respondere Iobo obiiciente » (*Men.*). Haec ipsa optio, quam Deo proponit, conscientiae testimonium egregium confirmat, cum ex eo solo proficisci possit. Actor et expostulans *vocat, loquitur* ; reus et defendens *respondet*. Modestius quidem Iobus 9, 15 sentire videtur, attamen nunc coram amicis suam asserere studet et tueri

---

1. רוב cum ל v. 8 in favorem alicuius litigare; hic vero עבוד *cum* al. i. e. ei adversari, cum vincere in disceptatione. An *S. Hier.* pro עַתָּה כִי legit יאת בוה *veniat, quare?*

integritatem[1]. Apposite enim notat *Ol.*: « pluribus suam fiduciam in Deum manifestam reddit, ut hac ratione amicos ad veram de se opinionem alliciat. Quod enim calamitates minui sibi et levari suppliciter oraverit et absque metu Deum allocutus fuerit, et iudicio cum eo contenderit, iustum eum esse evidenter ob oculos ponit ».

Fere mora aliqua facta, cum Deus non in arenam descendat, ipse Iobus expostulationem orditur v. 23 « *quantas habeo iniquitates et peccata? scelera mea et delicta ostende mihi* »! — bene *Malv.*: « propositio summa et veluti status totius causae his duobus versibus proponitur, quia Iob assumpta actoris persona cum Deo expostulans se tam bene sibi conscium esse ostendit, ut non possit statuere cum animo suo, se propter peccata sua tam graviter flagellari : ac proinde, si quid eiusmodi est (cuius se nescium profitetur), exponi sibi a Deo postulat ». Fiducia fretus fore, ut Deus non possit ei scelera ostendere (secundum consuetam iustitiae normam), in haec verba prorumpit. Quare denuo calamitate sua tamquam re inexplicabili pulsatur; unde avide causam scire expetens interrogat v. 24 « *cur faciem tuam abscondis et arbitraris me inimicum tuum* »? — cur favorem, gratiam mihi subtrahis et in me tamquam tuum inimicum indignationem et supplicia effundis, me ut inimicum tractans? Vultus Dei vel *lumen vultus* Dei favorem, prosperitatem, felicitatem, gratiam divinam dicit; avertere faciem, abscondere, indignantis est et odio habentis (cf. *Pin. Cord. Vav.*). Ipsa interrogatio prodit, Iobum non ea commisisse, quibus vindictae Dei exponatur. Quare transit ad misericordiam implorandam, rationem adducens ab indigno, per comparationem maiestatis divinae cum tenuitate et exilitate sua (*Malv.*). Unde v. 25 « *contra folium, quod vento rapitur, ostendis potentiam tuam et stipulam siccam persequeris* »! — nervose in hebr. cum interrogatione *an folium excussum terrebis* (exagitabis, terrore concuties)? Num tanti ego sum, homo frondi depulsae et caducae et arenti stipulae similis, ut me invadas ad specimen et ostentationem potentiae (*Vav.*)? annon indignum tanta maiestate misellum homuncionem tot ac tantis obruere calamitatibus (*Malv.*)? At ita fere secum agi non sine dolore profitetur v. 26 « *scribis enim contra me amaritudines* »; — i. e. utique, ita est, me misellum persequeris, nam iudiciali quasi rescripto acerbissimas poenas in me decernis; verbum *scribendi* iudiciale est (cf. *Pin. Vav. Malv.*) et forense,[2] et firmam ratamque dicit sententiam, cui

1. Immerito *Caietanus* aliique pauci Iobum peccati traducunt vel verba eius esse scandalosa et arrogantia plena dicunt; quam sententiam bene refutant *Pin. Cord.*

2. Ita iure etiam recentiores; solum *Hitz.* de medico explanat, qui medicinam amaram praescribat.

nulla fit derogatio. Iobus vero haesitans quasi, ut bene notat *Ol.* (et similiter *Greg. Br. Sanct.*) et eorum quae ei contigerunt causam non reperiens, animum in omnes partes versat; cumque nullorum peccatorum, quae virili et firmata aetate admisisset, conscius sibi esset : num, inquit, eorum quae adolescens exsistens commiseram, poenas nunc a me exigis? Unde « *et consumere me vis peccatis adolescentiae meae* »; — vel ex hebr. *et hereditare me facis peccata adolescentiae meae* (cf. *Pin. Vav. Mar. Malv.*) i. e. haec, vel potius eorum poenae quasi hereditario iure ad me devolvuntur (*Malv. Cod.*), in qua re peculiare divinae severitatis documentum cernitur (cf. Ps. 24,7). Quare Iobus colligere potest Deum adversus ipsum uti norma quadam strictiore. Illam autem hereditatem quam aggressus sit hisce describit v. 27 « *posuisti in nervo pedem meum; et observasti omnes semitas meas et vestigia pedum meorum considerasti* »; — i. e. in cippo, me coerces doloribus et constringis quasi sontem compedibus vinctum; ita scil. dolores illustrat ex similitudine hominis in vincula coniecti (cf. *Cord. Sa, Mar. Vav. Malv. Tir. Men.*), neque ullum adest malorum effugium, Deus enim arctissime cum malis adstrictum retinet; hoc delineat dicens (ex hebr.) *et observas omnes semitas meas et circa radices pedum meorum* (arctum limitem) *designas* i. e. prohibes me, circumcludens quasi armatis custodibus (*Malv.*) et pedes (talos?) lineamentis arctis circumscribis et includis, ne effugiam, ne ex miseriis latum unguem discedam (cf. *Malv. V.*). Veteres fere exponunt de districta actionum apud Deum ponderatione; sed ad contextum aptior est ille sensus, quem in catena graeca sub nomine Polychronii et Olympiodori invenimus : « malis me quodammodo implicatum vinxisti, ut ulterius progredi non liceat », quem *Malv.* et recentiores sequuntur. *Radices* pedis talos, plantas intelligunt, solum *Hitz.* ipsos pedes. Ad ipsum vero morbum Iobi alludi, quo pedes in immensum intumescebant neque Iobus gressum figere poterat, facile dixeris. [1]

Ita mecum agis, lamentatur Iobus, cum tamen vilis sim et corruptioni obnoxius (*Men.*), vel potius, ita me affligis, ut iamiam morti et dissolutioni sim proximus v. 28 « *qui quasi putredo consumendus sum et quasi vestimentum quod comeditur a tinea* »; — i. e. neutiquam effugere possum, nam corpus iam computruit et sanie tabeque diffluit (*Cord.*). In hebr. *et ipse* (homo? ego?) — *sicut putredo veterascet*

---

1. Sensum vix diversum praebent LXX εἰς δὲ ῥίζας ποδῶν μου ἀφίκου quasi dicant : totum corpus usque ad imos pedes doloribus penetras; *vet. lat.* et *vulg.* hoc autem de oculo Dei omnia penetrante exposuit; verbum חקה (ceteroquin in pual; in *vulg.* exprimitur *depingere* Ez. 8, 10; 23, 14; unde pro hithp. facile fluit *lineamenta ducere pro se*, alium in suum commodum certis limitibus includere.

(defluit, marcescit, deficit) *et sicut vestimentum* (quod) *comedit tinea.* Ita suam conditionem bene exprimit, simulque gressum facit ad subsequentia [1], ad generalem hominis miseriam et imbecillitatem; quae omnia Deo repraesentat, ut spectaculo moestissimo commiserationem excitet (*Cord. Men.*). Est vero comparatio et descriptio ad morbi genus prorsus apta.

h) **Vitam esse miseram et ab origine immunda culpis obnoxiam 14, 1-6.**

Et primo quidem generalem hominis miseriam delineat ex brevi vitae tempore eoque afflictionibus repleto. Unde v. 1 « *Homo natus de muliere brevi vivens tempore repletur multis miseriis* » ; — in ipso ortu *de muliere*, utpote re fragili, infirma (cf. Ier. 51,30. Eccli. 42, 14. 1 Tim. 2,14 ; *S. Greg. S. Thom. Pin. Cord.*) miseriae quasi prolusio fit. Iam vitam brevem, fugacem, caducam depingit v. 2 « *qui quasi flos egreditur et conteritur, et fugit velut umbra et nunquam in eodem statu permanet* » ; — in hebr. ultimum membrum est sine addito *et non permanet* (non stat, non subsistit). Flos citissime ac levi de causa marcescit, et quid in se vanius, magis inconstans quam umbra? cf. Ps. 89,6. Is. 40, 6-8. Eccli. 14,18. Sap. 2,5. Ps. 101,12 etc., unde altera hac comparatione vitae conditio labilis multum augetur. Iam iterum secum miratur Iobus v. 3 « *et dignum ducis super huiuscemodi aperire oculos tuos* »? — hebr. *insuper super eum aperis oculos tuos* i. e. eum, actiones eius atque cogitata accurate ac diligenter observas, examinas, ut si quid minus rectum deprehendatur, punias ; ita merito *S. Greg.* : « Deo oculos aperire est iudicia exercere, quem feriat videre » et similiter de inquisitione *Br. Rup. Pin. Cord. Cod. Vav. W.* ; nam ab aliis (*Did. exp. in. S. Thom.*) hoc parum apte ad *benignam* Dei curam referri, etiam membrum subsequens suadet « *et adducere eum tecum in iudicium* » ; — hebr. *et me adducis in iudicium tecum* i. e. me sententia decretoria punis, me condemnas, me lite et iudicio persequeris (cf. *Cord. W.*) [2].

Tam districtam Dei inquisitionem et punitionem abesse debere ab hominum conditione, ulterius probat ex origine humana iam immunditie infecta. Unde potius decere ait divinam maiestatem, ut homini infirmo et peccanti indulgeat et severitatem connivendo temperet.

---

1. Unde ratio vix apparet, cur hic v. cum *B.* e sua sede quam in omnibus veterum testimoniis occupat, transferendus sit ad 14, 4.

2. Hic sensus est genuinus ; nam quem alii volunt : me tecum adducis ad disceptationem forensem (*Vav. Cod. Mar.*), et parum dicere constat et non esse ex Iobi mente, quippe qui ad disceptationem forensem cum Deo admitti cupiat.

Nam quaerit in hebr. *v. 4 quis dabit mundum de immundo? ne unus quidem*; ita ad verbum. Optime cum veteribus et *W. Le Hir*, *P. interrogationis* forma retinetur, quia in verbis לֹא אֶחָד *responsio* sequi videtur; quae responsio vel dicit « ne unus quidem talis proferri potest » (*Malv. Sa, Mar. Cod. Pin. Le Hir*) vel « nemo efficiet mundum de immundo » (*W.*). Prius quod LXX quoque et *vet. lat.* sequuntur, sane aptius est et magis ad interrogantis mentem, qui certe diserte exprimere vult, neminem omnino ab omni labe purum posse reperiri. Recentiores (*Hirz. Del. Zsch. Hitz.*) formulam מִי־יִתֵּן, uti saepe occurrit, vertunt : « utinam esset mundus ab immundo; ne unus quidem est ». Sed bene veteres *interrogationem* exprimunt.

Iam de sensu accuratius est dispiciendum. *Vav.* enim hebr. ita explanat, ut *ex immundo* non hominis originem ab alio immundo dicat, sed eiusdem hominis statum, e quo sit eripiendus et ad munditiem transferendus; neque enim alium sensum invenit quam hunc : quis immundum hominem mundare poterit? Similia habet *Cod.*: « quis se praestabit mundum a peccato »? Et *Hitz.* particulam מִן — *inter* explanat : « utinam foret mundus inter immundos »!

At reliqui interpretes fere omnes etiam recentiores *originis* notam in versu deprehendunt, idque iure merito. Nam *particula* de se ad id proxime est facta et accommodata; *sensus* autem mirifice ad rem confert; nam si ipsa iam origo hominis est immunda, si vitam trahit ex stirpe immunda, si ipse ex fonte immundo quasi in hanc vitam effluit et proin ipsa natura in suis iam primordiis sit labe infecta, quid fortius, efficacius, aptius dici poterat ad institutum illud, quod hoc loco Iobus prosequitur[1]? Vult Deum flectere ad miserationem, cupit, ne in leviter peccantem adeo animadvertat; quare ipsius naturae et originis vitium obtendit : quid mirum, si istius originis labisque scaturigo et explicatio, i. e. peccata sequantur? nonne homo eo magis venia et commiseratione dignus? Accedit, quod modo v. 1 *originis* mentionem fecerat, unde illam etiam hoc loco non a loquentis mente exsulare posse facile concesseris.

Quare *sensum* optime expressit *S. Hier.* qui vertit v. 4 « *quis potest facere mundum de immundo conceptum semine* »? — quae eius explicatio eo magis est attentione digna quia recedit a LXX et *vet. lat.* : « quis enim erit mundus absque sorde »?[2] Sed etiam hanc sententiam

1. Quare *B.* non possum assentiri, qui hunc v. e textu eliminat, quia Iobus « non vult hominem excusare, sed Deum ad commiserationem commovere » quasi ad hoc versus nihil conferret! Praeterea nonne est *audacius*, contra omnia veterum testimonia textum mutilare?

2. Similiter *Doederlein* ex hebr. vertit : « quis dabit mundum? immunis a foeditate nullus est ». Sane melius *Le Hir:* quel être pur est sorti d'une source infecte? Pas un; et *Renan:* qui peut tirer la pureté de la souillure? Personne!

Ol. de peccato originali explanat, et ita esse ex mente interpretum illam intelligendam patet ex membro adiuncto : « nec unus quidem, etiamsi unius diei fuerit vita eius super terram », ita enim hebr. אֶחָד לֹא acceperunt. Illud « non unus » *Hier.* certe magistrum suum in hebr. secutus de Deo interpretatus est : « *nonne tu qui solus es* »? — habet enim *Chald.*: « nisi Deus, qui unus est, qui parcet ei ». Sed non perspicitur, quomodo talis explanatio sit ad mentem Iobi, qui hoc loco nullo modo efferre vult a solo Deo posse immundum peccatorem purgari, sed in eo est, ut ostendat, neminem a Deo insontem haberi, ut bene iam notant *Pin. Sa, Mar. Malv. Cod. Tir.* et versio gr. et *vet. lat.* exprimunt. Textus doctrinam de vitiata hominis origine vel de peccato originali satis clare continet, unde merito tot Patres, quos vide apud *Pin.*, et interpretes catholici, immo et multi ex protestantibus illam hoc loco doceri contendunt. Vitium enim tanta cum amplitudine et generalitate *naturae* et *origini* inesse dicitur, ut illam corruptionem non ex singulorum hominum peccatis exortam esse censendum sit, sed ut aliquod ipsius naturae peccatum subesse non obscure indicetur; cf. Ps. 50,7.

Accedit lamentationi huic, quod vita arctis limitibus continetur, ergo Deus saltem ne addat flagella. In hebr. v. 5 et 6 unam periodum constituunt : *si dies eius decisi* (determinati) *sunt — numerus mensium eius apud te est, terminum eius tu fecisti et non praetergredietur — oculos averte ab eo et quiescat.* Idem sensus in latino v. 5 « *breves dies hominis sunt, numerus mensium eius apud te est; constituisti terminos eius qui praeteriri non poterunt* »; — i. e. si ei praescripsisti brevem vitae finem, ne adiicias novam calamitatem (*Mar.*). Bene *breves* dies dicuntur, nam ita *praecisi, definiti* dies intelliguntur. Ubertim exponit, quantopere hominis vita ab uno Deo dependeat. Precatur v. 6 « *recede paululum ab eo, ut quiescat* »; — i. e. ex hebr. *averte oculos ab eo*, scil. remove exactionem illam et observationem permolestam (*Pin.*), remove plagas quibus tam studiose me persequeris, ut aliquantulum respirem; « *donec optata veniat sicut mercenarii dies eius* »; — finis diei et laboris exoptatissimus est mercenario; sufficiat, ut homo habeat labores tamquam mercenarius (7,1), saltem ne oneretur supra hanc operam; vitae enim molestia iam tanta est, ut finem eius avide exoptet, sicut operarius finem diei, quo labor cessat (cf. *Pin. Mar. Malv. Men. Tir.*). Eundem sensum exhibet hebr. *donec delectetur tamquam mercenarius die suo* (cf. *Cod. Mar. Malv. Hitz.*).

Ita cum *S. Hier.* עַד in sua nativa significatione retinetur; alii explicant : recede ab eo saltem usque adeo, ut sicut mercenarius die suo gaudeat, qui scil. praesentem laborem et aestum spe mercedis et cessationis temperat

(cf. *W. Hirz. Zsch.*), et ita iam, ut videtur, LXX et *vet. lat.*: « requiescat et placeat ei tamquam mercenario dies sua ». Sed cum mercenarius vespere demum labore finito gaudeat, interpretatio *Hier.* est retinenda. Quod vero aliis placet: « usque dum exsolverit ut mercenarius diem suum » (*Malv. IV. Del.*), et a sensu videtur alienum, quia operarius *non quiescit*, usque dum exsolvat diem suum, et a significatione רָצָה[1], quod verbum ad gaudium et beneplacitum semper refertur.

i) Vitam hanc tantum semel concedi 14,7-12.

Eo magis est a Deo petendum, ut *recedat*, ne addat flagella, quia *hanc* vitam homo semel tantum vivit. Ad miserationem commovendam hominis sortem ab arbore hac in re vinci insigni comparatione illustrat; v. 7 « *Lignum habet spem* »; — hebr. cum emphasi: *nam est arbori spes* (exspectatio); quaenam? « *si praecisum fuerit, rursum virescit et rami eius pullulant* »; — in hebr. hanc spem magis exaggerat et *surculus eius non cessabit* i. e. propago eius non desinet (vel LXX et *vet. lat.* « et germen eius non deficiet »), i. e. ita revirescit, ut quasi vitam semper duraturam inchoet. Ita arbori evenit, si *vi* succiditur. Sed etsi per naturam ipsam ad senium et mortem adducitur, tamen denuo ipsa natura largiente ad novam vitam revocatur. Tam liberaliter natura arboris vitae provisum esse voluit! Magno sane artificio psychologico auctor sacer Iobum depingit in hac comparatione verborum copia exspatiantem; v. 8 « *si senuerit in terra radix eius et in pulvere emortuus fuerit truncus illius*, v. 9 *ad odorem aquae germinabit et faciet comam quasi cum primum plantatum est* »; — bene sensum dedit; *facere comam* poeticam redolet locutionem de arborum coma i. e. foliis. In hebr. *ex odore aquae* i. e. simul ac aquam gustaverit, *germinabit et faciet ramos*[2] ὥσπερ νεόφυτον « sicut novella » ut bene LXX et *vet. lat.*

Quam vero huic comparata hominis sors est deploranda! v. 10 « *homo vero cum mortuus fuerit et nudatus atque consumptus, ubi quaeso est* »? — In hebraeo brevissima incisa concitate inter se sequuntur: *et vir moritur et confectus iacet et exspirat homo et ubi*

---

1. Nam רָצָה neque Lev. 26, 34. 41 neque 2 Chron. 36, 21 proprie est *debitum persolvere*; cf. *Keil* ad l. c. neque obstat Is. 40, 2.

2. Id de lauro potissimum inter alia valere, *Pin.* observat, qui Plinii locum (16, 31) in medium profert: « quarundam radix vivacior superficie, ut lauri; itaque cum truncus inaruit, rescissa etiam laetius fructificat ». At de variis arboribus idem valere, cf. *Del. Hitz.*

est? Responsum habetur v. 11 abiit et v. 12 neque unquam revertetur: v. 11 « *quomodo si recedant aquae de mari, et fluvius vacuefactus arescat :* v. 12 *sic homo cum dormierit non resurget; donec atteratur coelum, non evigilabit nec consurget de somno suo* » . —

Hominem evanescere ex vita mortali nullo quasi vestigio relicto, v. 11 duabus comparationibus illustratur. Oratio in hebr. particulis comparationis omissis est magis concitata et viva et proinde ad loquentis animum apta; v. 11 *abierunt aquae de mari* (lacu) *et fluvius arescit et siccatur;* v. 12 *et homo dormit et non surget; donec iam non sint coeli, non evigilabunt neque excitabuntur de somno suo.*

Sensum bene expressit *vulg.* Dilapsis aquis lacus et fluvius perpetua siccitate ne vestigio quidem aquarum manente laborat, ita mors hominem aufert a terra, quasi nunquam ibi fuisset (cf. 7,10); nunquam ad *hanc* vitam eodem modo secunda quadam vice in terris degendam [1] revertitur; ita v. 12; patet enim ex orationis contextu et ex v. 7-9 de *hoc* reditu esse sermonem (cf. *Ol. Cord. Mar. Malv.*), quare rem superfluam agunt, qui de resurrectione mortuorum hoc loco solliciti sunt, vel explanare velint : hominem tantum non resurrecturum, donec duret status praesens (*Est.*). Coeli *aeterni* erunt (cf. Ps. 148, 6. Ier. 31,35), immutatione innovabuntur in saeculorum consummatione, neque vero peribunt (cf. 2 Petr. 3.13. Rom. 8, 21. Apoc. 21,1. Is. 65, 17; 66,22); unde maxima cum emphasi illud in aeternum fore negat.

k) Neque e limbo ad hanc vitam esse reditum 14,13-17.

Imagine arboris revirescentis in Iobi animo desiderium excitatur, ut simili modo, postquam ira Dei deferbuerit, ad vitae conditionem suavem redeat; quare interea in limbo abscondi ibique meliora tempora exspectare cupit. Ita v. 13 « *Quis mihi hoc tribuat, ut in inferno protegas me et abscondas me, donec pertranseat furor tuus, et constituas mihi tempus, in quo recorderis mei* » ? — i. e. utinam abderes me et occultares in Scheol (cf. 6,8), donec avertatur (sedetur) ira tua [2]. Refugit enim Iobi animus ab illa cogitatione, se migraturum ex hac vita in amicorum opinione tamquam hominem scelestum et a Deo maledictione obrutum; idque in doloribus acerbissimum est; unde cum vitae finem ineluctabilem sibi imminere opinetur, id solatii expe-

1. Id quod iam exprimit *Barh.* quoque in scholiis ad hunc v. « non reverteutes ad mundum hunc » (vel *hanc vitam*).

2. מִי יִתֵּן particula est optantis; שׁוּב cf. 9, 13. Gen. 27, 45.

tit, ut regressus ad hanc vitam Dei testimonio et approbatione potiatur. Talem si praefixum sibi videret terminum, in quo Deus irae praesentis oblitus ipsius amantissime recordaretur, iam laetus molestias sustineret (cf. *Pin. Sanct. Cord. Vav. Men. W. P.*, qui rite de *reditu in hanc vitam* verba exponunt, non (ut *Ol. S. Thom. Cod.*) de resurrectione). Bene *Men.* sequentia ita adnectit : « sed quid ego ea opto quae fieri non possunt, cum a morte ad vitam regressus non sit »? ita v. 14 « *putasne, mortuus homo rursum vivat? cunctis diebus quibus nunc milito, exspecto, donec veniat immutatio mea* »; — in hebr. *cunctis diebus militiae meae* i. e. duri laboris et quasi molestissimae stationis (cf. 7,1). Bene explicat *Malv.*: « equidem si ita res haberet, nempe quod mortuus revivisceret, toto tempore vitae meae exspectarem, donec veniret immutatio sortis meae, i. e. optarem mori, ut sors mea in meliorem commutaretur ». *Immutatio* non est immortalis illa resurgentium regeneratio (*Pin. Cord. Tir.*), sed e statione militari et labore discessus et sortis eius immutatio, qua in statum prosperum restituatur, postquam in limbo sit absconsus, uti optaverat. Unde hebr. commode transferas *cunctis diebus exspectarem*, in illa scil. hypothesi.

Iam animo sibi fingit illam ipsam restitutionem, illudque felicissimum momentum, quo Deus benigne ipsius recordabitur, quo eum in hypothesi v. 13 assumpta e limbo evocet novumque cum ipso ineat amicitiae foedus : v. 15 « *vocabis me et ego respondebo tibi; operi manuum tuarum porriges dexteram* »; — pulcherrime illam animi voluptatem describit, quam ex familiaritatis cum Deo restitutione percepturus esset; apte vertes hebr. *tu vocares et ego responderem tibi; opus manuum tuarum desiderares* i. e. quanta exsultatione voci tuae gratiosae responderem, quanto iubilo perfunderer, si iterum me, creaturam tuam, amore benigno amplectereris; ita optime delineat hypothesin illam v. 13 propositam : *donec transeat furor tuus et constituas mihi tempus, in quo recorderis mei.* Est haec hypothesis prolusio quaedam et proximus quasi gressus ad *ipsius resurrectionis* spem, quam postmodum demum tamquam fidei culmen et fastigium 19, 25 profitetur. Quare non sine artificio auctor sacer paulatim eximiam illam spem praeparat Iobumque sensim ad illam evehit. Sensus hic bene adumbratur apud *Malv.* : « revocares me in vitam hanc et me redivivum sisterem ».

Ab hac spe deflectit ad miseriam conditionis praesentis adeo illi desiderio oppositam v. 16 « *tu quidem gressus meos dinumerasti, sed parce peccatis meis* »; — i. e. nunc quidem acerbe me punis omnes actus meos accurate perscrutatus; omnia in numerato habes, ut singula punias (cf. *Malv. Cord. Pin. Calm. W.*); quod ne fiat deprecatur

At Deus ab exactione illa non cessat; v. 17 « *signasti quasi in sacculo delicta mea, sed curasti iniquitatem meam* »; — i. e. in tuo rationario et in tabulis tuis illa sunt perscripta (cf. *Pin. Cord. Vav. Mar. Malv. Tir. W.*) et magna cura in tua memoria servantur, ut punias; Deus *curare* dicitur i. e. diligentem curam adhibere in punienda iniquitate, exigendo maiores poenas (cf. *Pin. Mar. Malv.*). Si vero Iobus post innocentiae assertionem sollemnem et saepius repetitam de suis *delictis* loquitur, id accipi debet, uti 9, 32; 13, 26. Quare apte adnotat *Phil.* : « si qua ad Deum per totum saeculum vitae meae peccata commisi, in unum omnia per diversa temporum spatia congregasti, ut secundum *rigorem* iustitiae tuae pro cunctis simul mihi retribueres ». Iobus porro ita loquitur quia alias poenas nisi *vindicativas* nondum clare cognoscit, quas ultra mensuram sibi infligi conqueritur. Castigationes autem in alios etiam fines fieri, ipse quidem subobscure iam innuit (cf. 12, 17 seq.), at explicite progressu disceptationis explicabitur.

Ita quidem textus lat. — Arctius ad antecedentia adnectitur textus hebr., qui felicem illam conditionem, quam animo sibi finxerat, ulterius delineat : *quia tunc gressus meos dinumerares* (omni sollicitudine et amore mihi provideres), *neque diligenter servares* (apud te) *peccatum meum* (sed benigne oblitus indulgeres); *conclusum in sacculo esset delictum meum* (cf. 13, 26; i. e. penitus illud deleres venia et oblivione) *et oblineres iniquitatem meam* (i. e. illam penitus exstingueres) [1].

Verum generatim aliter explicant. Iam v. 15 aliqui (*Malv. Vat. W.*) ad iudicialem disceptationem referunt, uti 13, 22. Sed cur Iobus expostulationem illam, quam *frustra* fecerat, repeteret? idque postquam a 13, 23 *alteram* partem (*certe loquar ego*) amplexus est? Formae autem verbales in hebr. תִּקְרָא, etc., eaedem plane sunt, quae in antecedentibus ; ergo eodem modo accipiendae, praesertim cum nulla particula transitum ad aliud indicet. Porro explicatio, quam dedimus, optime ad antecedentia adnectitur. Hunc nexum cum superioribus etiam LXX et *vet. lat.* retinent et exprimunt : « deinde vocabis me ».

Magis dubius est v. 16 et 17; illos enim ad conditionem Iobi praesentem, eius hypothesi et desiderio adeo oppositam, magno consensu referunt; in quam explicationem iam LXX et *vet. lat.* et *S. Hier.* praeierunt. Quamvis enim in hebr. eaedem formae verbales (תִּסְמֹר etc.), serventur, tamen propter כִּי עַתָּה conditionis et temporis mutationem indicari volunt. At immerito, cum particula illa etiam in iam inceptis pergat; cf. Is. 43, 19. Iud. 13, 12. 2 Reg. 18. 21. Hebr. vel explicant per *interrogationem : nonne peccata mea diligenter servas* [2] (cf. *Malv. III. Ros. W. Hirz.*)? vel : *te non contines* (iram non contines) *super peccatum meum* (cf. *Cod. Del.*); et v. 17 b *addidisti super iniquitatem meam* [3]. Simile quid exprimunt LXX et

1. Ita טָפַל sensu proprio *agglutinare, oblinere* (cf. *Hitz.*).

2. *B.* particulam לֹא e textu removet; quod utique bene fit, *si* versus ad praesentem Iobi conditionem refertur.

3. טָפַל scil. sensu translato cf. 13, 4 *fabricatores mendacii*, Ps. 118, 69 *multiplicata* est super me iniquitas superborum.

vet. lat. : « annotasti, si quid invitus erravi » et praesertim *Sym.* ἐπισωρεύσεις γὰρ τὴν ἀνομίαν μου « accumulabis enim iniquitatem meam ». Quare textum lat. *sed curasti* non cum plerisque in bonam partem accipere licet textibus et *hebr.* et *graeco* refragantibus [1]. Verum explicatio supra proposita etiam ex eo commendatur, quod v. 18 in textu hebr. adest oppositio ad antecedentem illam hypothesin v. 13-17 : וְאוּלָם *verum enimvero* i. e. at non est ita, ut animo concepi.

l) Spem humanam penitus collabi 14,18-22.

Ad suas miserias oculos intendens hominum spem fugacem et interitui proximam ex eo delineat, quod quae firmissima sint (montes, saxa, lapides, terra) tamen paulatim defluant et consumantur, *quanto magis* miserrimus homo (cf. *Cord. Malv. Vav. Tir. Men.*)[2] !

Eum in modum v. 18 « *Mons cadens defluit et saxum transfertur de loco suo;* v. 19 *lapides excavant aquae et alluvione paulatim terra consumitur, et hominem ergo similiter perdes* » ; — in hebr. v. 19 *abluunt effusiones earum pulverem terrae* (bene sensum *Hier.*) *et spem hominis destruis* i. e. eodem modo hominis spem adimis, in nihilum redigis. Bene *Men.* : « ut saxeos montes tempus exedit et lapides aut sua sponte aut torrentium vi devolvuntur aut alio trahuntur, ut gutta paulatim lapidem cavat et fluminis alluvione ripae minuuntur, sic homines diuturnitas temporis absumit », vel ita spes hominis defluit, dilabitur.

Hanc miseriam ulterius proponit v. 20 « *roborasti eum paululum, ut in perpetuum transiret; immutabis faciem eius et emittes eum* » ; — i. e. « hac lege vitam das et robur, ut perpetuis alterationibus continuo immutetur ac tandem ex hac vita emittatur » (*Cord.* similiter *Men. Tir. Vav.*). In hebr. *praevales ei in perpetuum et abit; faciem eius immutans* (es) *et abigis eum;* Dei potentia homo morti traditur, quam effugere non potest; faciem mortis colore immutat Deus eumque e vivis expellit (cf. *Pin. Malv. Tir. Cord. W. Zsch. P.*). Ita scilicet hominis spes concidit. Iam exsequitur, quis sit status post exitum a vita ; v. 21 « *sive nobiles fuerint filii eius sive ignobiles, non intelliget* » ; — in hebr.

---

1. Bene in cat. gr. *Ol.?* : « tu vitae meae gressus in numerato habes, neque te quidquam rerum mearum latet, sed qualitatem et numerum earum complexus es, atque ita enumerasti et investigasti ut tamquam in marsupium congesseris et concluseris iniquitates meas, ita ut nulla ex iis pereat sed omnium poenas exsolvam. Oportebat autem te propter naturae imbecillitatem delicta praeterire ; hoc autem non fecisti, verum subtiliter et accurate singula examinasti, ac quasi tabulis inscribens, eorum etiam supplicia exegisti quae invito me commissa sunt ».

2. Alii connectunt in hunc modum, ut Iobus immanes cruciatus deprecetur hac ratione : fortissima quaeque, ut montes, saxa, vetustate exeduntur, quomodo ego in tanto cruciatu stare possim? timendum, ne penitus animum despondeam (cf. *Ol. Pin. Cod. Calm.*). Sed prior nexus facilior est magisque ad v. 22 aptus.

honorantur filii eius et nescit; vilescunt et non intelligit de illis i. e. iam non carissimorum cura tangitur; nescit in limbo, quid eveniat filiis, nescit scil. *naturali cognitione* (cf. *Greg. Pin. Cord. Est. Men. W. P.*), quare bene *Gord.* : « en novam in inferno miseriam » omnia scil. concidere, ipsum amorem tenerrimum vel non adesse vel ignorantia de pignoribus carissimis cruciari, cum morte omnis sensus ac notitia rerum terrestrium ita eripiatur, ut *naturali conditione* iam non possit acquiri. Iam quantopere hominis spes pereat, demum concludit v. 22 in hebr. *tantummodo super se caro eius dolebit* et *super se anima eius lugebit* i. e. quod bene *Cod.* adnotat : « post mortem nullus sensus eorum quae hic contingunt posteris nostris; sed quisque suae animae, suae carni dolebit i. e. sibi ipsi »; statum scil. describit post mortem : *corpus* sepulchri corruptione consumitur, id quod haud incongrue *carnis dolorem de se* dicit, quia dissolutionem illam et corruptionem naturaliter horremus et inviti tantum patimur et quia corruptio illa est quasi dolor consumens et exedens carnem; *anima* moestitia tabescet de se. Hoc modo homo in limbo se solo vel potius suis partibus occupatur, suo tantum moerori immoratur, nulla aliarum rerum habita vel ratione vel cura (cf. *W. P.*). Ita plene et plane proposuit [1], quid sit *spem hominis perdis* v. 19 [2].

In textu *vulg.* inseri invenimus *dum vivet;* quare ibi oratio non progreditur, neque de conditione post mortem agit, sed ad miseriam vitae praesentis delineandam revertitur, quam formula generali quasi axiomate claudat v. 22 « *attamen caro eius dum vivet dolebit, et anima illius super semetipso lugebit* »; — i. e. haec vita doloribus et corporis et animae abundat et circumfluit malis (cf. *Malv.*) et homo non potest non esse miser, cum nunquam vacet a doloribus caro neque ab angoribus animus (*Men. Tir. Vav. Calm.*). Sed ad sermonis progressum et ad v. 21 eiusque nexum multo melius accommodatur illa explanatio, quae ex textu hebr. petitur.

---

1. Quaro *B.* immerito vult hos duos versus exsulare ab hoc loco et poni 21, 21. Num verum est, hisce versibus « nihil excogitari posse magis alienum a scopo querelae »?!

2. Sensus iste etiam ex LXX et *vet. lat.* eruitur : « sed carnes eius super eum doluerunt et anima eius super eum luxit »; quo sors hominis a v. 20 descripta aptissime concluditur.

ALTER DISPUTANTIUM CONGRESSUS

(Cap. 15-21).

I. DISCEPTATIO CUM ELIPHAZ. CAP. 15-17.

1. SERMO AB ELIPHAZ HABITUS. CAP. 15.

Arg. — Eliphaz acerbe reprehendit Iobum, quod stulte et impie sit locutus (15, 1-6). Dein Iobi *assertionem* reiicit, quia Iobus aliis non sit praestantior sapientia, immo vincatur et quia tali modo et Deum repudiet et superbia efferatur (15, 7-13). Iam *directe* oppugnat Iobi assertiones *a*) ex eo, quod ne angeli et coeli quidem sint mundi (15, 14-16), *b*) ex traditione et veterum auctoritate, qua constet impios non esse felices sed terroribus exagitari (15, 17-24). Hisce vero impium cruciari, quia in Deum rebellis et contumax sit, quare et ipsi et soboli eius ingruere ruinam ineluctabilem (15, 25-35).

Duas Iobi assertiones Eliphaz perstringit, ipsum cruciari innocentem et impios saepe prospere agere. Ut suam de recompensatione doctrinam tueatur, id maxime urget, impios semper terrore angi et demum misere interire.

Partim igitur, uti fit in disputationibus, cum disputantium quisque a suo loco et opinione vel nequeat vel nolit dimoveri, dicta repetuntur aut fere eadem quae antea argumenta promuntur (cf. v. 10. 14-19. 29 et seq.), partim etiam nova quaedam inseruntur, quae disputationis *progressum* indicant duplicem: *a*) *psychologicum;* maiore scil. acrimonia Eliphaz in Iobum invehitur, cum arguens summae impietatis, blasphemiae (v. 2-6) et innumerabilium peccatorum (v. 16) et in impii descriptione ad Iobum acerbe alludens (v. 25-28; v. 30 et seq.); unde maior quoque exsistit Iobi patientis probatio; *b*) *philosopho-theologicum;* Iobi enim thesis de frequenti impiorum felicitate impugnatur assertione, illos saltem angi perpetuis terroribus (v. 20-24), quos certo certius ruina subsecutura sit.

a) Iobus vehementer reprehenditur 15, 1-6.

Eliphaz acerbum fert de Iobi sermone iudicium: Iobum vehementiae, insolentiae, arrogantiae, furoris insimulat; v. 2 « *Numquid sapiens respondebit quasi in ventum loquens et implebit ardore stoma-*

chum suum »? — i. e. num decet vere sapientem vana ac futilia proferre et animum ira et excandescentia inflare? Dein arrogantiae crimen ei imputat v. 3 « *arguis verbis eum, qui non est aequalis tibi, et loqueris, quod tibi non expedit* »; — i. e. Deum audes reprehendere infinitis modis praestantiorem (cf. *Cord.*). Immo etiam impietatis accusationem ei impingit et crimen eversae quantum in ipso est religionis : v. 4 « *quantum in te est, evacuasti timorem et tulisti preces coram Deo* »; — asserens scil. te affligi a Deo sine tua culpa venerationem Dei in aliis frangis; homines enim ipsos Dei cultores ita a Deo tractari si tibi crediderint, Dei timorem et cultum abiicient (cf. *Malv.*). Iobus quippe ex mente Eliphaz iustitiam Dei eiusque providentiam negavit (*Cord. Tir. Vav.*).

Sed ut talia proferret, ab iniquitate tamquam a magistra edoctus est : v. 5 « *docuit enim iniquitas os tuum et imitaris linguam blasphemantium* ». — Ita vero efficitur, ut Iobus suis se verbis condemnet : v. 6 « *condemnabit te os tuum et non ego, et labia tua respondebunt tibi* »; — i. e. testimonium dicunt contra te et te satis superque violatae religionis accusant; « volens Eliphaz contra disputationem loqui, primo dicit, quod Iob tam manifesto male locutus est, quod non indiget alio reprehensore, sed ipsa verba indicant eius malitiam; non indigent verba alio respondente, sed ipsa se interimunt »; ita *S. Thom.* prologum hunc bene complectitur.

Increpatio in textu hebr. ita profertur v. 1 *loqueturne sapiens scientiam ventosam et implebit euro ventrem suum?* i. e. ut ait *Cod.* : « ventus et eurus pro *vana* et *turgida* loquacitate usurpatur, vel duo videntur tangi : fides Iobi et spes eius; appellat fidem Iobi doctrinam ventosam et inanem, spem vero eius euri pabula ». Sed cum eurus sit ventus rapidus, praeceps, indomitus atque calidus (*Pin. Cord. Mar. Men.*), Iobum potius insolentiae et furoris arguit. — Quam longe absit a vera sapientia Iobus ita locutus, Eliphaz v. 3 *arguere in sermone inutili et in verbis, in quibus nulla utilitas* i. e. arguis in sermone etc. talia profers argumenta, quibus nihil conficitur (cf. *Mar. Malv. Calm.*). Idem apud LXX et *vet. lat.* « arguens in verbis quibus non oportet, in sermonibus quibus nihil proderit ». — *S. Hier.* in voce סָכַן vertenda non est sibi constans; h. l. *aequalis est* (sim. 22, 2 *comparari*); 34, 9 *placere*; סֹכֵן Is. 22, 15 vertit *qui habitat in tabernaculo*; סֹכֶנֶת 3 Reg. 1, 2 *fovere*, 4 *dormire*. Vera notio est *administrare, officia praestare, prodesse*.

Prius hemistichium v. 5 plerique vertunt : *quia docet iniquitatem tuam os tuum* (*Mar. Malv.* III. *Calm. Ros. W. Hirz. Del. Zsch. P. Le Hir*) et in hanc versionem iam praeierunt LXX et *vet. lat.* « quia reus es sermonibus oris tui »; at versio S. *Hier.* certe est praeferenda; nam ita revera *ratio* redditur, cur Iobus adeo impie locutus sit, scil. *quia* iniquitas eum docuit; ita collocatio verborum in hebr. servatur sine ulla traiectione, quae hic gratis assumitur in alia explicatione; demum cur *tautologiam* textui affingamus? haec autem in alia explanatione adest, cum v. 6 prorsus idem dicatur, quod iam hoc versu dici volunt; denique אִלֵּף nunquam est

annuntiare, *palam facere*, sed *edocere*, *erudire*, ut *Hitz.* acute notat. Eandem cum *S. Hier.* versionem probant *Schlottmann*, *Dillmann*, *Hitz.*

b) Ignorantiae et superbiae arguitur 15, 7-13.

Tali prooemio praemisso Iobi assertiones ex eo primum impugnat, quia Iobus alios sapientia non vincat, proinde sapientiorum sententiae debeant praevalere. Iobum ait unum esse suae assertionis patronum, quam contra omnes velit tueri. Iam unde ei tam stupenda sapientia, quae valeat contra omnes? Quare ironice et acerbe quaerit v. 7 « *Numquid primus homo tu natus es et ante colles formatus* »? — Iobus amicorum sapientiam, quam *veterum* adagiis commendaverant, non admisit; unde contemptim interrogatur: num tu illis *antiquior*, vel primus homo? ita ut a [illegible]tione, vel iam ante terrae formationem usque ad nostra tempo[illegible]mnem in te uno collegeris sapientiam, rerum usum, prudentiam? Ita Eliphaz retorquet, quod Iobus 12, 2 dixerat « ubi amicos taxavit iuvenes » (*Men.*); *ante colles*, quasi ab aeterno (Prov. 8, 25. Ps. 89, 2), ita cum Iobi irrisione exaggerat, uti in sequentibus quoque v. 8 « *numquid consilium Dei audisti et inferior te erit eius sapientia* »? — i. e. numquid arcano Dei consilio interfuisti et in eo cognovisti, Deum sapientia esse te inferiorem (cf. *Pin. Cord. Calm. W.*)? quod utique uti exaggerationis, ita insolentiae culmen est.

In hebr. v. 8 *numquid in familiari Dei consilio* (סוֹד) *audivisti et ad te attraxisti sapientiam* (omnem)? cf. LXX ἢ εἰς σὲ ἀφίκετο σοφία; et bene *vet. lat.* « aut in te solo est sapientia »?

Hebr. גָּרַע infra 36, 27 *Hier.* vertit *auferre;* esset proinde hoc loco *auferre ad se* i. e. *ad te unum attrahere*, *in te uno recondere*, et hoc sensu interpretantur LXX, *Malv. III. Ges. Ros. Hirz. W. Del. Zsch. P. Hitz. Le Hir* neque abludit *Syrus:* « num tibi apparuit (revelata est) sapientia »? *S. Hier.* vero etiam hoc loco, uti v. 4, notione *diminuere* גָּרַע intellexit sed sensu intransitivo, quasi « diminuitur apud te sapientia » et de *Dei* sapientia est interpretatus. Vix recte; nam tum Eliphaz supponeret, quod in quaestione est, *Dei* sapientiam idem docere, quod ipse et veteres doceant; quare magis est ad rem, verba illa de humana sapientia accipere, id quod etiam subsequentibus confirmatur; quare prior explicatio erit praeferenda.

Verum cum indignatione et contemptu pergit v. 9 « *quid nosti quod ignoremus? quid intelligis quod nesciamus* »? — i. e. « non debemus, inquit, a te negligi, ut appelles nos *fabricatores mendacii*, et optes, ut silentio inscitiam nostram celemus, cum nihil tu scias quod ignoremus » (*Cord.*). Porro Iobus non modo nulla peculiari sapientia est insignitus, sed e contra *sapientia multum vincitur*, quia illi qui antiquo rerum usu et longaevitate, i. e. sapientia praestant, a

partibus stant amicorum; v. 10 « *et senes et antiqui sunt in nobis multo vetustiores quam patres tui* »; — sapientiam enim metitur ex aetate. In hebr., ut in graeco et *vet. lat.* numerus singularis habetur : « sed et senex et decrepitus in nobis est, antiquior patris tui diebus » i. e. vetustior patre tuo ; unde aliqui suspicantur, Eliphaz de se solo loqui (*W. Hirz. Zsch. P.*), sed aptius cum plerisque (etiam *Del. Hitz.*) sensu generali accipitur, cum Eliphaz de suis meritis vix tecte soleat loqui.

Iobus igitur, cum talis sit, non debuit admonitiones amicorum spernere; has vero vocat divinas consolationes, utpote a sapientia veterum vera et divina profectas; ita in hebr. *an exiguum quid apud te sunt consolationes Dei et verbum lene ad te* (dictum)? i. e. an talia spernis, parvi facis, suscipere dedignaris? Admonuit scil. Eliphaz 5, 17 Deum punire, ut sanet, promisit restituenti prosperitatem maximam 5, 19-27; similia *consolatus* est Baldus 8, 5-8, et Sophar 11, 13-19. Has promissiones ex Dei norma iusta deriverunt, unde *Dei consolationes ;* hisce Iobum erigebant, unde *verbum lene,* suave [1].

Priorem versus partem *Hier.* probabiliter ad literam intellexit : « nonne parum a te consolationes Dei » et sensum hunc esse voluit : Deus non longe abest, ut consoletur; unde v. 11 « *numquid grande est, ut consoletur te Deus* »? — i. e. non esset Deo difficile; « *sed verba tua prava hoc prohibent* »[2]. —

Neque erat, pergit Eliphaz, cur Iobus excandesceret in sermone. Ita v. 12 « *quid te elevat cor tuum et quasi magna cogitans attonitos habes oculos* »? — in hebr. *quid vibrant* (superbiunt) *oculi tui* (cf. *Pin. Malv. Calm.*)? Bene *Cord.* : « cordis et oculorum meminit, quia superbia et arrogantia animo menteque primum concipitur, ac deinde potissimum oculis significatur ». Tali vero insolentia et contumacia, qua effertur, in Deum ipsum furit, v. 13 « *quid tumet contra Deum spiritus tuus, ut proferas de ore tuo huiuscemodi sermones* »? — in hebr. *quia contra Deum vertis furorem tuum et effutis ex ore tuo sermones;* hebr. כי indicat, versum hunc subiungi ad declarandum v. 12; potest etiam verti *ita ut,* i. e. quis te furor invasit, quae arripuit amentia, ut talia contra Deum impudenter effutias (cf. *Cord.*)?

---

1. לאט *Hier.* Is. 8, 6 transtulit *cum silentio;* vocem אַט 3 Reg. 21, 27 *demisso capite.*

Unde bene apud *Caietanum* locus noster vertitur *verbum suave tecum* et immerito *Pin.* hoc reprehendit. — *B.* vocem *Dei* delet, quae tamen a *S. Hier. Chald. Syro* legebatur.

2. Videtur לָאַט accepisse pro notione *obvelare, abscondere* (cf. 2 Reg. 19, 5 *operire*) : *et verbum operit,* abscondit scil. illas Dei consolationes *tecum* i. e. a te prohibet.

c) **Neminem esse iustum coram Deo, impios terroribus exagitari 15, 14-24.**

Hucusque Iobi assertiones *ex obliquo*, ut ita dicam impugnavit, ostendens Iobum sapientia vinci a reliquis, cum Deo agere contemptim et furore abripi. Talis utique homo ad inveniendam veritatem fere ineptus est censendus. Iam *directe* cum erroris convincere aggreditur; et primo quidem, Iobum non culpa vacare. Invehitur scil. in id quod Iobus 13, 18. 23. 24 dixerat; unde v. 14 « *Quid est homo, ut immaculatus sit? et ut iustus appareat natus de muliere* »? — Eliphaz fervore disputationis abreptus non advertit se versari extra rem; Iobus enim se et omnes homines culpis illigari minime negat (cf. 13, 26; 14, 4. 17; et in antecedentibus sermonibus 7, 21; 9, 2. 20. 31; 10, 6), verum id unum negat, se tam horrendas calamitates peccatis suis promeruisse, ita ut amici ex poenarum atrocitate culparum scelerumque enormitatem inferre merito possint (cf. 7, 2. 3. 25; 9, 22. 24; 10, 2. 7. 14; 13, 7-10. 15. 18-24). *Hoc* igitur Eliphaz probare debuit, minime vero repetere eadem argumenta (cf. 4, 19 et quae Sophar protulit 11, 5. 6); id utique in disputatione acri unoquoque suae sententiae cum pervicacia inhaerente usu venit. Unde eandem quam 4, 18 allegaverat probationem denuo in medium profert v. 15 « *ecce inter sanctos eius nemo immutabilis et coeli non sunt mundi in conspectu eius* »[1]. — Sanctos vocat angelos, eosdem coelites, coeli incolas (cf. *Aug. Greg. Sa, Mar. Malv. Sanct. W.*) quibus iam praeit *Chald.*, dum alii (*S. Thom. Pin. Del. Hitz. P.*) ipsos coelos et stellas intelligant i. e. « quidquid lucidum, purum, mundum in creaturis inveniri potest, quod ad conspectum et oculos clarissimos necesse sit tenebrescere et offuscari » (*Pin.*); provocare possunt ad 25, 5. Verum quidem est proxime non esse sermonem nisi de puritate *morali* (*W.*); at nihil impedit, quominus ad Dei *splendorem* illustrius proponendum duas quasi provincias assignet, moralem et physicam, in quibus Dei lux omnia ita vincat, ut merae tenebrae esse videantur. Alii demum utramque acceptionem proferunt (*Cord. Est. Tir. Ros.*). Iam fit applicatio ad hominem i. e. ad Iobum v. 16 « *quanto magis abominabilis et inutilis homo qui bibit quasi aquam iniquitatem* »; — *inutilis* hebr. proprie *putridus* vel *putrescens* et *sordidus* (cf. *Pin. Malv. Vav*); haec epitheta appositione declarantur: cui tam promptum, proclive et facile est peccare, quam sitienti avide haurire aquam, vel ad cuius vitae rationem peccare eodem modo pertinet ac potu sustentare vitam

1. Inxtu he bter. לֹא יַאֲמִין uti 4, 18 quod vide.

(cf. *Pin. Cord.*), qui proinde nullo iam pudore, nullo remorsu scelera patrat, sed potius sitibundi in modum cum aviditate et voluptate (*Vav. Calm.*). Ut *talem* vero Iobum ipsum indicari a loquente et describi, ipsa sermonis conformatio et argumentatio suadere videtur; quare optime *S. Thom.* : « in hoc ergo ipsum Iob notat »; de homine enim *generatim* iam v. 14 sententiam dixit.

Dein transit ad *alterum* argumentum ex veterum sapientia et traditione desumptum. Eorum quidem primo *auctoritatem* commendat et probat (v. 18. 19); dein contra Iobi assertionem, ex eadem traditione constare de frequenti impiorum prosperitate (cf. 9, 22; 12, 6-12), ita illam sartam tectamque servare conatur, ut dicat, impios saltem internis terroribus semper esse miseros, etsi secundum speciem prospere degant (v. 20-24).

Praemittit prooemium, quo attentionem excitet, v. 17 « *ostendam tibi, audi me; quod vidi, narrabo tibi* »; — i. e. quod verum esse certissime comperi, hoc exponam ; ipse Eliphaz est enim ex sapientibus Theman (cf. Ier. 49, 6), unde gravior eius fit admonitio; *vidi* i. e. assidua contemplatione et experimento comperi (*Pin.*). Iam idem veterum sapientium prudentia commendatur ; ita in hebr. *quod sapientes annuntiant neque celaverunt ex tempore patrum suorum* i. e. serie non interrupta et continua doctrina sapientium haec ad nos pervenit scientia, publice semper proclamata; vel, ut alii nectunt : *quod annuntiant* (*neque celant*) tamquam *a patribus* acceptum [1] — unde quantae auctoritatis! Textus *lat.* v. 18 « *sapientes confitentur et non abscondunt patres suos* »; — explicatur a plerisque in priore sensu, i. e. illi sapientes talia proponentes non abscondunt, sed citant auctores suae assertionis, maiores suos (cf. *S. Thom. Pin. Tir.*) palam professi, se talia ab illis accepisse (cf. *Mar. Malv. Men. Calm.*). Eorum autem *auctoritas intemerata* ex eo constat, quippe v. 19 « *quibus solis data est terra et non transivit alienus per eos* »; — i. e. stirpem suam puram servarunt et integram ab omni alieni sanguinis commixtione, unde maxima simul traditionis puritas et ab aliena superstitione, more, errore integritas elucet et imperturbata doctrinae series (cf. *Cod. W. Zsch. P. Le Hir*) [2].

Iam declarat, quaenam sit ista adeo laudata doctrina : v. 20

---

1. Ita fere *Chald.*; LXX et *Syrus* : « et non absconderunt patres (πατέρες) eorum » . e. patres hanc eos docuerant sapientiam; sensus quidem commode fluit, quare *Houbig.* textum hebr. emendandum censet; at eundem hebr. textum legerunt *Aq. Sym. Theod.* ; cf. cod. syr. hexapl.

2. Haec ratio magis placet, quam quae a veteribus assignatur : commendari illorum sapientiam ex regni administrandi prudentia et forti debellatione hostium (cf. *Pin. Cord. Mar. Tir.*).

« *cunctis diebus suis impius superbit et numerus annorum incertus est tyrannidis eius* »; — i. e. impius quidem effertur et arroganti insolentia tumescit; at simul angitur incertitudine et timore, quia subito corruere potest. In hac incertitudine iam latent *terrores*, quos v. 21 prosequitur.

Commodior sensus adest in hebr. : *cunctis diebus impius ipse se discruciat;* ita Eliphaz medias in res ingreditur (cf. *Malv. Pin. Cod. Cord. Calm.*); voce enim מִתְחוֹלֵל stimuli et cruciatus conscientiae quasi continuo in orbem redeuntes bene delineantur. Eundem sensum praebent LXX et *vet. lat.* « omnis vita impii ἐν φροντίδι in sollicitudine est » et *Aq.* ἐν ὀδύνῃ, quamvis non omnem vim vocis hebr. efferant. *Sym.* vertit ἀλαζονεύεται et hoc secutus videtur *S. Hier.;* ceterum latinum *superbit* ad hebr. trahere conatur *Pin. :* « hac ratione forte *superbire* pro dolere, cruciari, parturire dictum est, quod superbus et ambitiosus tyrannus magna semper ambiat et difficili desideriorum multorum semper partu laborat multa moliens ».

Alterum membrum hebr. varie concipiunt : vel *numero annorum* (*qui*) *repositi sunt feroci* sese scil. discruciat; vel *numerus annorum absconditus* [1] *est feroci* (violento, qui alios vi opprimit); ita accepit *S. Hier.*; vel ut iam LXX et *vet. lat.* « et numerati anni dati sunt potenti » i. e. pauci anni ei repositi sunt (cf. *Del. B.*). Sed ad contextum magis apta videtur vel prima expositio, vel secunda de incertitudine, quia in utraque *terror* describitur, de quo etiam in subsequentibus agitur.

Continuo enim impius angitur v. 21 « *sonitus terroris semper in auribus illius, et cum pax sit, ille semper insidias suspicatur* »; — in hebr. *in pace vastator venit ei* (invadet eum, *Mar. Malv. Vav.*), haec scil. est *vox* illa terroris, qua continuo in animo turbatur (cf. *Vav. Hitz.*) Generatim interpretantur vel : in summa pace cum nihil minus suspicabitur, orietur ei subito vastator (*Malv. Pin. Cod. W. P.*), vel : cum revera omnia tuta sunt, ille tamen mente et animo semper pericula timet, ruinam experitur (cf. *Mar. Hirz. Del.*), et ita interpres lat.; priore sensu LXX et *vet. lat.* : « cum putaverit se esse in pace, tunc eversio veniet ei ». Sed certe de *ipsa* ruina nondum est sermo, sed homo depingitur, qui ubique panico terrore cruciatur, qui nulla pace perfrui potest; quare *S. Hier.* sensum bene expressit. Eosdem angores delineat v. 22 in hebr. *non confidit egressurum se tenebris* (*Cod. Pin. Vav.*), animo scil. summa pericula praesagiens nullum cernit et sperare potest effugium, nullam laetam spem concipit, tenebris obvolutus animus eius quasi desperatione tabescit (cf. *Cord. Malv. Pin.*); idemque textus lat. enuntiat v. 22 « *non credit quod reverti possit de*

1. Vocem hanc *B.* delet; sed eam legerunt *Syrus, Sym. Theod. S. Hier. Chald.*

d) Impiis ingruere ruinam 15, 25-35.

Hisce vero terroribus iure impius cruciatur : v. 25 « *Tetendit enim adversus Deum manum suam et contra Omnipotentem roboratus est* » ; — i. e. rebellis et contumax est contra Deum (uti Iobus scil. qui non Deo castiganti vult subiici) ; *tendere manum* symbolum est exitium minitantis et procacis (cf. Is. 23, 11. Ez. 25, 7; *Cord.*) ; ex hebr. *se fortem* i. e. arrogantem, audacem *praestitit in Deum* (cf. *Malv.*) i. e. ausu temerario et impudenti audacia rebellavit (*Pin. Cord.*). Bene primam causam assignat *arrogantiam* et *insolentiam* contra Deum, superbis enim Deus resistit. Hanc rebellionem ulterius delineat v. 26 « *cucurrit adversus eum erecto collo et pingui cervice armatus est* » ; — metaphora sumpta est a bove procaci, qui currit excusso iugo et cornibus impetit herum (*Ol.*) ; *pinguedo* obdurationis et insolentiae obstinationisque in malo est symbolum, cf. Deut. 32, 15 ; Ps. 72, 7 ; *cervix* autem contumaciam, elationem, duritiem notat (cf. *Var.*). Alia imagine bellica utitur textus hebr. *in densitate umbonum clypeorum* (*Mar. Malv. Vav. Pin. P. Le Hir*) vel, ut habent LXX et *vet. lat.* : « in crassa cervice scuti sui » i. e. omni impetu et machinis quas admotis Deum impugnat.

Quomodo vero ad talem contumaciam pervenerit, ratio redditur (hebr. כי, LXX ὅτι) v. 27 « *operuit faciem eius crassitudo et de lateribus eius arvina dependet* » ; — hebr. *et fecit pinguedinem* (incrassavit adipem, *Sym.* ἐπάχυνε πιμελήν) *super lumbos* i. e. summa in abundantia et omnium bonorum affluentia vixit et ita « incrassatus est dilectus » et recalcitravit (cf. *Ol Pin. Sa, Mar. Malv. W. P.*). Alio modo *Cord.* : « ex habitu corporis mentem et animum hominis improbi describit et haec quam dicit crassitudo et arvina eius, impii indicat arrogantiam, confidentiam, contumaciam et mentis stuporem, quibus inflatus Dei leges infringere non veretur ». Haec vera quidem sunt ; at prior explicatio et arctius antecedentibus iungitur et melius sequentibus cohaeret, in quibus alia ratio affertur, qua animus eius, nimia prosperitate et rerum felici successu ebrius, ingenti illa insolentia elatus sit ; v. 28 « *habitavit in civitatibus desolatis et in domibus desertis, quae in tumulos sunt redactae* » ; — hebr. *quae destinatae erant ad acervos* i. e. quae alias perpetuo in ruinis iacuissent. Habuit igitur praeter rerum omnium abundantiam (v. 27) impius ille dominationem longe lateque patentem eamque ita feliciter et superbe auxit, ut civitates vastatas olim et destructas denuo *aedificaret* (haec est enim vis notionis ; ibi enim habitare non potest, nisi aedificaverit) et ubi antea ruinae et solitudines erant, sumptuosa sibi palatia erigeret. Ita scil.

nominis et gloriae immortalitatem captavit, hisce in superbiam elatus ad Dei contemptum felici fortuna inductus est. Haec explicatio, quam ex veteribus *Vat. Clarius, Stunica* (cf. *Pin. Cord.*) *Malv. Sa. Cod.* indicant, praeferenda videtur, quia bene explanat alteram elationis causam (cf. 3, 14). Ego quidem insuper censeo, hisce etiam fieri allusionem ad Iobi prosperitatem et dominationem, qua factum fuerit, ut superbia et contumacia in Deum peccarit.

Alii explicant : civitates tyrannide sua et ferocia vastavit, exspoliavit (*Mar. W.*), sed cur dein *habitavit*? Alii intelligunt civitates diris devotas, quas nefas fuerit et impium denuo aedificare, ita ut tali ausu contemptus divinae maledictionis manifestatus sit (*Del. Hirz. Zsch. Hitz.*); potest pro hac re allegari Deut. 13, 15. 16; Ios. 6, 26 (*maledictus vir coram Domino qui suscitaverit et aedificaverit civitatem Iericho*); 3 Reg. 16, 34. At mirum *a*) plures urbes ita ira Dei devotas in una eademque regione fingi; *b*) legem illam theocraticam inveniri in libro Iob, in quo ceteroquin nulla fit legis mosaicae mentio; e contra supponitur Iobum vivere extra legis instituta; *c*) etsi simile quid in usu fuisset apud tribus cognatas, tamen vix erit probabile, tam peculiarem praecise electum esse modum ostendendi arrogantiam. Aliis demum placet, v. 28 iam de poenae futurae denuntiatione [1] explicare, exstincta scil. gloria illum expelli ab hominibus et cogi, ut in ruinis latibula quaerat (*S. Thom. Pin. Sanct. Cord. Vav. Gord. Ros.*) quam explicationem iam LXX et *vet. lat.* innuunt : « habitet civitates desertas, intret in domos, quae non habitantur ». At optime *Hier.* vertit *habitavit*, arcte enim יִשְׁכֹּן adnectitur formae יֵעָשׂ, ergo utraque est de praeterito, et v. 29 demum omni particula omissa sermo ipse de iis incipitur, quae evenient impio.

Sed, pergit Eliphaz, omnia haec impio non proderunt; v. 29 « *non ditabitur nec perseverabit substantia eius, nec mittet in terram radicem suam* »; — non fruitur *stabili* prosperitate, quae quasi firma radice constet et longe lateque diffundatur. Ita versus optime ad sermonis progressum aptatur, neque ullo modo versui 27 contradicit, ut vult *Hitz.* (qui versum hunc eiicit), sed ruinae descriptionem apte incipit; quare arbitrarium est illum velle expungere.

In hebr. ultimum membrum non caret difficultate; vox בְּיַלֵּה alias non occurrit; derivant a יָלָה cf. Is. 33, 1 *perficere, consummare* vel ab arabico *nala* acquirere, unde vel perfectio vel possessio (cf. *Cod. Mar. Malv. W. Del.*); *Chald.* formam similem legit : non extendetur quidquam *ex eis* in terram; LXX צִלָּם legerunt, eos *B.* sequitur; unde etiam *vet. lat.* « non mittet super terram *umbram* ». Demum *Hitz.* legi vult בְּיַלֵּם, a בְּיוֹלָה *spica* i. e. non inclinatur ad terram spica eorum i. e.

---

1. LXX ἃ δὴ ἐκεῖνος ἡτοίμασεν, ἄλλοι ἀποίσονται et ita *Houbig.* textum quoque hebr. emendat, legens לזרים pro לגלים.

campi eorum aristas ferunt vacuas, quae erectae stant, dum plenae incurvantur. Haec lectio non adeo discrepat ab eo, quod legit *Syrus* מִלָּם *verbum eorum*. Alii alia proponunt (cf. *Del.*). Interpretatio lat. *sensui* saltem optime concordat, neque a notione נטה *extendere* (cf. Gen. 12, 8. Is. 40, 22; 42, 5. Ps. 21, 12) abludit.

Infortuniis vero immersus non poterit effugere; v. 30 « *non recedet de tenebris*; *ramos eius arefaciet flamma et auferetur spiritu oris sui* »; — i. e. nulla spes superest impio emergendi ex nocte miseriarum; sicut arbor flammis exusta iam non faciet folia et ramos, ita illi omnis spes perit (cf. *Vav. Men. W. Del.*). Alii *ramos* prolem impii intelligunt (*Cord. Sa, Malv. Tir.*); at de impio solo est sermo; filiorum mentio postea occurrit; quare etiam dubium est, utrum ad ignem coelitus immissum 1,16 fiat allusio. Ipse demum impius spiritu furoris sui enecatur 5, 2; perit in furore et insania vel superbia verborum suorum (*S. Thom.*). Ita obiicit Iobo, uti supra, vehementiam et iram[1].

Et cum impius tali interitui obviam fertur, aperte et palam omni spe abiecta desperat; v. 31 « *non credet frustra errore deceptus, quod aliquo pretio redimendus sit* »; — nihil sibi spei iam promittit, idque bene facit, quod saltem tali errore non se frustra decipit (cf. *Pin. Sa, Mar. Calm.*). Videtur Eliphaz ad similia Iobi effata alludere 7, 16; 10, 21; 14, 10.

Textus hebr. per modum conclusionis adhortationem continet, quae ex impii sorte colligitur : *ne fidat in vano* (in iniquitate) *deceptus, nam vanum* (iniquitas) *erit commutatio* (recompensatio) *eius* (cf. *Mar. Malv. W. Del. P. Hitz.*) i. e. ne quis peccatis indulgeat utilitate et voluptate praesenti captus, nam poena et miseria est id quod necessario quis pro peccato commutat et accipit[2].

Pergit Eliphaz in consideratione modo incepta v. 32 « *antequam dies eius impleantur, peribit, et manus eius arescent* »; — impius non decedet « plenus dierum », sed immatura morte abripitur; quia *viri sanguinum et dolosi non dimidiabunt dies suos* (Ps. 54, 24) sed *defecerunt anni eorum cum festinatione* (Ps. 77, 33), qua re Iobus ipse perstringitur et sua ipsius poena peccator demonstratur. Hebr. ad literam : *in* die qui *non* est *dies eius* i. e. nondum venit dies mortis eius et iam *impletur* illa commutatio, dum adhuc vivit, mercedem recipit iniqui-

---

1. Alii explicant : interibit simul cum halitu oris sui (*Hitz.*) — id quod valde ieiunum videtur; alii *Dei* furorem interpretantur (*Cod. Sa, Mar. Tir.*), uti iam *Chald.*, sed durius refertur ad Deum, qui a v. 25 non est nominatus.

B. corrigit : « et auferetur vento *flos eius* ».

2. Interpres lat. legit לֹא pro אַל, dein *in vano* retulit ad *deceptus*, et ultimum membrum liberius reddidit, *commutationem* pretium redemptionis explicans.

tatis *et ramus eius non virescet*, simul cum ipso soboles et familia eius prosperitate omni destituitur (*Pin. Vav. Cod. Mar. Malv.*) [1].

Iam quomodo commutatio illa impleatur et ramus eius arescat, describit; v. 33 « *laedetur quasi vinea in primo flore botrus eius et quasi oliva proiiciens florem suum* » ; — i. e. mature, cito ipse et propagines eius perdentur, ac si quis erumpentes botros ac florentes decutiat e vineis (*Men. Cord.*) vel, ut *Vav.* notat : « sicuti vitis quae in florem quidem se induerit et fructum feret, sed ita ut is fructus non maturescat; item sicut olea quae perdet florem nullo foetu concepto ».

In hebr. *vim infert* (laedit) *sicut vitis labruscae suae* (*Malv.* III), id quod varie elucidant : abiicit uvam immaturam (*Malv.* IV. *W. P.*) sed num vitis tales uvas revera abiicit? alii : Deus proiicit sicuti vitis labruscas (*Mar. Malv.* VI. *Del.*) ; alii legunt cum *vulg.* יַחְבֹּס abripietur, laedetur sicut in vinea labrusca (*Hirz.*) ; *Hitz.* interpretatur de vinea, quae labruscam eo laedat et damno afficiat, quia succum bonum non intromittat; ita et impius laedit filios suos et causa est ruinae illorum ; posteritas eius antequam adolescat, iam ut labrusca etc. est abiicienda (*Calm*). Simile quid habent LXX et *vet. lat.* : « vindemietur tamquam uva acerba ante tempus; decidat tamquam flos olivae ».

Iam propriis verbis explanat (כִּי, *enim*) antecedentia v. 34 « *congregatio enim hypocritae sterilis et ignis devorabit tabernacula eorum qui munera libenter accipiunt* »; — i. e. turba, familia impii hypocritae arescit, fit quasi arida, i. e. prosperitate et propagatione et vita destituta; pressius legitur ultimum membrum in hebr. *et ignis comedet tabernacula muneris;* certe Iobum perstringit, cuius familia absumpta, greges igne tacti, qui ipse *muneribus* i. e. sacrificiis oblatis Deum iustum iudicem, ne puniat, mulcere voluerit ; quare bene *S. Thom.* : « et hoc dicit notans Iob de impietate et hypocrisi ».

Concludit demum gnome, totam impii indolem et sortem complectens, v. 35 « *concepit dolorem et peperit iniquitatem et uterus eius praeparat dolos* » ; —i. e. mente et animo concipit, fovet, volvit consilia plena flagitii, molestiae, afflictionis ; illa exsecutus parit et edit iniquitatem, neque uno quasi partu sistit, sed dum unum flagitium patrat, iam alia aeque perniciosa corde et animo meditatur inexhausta quadam ad malum fecunditate (cf. *Pin.*). Sed dum עָמָל *laborem*, molestiam dicitur mente concipere et אָוֶן *vanitatem*, iniquitatem parere, simul criminis poenam in ipsius patratoris caput devolvi significatur, esse scil. scelerum conceptum etiam afflictionem pro ipso concipiente, esse

---

1. Interpres lat. כַּף *manus* et כַּפָּה *ramus* commutasse videtur; melius LXX ὁ ῥάδαμνος αὐτοῦ οὐ μὴ πυκάσῃ, *vet. lat.* « germen eius non videbitur »; *Sym.* οὐκ εὐθαλήσει.

scelerum perpetrationem pro ipso auctore rem *vanitatis* i. e. sine successu et utilitate (*Aq.* ἀνωφελές), immo deceptionis et infortunii plenissimam (cf. Ps. 7, 15; Is. 59, 8); at dum amaros iniquitatis fructus gustat — internos sentit conscientiae labores et angores et cernit exitium aliis illatum et sibi imminens — non a malo desistit, sed novas in dies fraudes machinatur, *fraudes* utique, quibus demum se ipsum omni spe fraudat; ita tandem omnia eius studia in nihilum sunt redacta et revera *peperit vanitatem* (cf. *Cord.*). Bene *Calm.* concludit : « Iobum impii huius quam describit imaginem in se retulisse, non aperte quidem affirmat Eliphaz, sed id non obscure innuit, ut nihil desit aliud, quam ut collectio ex praemissis ducatur » (sim. *Tir.*).

2. RESPONSIO A IOBO DATA. CAP. 16. 17.

Arg. — Iobus non sine acrimonia amicorum rationes reiiciens molestos consolatores quam inepte agant, perstringit (16, 1-6). Dein querelis denuo indulgens suos depingit dolores, qui a Deo ipsi infliguntur, quibus impius apud homines censetur et quibus alii ludibria addunt : quae omnia innocens sustineat (16, 7-18). Qua fretus innocentia ipsum Deum qui eum affligit, testem invocat et vindicem suae integritatis, quem, quia mors instat et opprobria hominum, implorat, ut cito ipsius agat causam (16, 19-17, 10). Tandem ad miserrimae suae conditionis lamentationem revertitur, qua, quam parum apte amici spem temporalem ipsi praetendant, apparet (17, 11-16).

Disputationis *progressus* in duobus cernitur : *a*) Iobi dolores accuratius describuntur, unde quanto et quam forti animo sustineat, clarius perspicitur ; *b*) spem concipit eamque in omni afflictione divina et humana *aperte iam et indubitanter* profert, fore ut Deus coram omnibus innocentiae suae vindex exsistat ; quod enim 14, 13-17 innuerat, iam 16, 19-21 distincte explicat.

a) Molestos consolatores perstringit 16, 1-6.

Eliphaz antiqua illa accusatione instaurata Iobum refutare voluit ; quare Iobus animo amarulento respondet v. 2 « *Audivi frequenter talia* » ; — distincte in hebr. *audivi, sicut ista, multa ;* sapientiam amicorum e trivio proficisci notat, eamque insuper quam ineptissime ad rem accommodari ; quare addit « *consolatores onerosi omnes vos estis* » ; — tales scil. qui conviciis obruant, exulcerent, ad nauseam usque eadem repetant et dolorem, cui remedium afferri professi sint, non leniant

sed augeant (*Cord.*). Unde cum irrisione quaerit v. 3 « *numquid habebunt finem verba ventosa* »? — i. e. inflata, turgida et superbiae spiritu plena (*Aug. Br. Rup. Pin. Cord. Men.*); reddit convicium 15, 2; alii verba explicant « inutilia, falsa, soliditatem non habentia » (*S. Thom. Malv.*). Sed cur omnino talia profert Eliphaz? quid in talem rabiem eum impulit? ita ex hebr. *vel quid te exacerbat* (in tantum), *ut respondeas* (talia)? i. e. quid animum tuum adeo reddit amarulentum?

Eodem sensu LXX ἢ τί παρενοχλήσει σοι ὅτι ἀποκρίνῃ; unde lat. « *aut aliquid tibi molestum est, si loquaris* »? — eodem modo accipi debet, i. e. quia sic loquaris (*Sa.*), vel quid te compellit ita loqui (*Mar.*)? vel quid animum pungit tuum, quod sic loquaris (*Var.*)? alio parumper sensu: *tibi* utique, si loquaris, nihil moleste accidit, immo voluptatis affert plurimum, cum verbis abundes, at *mihi* molestissimum est (cf. *exp. in. Br. Rup. S. Thom. Pin. Cord.*).

Iam quam *inepte* amici loquantur, ita ostendit, ut eos admoneat, quid ipsi mutata rerum conditione certe animis essent percepturi. Quare non sine ironia v. 4 « *poteram et ego similia vestri loqui, atque utinam esset anima vestra pro anima mea*; v. 5 *consolarer et ego vos sermonibus et moverem caput meum super vos* »; — i. e. si vos in mea conditione et miseria essetis et ego ad vos ita contumeliose loquerer, sentiretis certe quam durus et a misericordia et humanitate alienus esset talis agendi modus. In hebr. *ego quoque sicut vos loqui possem, si esset animus vester loco animi mei* (in eo quo ego sum statu, si vos meam vicem subiretis, cf. *Cod. Vav. Calm.*), *concinnarem*[1] *contra vos verba et moverem contra vos caput* i. e. res utique facillima est, quod vos sani et bene valentes in me declamationes profunditis et me ludibrio habetis hominem afflictum!

Talia peragere e trivio est. Si vobis talia contingerent, tunc experiremini quam acerbum esset et iniquum, hisce verbis agere cum homine misero (cf. *S. Thom. Pin. Vav. Tir.*); *movere caput* est insultare, illudere cf. Is. 37, 22. Ps. 21, 8. Eodem sensu pergit in hebr. *roborarem vos ore meo et motio* (divagatio, *Malv.*) *labiorum meorum leniret* i. e. facile esset uti consolatoriis ἰσχνοῖς et labiis diductis et plenis buccis salutaria monita profundere; mutemus vices! quid facilius quam vestras agere partes! In similem modum explicandus textus lat. v. 6 « *roborarem vos ore meo et moverem labia mea quasi parcens vobis* »; — i. e. quasi condolens (*Mar.*), prae me ferens verbis compassionem, sed revera subsannans (*Tir.* cf. *W. Zsch.*); nam facile est in

1. *B.* legi vult formam a רָחַב hiph. *extendere*.

alterius luctu fortia verba loqui. Rei indignitate ostensa Iobus *simul* docet, quid ipse mutata conditione non faceret, et ita multorum interpretatio : ego non ita vobiscum agerem, si vos essetis miseri, sicut vos mecum (cf. *S. Thom. Ol. Phil. Br. Cord. Men.*), tantum abest, ut sit a sensu aliena, ut sit quasi conclusio proxima (cf. *Le Hir*).

b) Suos proponit dolores aliorumque ludibria 16, 7-18.

Tam male habitus ab amicis et repulsus, animum moerore oppressum denuo in lamentationem solvit. Optime *S. Hier.* (ut notat *Ros.*) sensum expressit addens v. 7 « *Sed quid agam* » ? — i. e. in quam me partem vertam? nam « *si locutus fuero, non quiescet dolor meus, et si tacuero, non recedet a me* » ; — hebr. *quid a me recedit?* Expertus loquitur, neque clamores neque taciturnitas aliquid levaminis afferunt. Significanter ad dolorem intima corporis penetrantem habent LXX ἐὰν δὲ καὶ σιωπήσω, τί ἔλαττον προβήσομαι ; *vet. lat.* « quodsi taceam, nihilominus terebrabor ». *Loqui* est querelas effundere, clamores ciere, cf. 6, 3 ; 7, 11 ; neque vero causam agere meam et innocentiam meam tueri (*Cord.*), id quod sequentia ostendunt. Describit enim ingravescentem morbi dolorem v. 8 « *nunc autem oppressit me dolor meus et in nihilum redacti sunt omnes artus mei* » ; — i. e. macie et morbo iam pene consumpta sunt membra vigore vitali exstincto (cf. *Pin. Cord.*).

Hebr. parumper discedit : *verum nunc me defatigavit* (scil. Deus) *et devastasti omnem familiam meam ;* ut est animo commoto sermonem ad Deum transfert, expendens quid Deus contra ipsum, quid contra coetum ipsius egerit (cf. *Pin. Cord. Malv. Calm.*). Textum lat. ita *Tir.* explicat, ut « omnem congregationem » (hebr.) *membrorum collectionem* (i. e. artus omnes) dicat ab interprete esse intellectam. Iam qui virtus eius sit a Deo exhausta et attrita, exhibet v. 9 ex hebr. *constrinxisti me* [1] (corrugasti me, *Mar. Malv. Vat.*), *in testem fuit et surrexit contra me mendacium meum et in faciem meam respondet* i. e. Deus doloribus eum arcte constringit, vel uti קְמֹט ex syriaco a multis accipitur, *rugis* undique eum implevit, id quod ad elephantiasin egregie aptum est, in qua ex contractione pellis arescentis cutis in rugas et plicas componitur ; id vero est (contra eum) in testem i. e., ut bene *Phil.* : « contractio cutis quam exsiccante eadem sanie patior, quodammodo manifestatione sui dat adversum me testimonium et quasi loquitur, quantos dolores sive cruciatus sustineam ». Foetidus morbus ex amicorum sententia testatur, Iobum esse peccatorem. Hoc nunc nominat *mendacium meum*, contra me prolatum ; et cum morbus in eum tamquam testis falsus exsurgat e palam eum arguat, dicit *et surrexit* etc. Similiter LXX et *vet. lat.* « apprehendisti me et in testimonium factus sum et surrexit super me mendacium meum, contra faciem meam respondebit ».

---

1. *B.* corrigit : « constrinxit me *manus eius* » et alia.

Textus hebr. explicatus simul docet rationem versionis *vulg.* v. 9 « *rugae meae testimonium dicunt contra me, et suscitatur falsiloquus adversus faciem meam contradicens mihi* » ; — *falsiloquum* Eliphaz et alios amicos dicit, utpote eius innocentiam negantes [1].

Dolores adsunt gravissimi ; iique Iobum in hominum opinione scelestissimum demonstrant ; immo Deum ipsum tamquam eius inimicum exhibere videntur, qui omni adhibito conatu eum conterere velit. Ita per gradus quosdam, quot et quanti sint cruciatus, explicatur. Deum sibi inimicum ita delineat, ut acerbitatem dolorum oculis subiiciat v. 10 ex hebr. *ira eius discerpsit et adversata est mihi, frenduit in me dentibus suis ; hostis meus acuit* [2] *oculos suos in me ;* verbum *discerpere, dilacerare* optime de elephantiasi dicitur, qua cutis scinditur et frustratim decidit, cf. 19, 20 et ad metaphoras cf. Os. 6, 1. Lament. 1, 12. 13 ; 2, 4. 5 ; iis morbi acerbitas et diuturnitas utpote a Deo vim persecutionis exserente inflicta describitur humanum in modum. Versio *vulg.* satis concordat estque facilis ; v. 10 « *collegit furorem suum in me et comminans mihi infremuit contra me dentibus suis ; hostis meis terribilibus oculis me intuitus est* ». — Esse vero *Deum* subintelligendum, et plerique docent, et v. 12 nomine Dei prolato apparet et aliis locis suadetur 6, 4. 9 ; 7, 14. 19 ; 9, 17. 18. 23 ; 10, 2. 17 ; 13, 27 ; 14, 13. 20 quibus unus Deus cruciatus Iobo infligere dicitur ; nam *Satan*, quem *S. Greg. Phil. Rup. S. Thom. Lyranus* intelligunt, a Iobo *rerum prologi ignaro* appellari non potuit ; neque *Eliphaz* et socii, quos *Cord. Calm.* adducunt, id quod hoc versu enuntiatur, peregerunt. Opprobria autem ab hominibus illata commemorat sequentibus, v. 11 « *aperuerunt super me ora sua et exprobrantes percusserunt maxillam meam ; satiati sunt poenis meis* » ; — accedit scil. ad morbi acerbitatem, quod insuper contumeliis, dicteriis afficitur ; cf. 19, 15. 18 ; 30, 1. 9. 10 ; *maxillam percutere* est, ut *Pin. Cord.* notant, proverbialis loquendi modus de quavis gravissima contumelia (cf. Ps. 3, 8. Mich. 5, 1) ; ultimum membrum commodius ex hebr. vertunt : *una contra me congregantur* (*Mar. Malv. W. Ros. Hitz.*

---

1. Ceterum כַּחְשִׁי alii interpretantur *macies mea* (cf. *Pin. Cord. Mar. Malv.* I. II. *Calm. Ros. Hirz. Del. P.*) volunt scil. verbi etymologiam ex cognata dialecto arabica explanare *subtrahere, marcescere, negare ;* unde *Hitz. defectum virium* interpretatur ; neque abest Ps. 108, 24 *caro mea immutata est* (כחש) ita ut non adsit adeps ; alii tamen hoc vehementer negant (*Cod. Vav.*) et priorem notionem retinent (*W. B. Zsch.*). LXX vertunt ψεῦδος, *Sym.* καταψευδόμενος. *Aq.* ἡ ἀρνησίς μου (cf. cod. syr. hexapl.). Illud *in testem fuit Hitz.* de Deo interpretatur *qui potuit esse testis pro me ;* sed cum Iobus Deum alloquatur in hebr., tum subitanea personae enallage nimis videtur dura. Haec vero in versu sequenti propter membra tria praecedentia iam non adest.

2. *B.* textum emendat : « hostis meus — *turbae eius in me irruerunt* — acuit (gladium), oculi eius contra me ».

P. Le Hir) ita quoque LXX et *vet. lat.* « simul concurrerunt in me »; vel *vires assumunt, roborantur in me* (*Hirz. Del. Zsch.*); verbatim *sese replent*, unde *vulg.*, repleti scil. Iobi doloribus; hanc censent praedam pinguissimam, qua se impleant et iram et invidiam in Iobum expleant eius cruciatibus delectati (cf. *Pin.*).

Haec vero eo magis animum Iobi exulcerant, quia Deus illos quasi tormentorum infligendorum socios accersit iisque Iobum tradit vexandum; v. 12 « *conclusit me Deus apud iniquum et manibus impiorum me tradidit* »; — i. e. quasi vinctum me illorum arbitrio et ludibriis permisit, ita ut effugere neutiquam possim; bene vim vocis וַיִּטָּה LXX declarant ἔῤῥιψέν με et *vet. lat.* « inter impios *proiecit* me »; proprie ex heb. *in manus improborum me proiecit.*

Eo autem acerbior est casus, quo de altiore gradu quis prosternitur; unde optima hic cernitur sermonis conformatio et quasi per gradus progressio, cum Iobum audimus conquerentem v. 13 « *ego ille quondam opulentus repente contritus sum, tenuit cervicem meam, confregit me et posuit me sibi quasi in signum* »; — bene sensum reddidit *Hier.*; in hebr. *tranquillus* (quietus, felix) *eram et contrivit me minutatim* (*Mar. Malv. W.*) vel *repente exturbavit me* (forma verbi reduplicata vehementiam innuit); subitaneam fortunae eversionem declarat; neque his contentus, me apprehensum et radicitus quasi evulsum (cf. כּוּץ) vel dispersum et confractum sibi pro scopo posuit, in quem sagittas dirigeret; vulneribus addidit vulnera; immo illis totum me conclusit; ita v. 14 « *circumdedit me lanceis suis, convulneravit lumbos meos, non pepercit et effudit in terra viscera mea;* v. 15 *concidit me vulnere super vulnus, irruit in me quasi gigas* »; — in universum bene coniungit *Ol.* : « postquam dixit : signum sum omnibus propositus et iaculis petor, metaphorae insistens tamquam in praecordiis et visceribus vulnus accepisset loquitur ». Lanceas seu tela Domini dolores et aerumnas dicit; bene *Malv.* : « morbis et malis undequaque confodit totum corpus et intimas eius partes, cum supra praecordia, ubi iecur, tum infra praecordia, ubi renes, veluti sagittis transverberat ».

In hebr. difficilis est vox רַבָּיו, quam LXX et *vulg. lanceas, Chald. Syrus sagittas* explicant, quibus alii adstipulantur : *Mar. Hirz.* (tela), *Del. W. Zsch. P. Renan, Le Hir*; at frigidum sane *circumdederunt me sagittae* neque ad rem aptum; unde vertunt *circumsonabant me;* sed quo iure סָבִיב ita explicant? Insuper quamvis sagittarum aerem verberantium sonitus timorem incutiat, tamen *sonitus* pro Iobo parum vel nihil significaret. Aptius LXX et *vulg.*; nam lanceis circumstipatus nullam habet effugium. Aptissime alii *iaculatores* interpretantur (*Pin. Malv. Ros. Fürst, Hitz.*) a רבב *iaculari* (Ier. 50, 29 etiam, ut videtur). Unde bene *Pin.* : « ergo, inquit Iob, obsident me iacu-

latores, undique configor iaculis etc. ». Illos v. 11 et 12 nunc dicit Dei sagittarios, quia Deo volente et permittente eum affligunt. Pergit in hebr. *scidit renes meos et non pepercit* i. e. intima vulnera et plane letalia accepi, non solum cute dissecor aut vulneror (lanceis et sagittis), sed intimis visceribus (*Pin.*); Arabes vulnus mortiferum ita dicunt (cf. W.). Dein *effudit in terram fel meum* i. e. a sagittis fellis vasculum disruptum est; vita cum intimis visceribus profunditur. Alia imagine ab urbis obsidione et murorum ruptura deprompta ictus suos et ruinas declarat; ita in hebr. ad verbum *perrumpit me ruptura super rupturam* i. e. assiduis, continuis rupturis me dilacerat (*Pin. Malv.*), id quod ad morbi genus cute disrupta referri potest. Omnem in se impetum divinum complexus dicit : *irruit in me quasi gigas*, quasi heros, ira scil. et viribus potens, qui aliis sit terrori.

Bene *Vav.* sensum a v. 13 seq. proponit : « gradibus quibusdam crescit et augetur oratio non una superlatione. Deus me, inquit, cum tranquille et placide traducerem vitam, et obtrivit derepente et disiecit, arreptaque cervice confregit et scopum quem ferirent sagittarii, proposuit. Convulnerati lumbi, effusa intestina, nec modo membris pepercit ullis, sed conduplicavit ictus et vulnera vulneribus addidit, quasi qui fortissimus bellator incurrit in me saepius et impetum fecit et plus millies iam sauciavit ».

Cruciatibus propositis nunc declarat, quomodo habitu exteriori et corporis conditione hos prae se ferat dolores. Unde v. 16 « *saccum consui super cutem meam et operui cinere carnem meam;* v. 17 *facies mea intumuit a fletu, et palpebrae meae caligaverunt* »; — veste lugubri est indutus et in morem lugentium pulvere, cinere se conspergit; cf. 2, 8. Mich. 1, 10. Is. 3, 24; 20, 2. Vultum prae se fert tristitia consumptum; visus iam hebetatur ex nimio fletu; vel indicat se iam mortis appropinquantis umbra et tenebris obvolvi. Hoc exprimunt simul cum hebr. LXX et *vet. lat.* « super palpebras meas umbra mortis »; « ait igitur Iob : mea lumina iam deficiunt, iam caligo, iam morior » (*Pin.*).

Hebr. גַּלְדִּי proprie est *crusta : saccum consui super crustam meam* (cf. *Malv. Calm. Del. Zsch.*), uti bene vertunt LXX ἐπὶ βύρσῃ μου et *vet. lat.* « cilicium assuerunt corio meo »; cutem contractam vocat *crustam*. Cum saccus arcte adhaereret membris et insuper sanie quasi agglutinaretur cuti, optime dicit *consui*. Alterum membrum ita est in hebr. : *involvi in pulvere cornu meum* (*Mar. Pin. Malv.* III. V. *Cod.* collutulavi, agitavi in pulvere) i. e. gloriam meam (*Chald.*); quidquid splendoris fuit et potentiae, abiectum iam est et pulvere obrutum. Contrarium est *exaltare cornu*; cf. Lament. 2, 17. Ps 74, 5; 148, 14. — Hebr. v. 17 verte : *valde rubuit facies mea a fletu* vel *aestuat*, vel *efferbuit* (*Houbig.*); LXX συγκέκαυται et *vet. lat.* alio utique substantivo : « venter meus combustus est a fletu ».

Recensitis cruciatibus naturae quasi necessitate ex animi Iobi habitudine enata redit assertio et exclamatio v. 18 « *haec passus sum absque iniquitate manus meae, cum haberem mundas ad Deum*

preces »! — in hebr. breviter et nervose : *quamquam non iniquitas in manibus meis et preces mundae* (vel עַל propterea, quia non iniquitas..).

Hoc est *aenigma* eius, quod post laboriosam amicorum argumentationem *nervose* repetit, ut ostendat nihil solutionis illos attulisse. Profitetur se integrum ac pium, purum a culpa et Dei cultorem assiduum, uti 1, 1 laudatus est. Mansit hucusque talis; quamobrem haec protestatio sollemnis non potest non commovere animos legentium, qui conditionis eius gnari sciunt, cur mala subeat. Magna simul voluptate percipiunt, quomodo ex tali protestatione iam spes ac fiducia efflorescat.

c) Deum invocat innocentiae testem 16, 19-17, 10.

Aerumnis maximis opprimitur innocens : ex hac consideratione oritur vehemens desiderium, ut eius causa iusta appareat, et ex desiderio ingenti, quod sancta quadam necessitate animum occupat et impellit, firma demum concipitur spes, fore ut Deus innocentis tandem partes tueatur.

Primum ardenter expetit, ne eorum quae sustineat memoria removeatur, sed ut incessanter vigeat, donec eius causa declaretur iusta ; v. 19 « *Terra, ne operias sanguinem meum, neque inveniat in te locum latendi clamor meus* »! — bene adnotat *Pin.* : « poeticum sane atque patheticum in dolore aut alia re gravissima res mutas mortuasve omni sensu adituque carentes testes et auditores compellare ». Sensum dilucide explanat *Ol.* : « verba haec ad misericordiam excitantis sunt, quamvis precantis more concipiantur; dicit autem : ne sileas, o terra, ea quae mihi acciderunt, neque sanguinem meum iniuste e carne mea effusum contegas (quin tamquam Abelis sanguis clamorem edat), et quae corporis mei sanie respersa es, Deum precibus ad vindictam sumendam excita » vel potius, ut mihi ius meum restituatur; nam ut notat *S. Thom.* : « si sanguis eius absque culpa fuit effusus, iustam querelam habuit contra effundentem (Gen. 4, 10) »; dicit enim *sanguinem suum*, quia « letaliter sauciatus doloribus, sanguinem, pene dicam, ipsamque substantiam suam fluentem videbat in saniem, ulceribus totum corpus tenentibus » (*Calm.*). Sanguis enim effusus declarat occisoris culpam et occisi innocentiam, inde iustitiam clamat; quare optat, ne a terra absorbeatur (cf. Is. 26, 21. Ez. 24, 7 *super limpidissimam petram effudit illum; non effudit illum super terram, ut possit operiri pulvere*). Ita iure plerique (cf. *Pin. Vav. Sanct. Men. Tir. W. Del. Hitz. P.*)[1].

1. Quod aliis placet, esse imprecatorie vel exsecratorie dictum : si non vera praedico, terra me mortuum non excipiat; vel si quam caedem patravi, terra revelet ac testi-

Pari modo vult, ut afflictio et clamor universim innotescat, nulla re obruatur; id quod bene describit *Ol.* : « neque vociferationem meam aer cohibeat, neque luctus et lamenta loco consistant et occultentur aut oblivione deleantur, sed ad coelos vocis meae intensio pertingat, ut Deus malorum quae fiunt vindex et sceleris auctorum ultor constitutus, vitae meae anteactae integritatem inculpatam omnibus manifestam faciat. Mos autem hic est eorum, qui in aerumnis versantur, ut nolint mala sua celari. Tantum, inquit, abest, ut malorum mihi conscius sim, ut omnes intueri ea quae patior desiderem » ; clamor scil. ne sistat et lateat in terra, ad coelum incessanter penetret (cf. *Pin. Cord. Mar. Tir. W.Men.*); idem in hebr. *ne sit locus clamori meo*, ubi scil. lateat vel consistat (cf. *Mar. Malv. Pin. Ros. W. Hitz. P.*).

Plane scit et intime sibi persuasum est, se non frustra asserere innocentiam suam. Assurgit ad miram spei et fiduciae confessionem, cum iam non pro tempore futuro tantum suae innocentiae testificationem certo speret, sed aperte profiteatur, *iam nunc* Deum esse suae integritatis testem. Ita enim in hebr. v. 20 *etiam nunc ecce in coelis testis meus et testificator meus* (LXX ὁ δὲ συνίστωρ μου) *in excelsis* ; qui non solum scit, sed etiam testatam facit et profitetur innocentiam meam (cf. *Malv. Hirz. Hitz.*), v. 20 « *ecce enim in coelo testis meus et conscius meus in excelsis* » ! — *in terra* Iobus vilipenditur et accusatur ; erigit se, quia *in coelis* eius agnosci debet et approbatur innocentia. Praeterea fidei et pietatis vim in Iobo iure admiraberis, qui, quamvis Deum ipsi poenas infligentem descripserit, tamen tali fiducia in eundem fertur. Quo magis enim ab amicis despicitur et tamquam peccator ira et vindicta Dei obrutus asseritur, eo magis et intimius *Deo adhaeret* uni spei auctori et sponsori ; unde contrarium evenit eius, quod *Satan* exspectaverat, et Iobus, ut humano modo loquar, Dei exspectationem non fefellit, neque Dei contra Satan gloriationem eventu spoliavit. Praeclare hoc enuntiat v. 21 « *verbosi amici mei ; ad Deum stillat oculus meus* » ; — in hebr. *illusores mei amici mei* (cf. *Pin. Malv.* III. *W. Renan*) ; ad Deum oculos cum lacrimis assiduo convertit, ipsae lacrimae preces sunt efficaces, in Deo uno obtutum figit eiusque opem omnis eius fletus incessanter implorat. Ita Iobus animi sui sensa praeclare pandit.

Iam quid toto affectu appetat, exponit v. 22 in hebr. *et* (ut) *ius*

---

licetur sanguinem a me effusum (cf. *Malv. Cord.* apud *Pin. Cod.*), hoc loco post tot sollemnes innocentiae assertiones frigidius dici videtur, neque concordat cum altero membro, neque satis cum sequenti versu, qui ostendit Iobum id totis viribus summopere expetere, ut innocentia palam a Deo declaretur. Quare prior expositio ad affectus vehementiam magis est apta.

dicat viro cum Deo i. e. ut decernat pro viro contra Deum, a quo nunc affligitur ; alterum membrum vel comparationis causa adiungitur : *ut filius hominis* [1] ius dicit *amico*, i. e. petit, quod saepe iam rogaverat, ut Deus communi norma secum agat ; vel, quod *Dathe*, *Hitz.* aliique malunt [2] *et decernat inter hominem* (Iobum) *et amicum eius* (vel amicos eius) i. e. ut Deus etiam Iobo ius dicat contra amicos, id quod cum priore membro arcte coniunctum est. Proinde innocentiam palam declarari rogat; ita Iobus evadet superior in disceptatione. Quod textus latinus habet v. 22 « *atque utinam sic iudicaretur vir cum Deo, quomodo iudicatur filius hominis cum collega suo* » ; — refert sensum 9, 32. 33; 13, 19-24; i. e. utinam Deus illum sequeretur ordinem, quem homines in iudiciis observant! dein possem facile meam causam probare et evincere (cf. *Cord.*).

Postulationi suae rationes subdit ex vitae brevitate et miseriis depromptas ; et prius quidem v. 23 « *ecce enim breves anni transeunt et semitam per quam non revertar, ambulo* » ; — i. e. urget divinam clementiam, ut maturet ei benefacere ; labi enim tempus pauloque post non fore in hac vita opportunitatem, ut afflictum recreet et insonti opituletur (cf. *Cord. Cod.*). Bene *Men.* advertit : « eadem videtur ratio, quam supra attulerat 14, 5. 6 ; non enim mirum, si frequenter eadem repetat et dolores subinde deprecetur : qui enim infortunio aut morbo aliquo vexantur, frequenter eo sermonem referre solent » ; urget eo magis, quia si moriatur, tamquam impius habebitur (cf. *Pin.*). Idem exprimunt LXX et *vet. lat.* : « anni enim numerati venerunt mihi ». Id magis explicat conditione sua perpensa, quae ostendat, quam proximus sit morti 17, 1 « *spiritus meus attenuabitur, dies mei breviabuntur, et solum mihi superest sepulchrum* » ; — vel ex hebr. *spiritus meus* (vitalis) *corruptus est, dies mei exstincti, sepulchra mihi* (cf. *Cod. Mar. Malc.*), i. e. iam spiritus vitae opprimitur, attenuatus est, ut mox deficiat. In hisce denuo recolit, quanta acerbitate ultimi hi dies sint impleti ; v. 2 *non peccavi et in amaritudinibus moratur oculus meus* » ; — i. e. nihil sentit, videt, percipit nisi molesta et amara. Facilis est *vulg.* sensus.

In hebr. *profecto, sanniones mecum* (sunt) etc. (*Cord. Malc.* VII. *W. Del. Zsch. P.*) et iure, est enim אִם־לֹא particula interrogationis *nonne* vel iurantis formula, quae ad sensum *profecto* proxime accedat ; et similiter in *vulg.* Alii particulam retinent conditionalem : si non adessent illusiones, in disceptationibus quietus essem ; vel

1. Ita *Theod.* καὶ υἱὸς ἀνθρώπων τῷ πλησίον αὐτοῦ. Cf. cod. syr. hexapl.
2. Explicant et legunt non בֶּן, sed בֵּין. Sensus optimus quidem ; at comparationem efferunt *Syr. S. Hier. Chald.*

si non adest mecum fraus (i. e. quia nullius culpae mihi conscius sum), oculus meus in illorum impetu manere potest tranquillus (cf. apud *Hirz. Hitz.*); sed alias certe Iobus non ita de amicorum sermonibus iudicat, neque hucusque propter suam innocentiam criminationes interlocutorum sprevit. Verbum הָתַל in *vulg.* Gen. 31, 7 *circumvenire*, Ex. 8, 25 *fallere* similiter Iud. 16, 10. 13. 15 *illudere, decipere, mentiri*, 3 Reg. 18, 27 *illudere* vertitur; hoc loco הֲתֵלִים prior significatio (*non peccavi* = profecto, non fraudes mecum) videtur ab interprete accepta. Sed etiam significatio *illusio* ex 3 Reg. 18, 27 indubie constat. Neque לוּן *pernoctare* adiunctam videtur habere notionem *quietum esse*, sed tantum diu morari; quare in priore interpretatione omnino standum erit.

Quia « illusiones mecum » sunt, eo instantius Deum deprecatur, ut Deus spondeat pro ipso et sit fideiussor apud se pro ipso. Ita in hebr. v. 3 *pone* (pignus), *sponde pro me apud te* i. e. fideiube pro me apud te; Deum implorat testem innocentiae, ut apud Deum qui infligit poenas, pro ipso insonti spondeat, eum in fidem ac patrocinium suscipiat et huius patrocinii pignus ponat. Bene *Pin.* perpendit : « hinc sane perspicere licet, ut vir pius nullibi agnoscat tutam fidem, nisi in Deo, neminem, qui in re capitali velit pro illo sponsorem se praebere » ; quare pergit in hebr. *quis ille*, (qui) *manui meae obligetur* i. e. quis enim praeter te data dextera sponsionem in se recipere possit vel velit? quis alius mecum ineat foedus, quod manuum complosione sancitur (cf. *Mar. Malv. Cod. Pin. Cord. Tir. Vav. W. Zsch.*). Textus lat. v. 3 « *libera me, Domine, et pone me iuxta te et cuiusvis manus pugnet contra me* » ; — sensum refert eundem, quatenus solius fidei et securitatis causam in Deo agnoscat; profitetur Iobus, se nihili putare omnium hominum aggressiones, dummodo Deus eum protegat, eum tamquam innocentem ad se admittat [1].

Una spes est in Deo collocanda, nam amici carent sapientia et vera cognitione, unde ab illis aequum ac verum iudicium sperari non potest ; v. 4 « *cor eorum longe fecisti a disciplina, propterea non exaltabuntur* » ; — vel ex hebr. *quia cor eorum abscondisti ab intelligentia, propterea non exaltabis* (eos) i. e. causam non evincent, superiores non erunt, sed causa cadent (*Malv.*). Obstinatam illam amicorum sententiam, qua in errore de poenarum causa versantur, Iobus considerat tamquam castigationem divinitus admissam; mentes eorum, meliori eruditioni impervias eamque respuentes, non esse tales agnoscit, quas Deus suis favoribus approbet. Quam recte Iobus

---

1. Vocem עֵרֵב interpres latiore sensu accepit; cf. Ps. 118, 122 *suscipe servum tuum in bonum;* fortasse alterum membrum *quis manum meam percutiat?* sane legerit יִתְקַע i. e. *quis audeat percutere?* explicans liberiore modo et elegantiore sibi esse vertendum duxit.

iudicaverit, eventus docet et ex prologo colligitur. Deus, ita arguit, mentes dociles, animos humiles approbat, exaltat, suis sapientiae donis cumulat; sed a tali docilitate eorum contumacia longissime abest; cernit in eorum obstinatione initium divinae in eos vindictae. In qua vero conditione iam versentur illi et quam longe absint ab exaltatione, per modum comparationis illustrat v. 5 « *praedam pollicetur sociis et oculi filiorum eius deficient* »; — i. e. sunt amici sicut homo qui amicis largam praedam pollicetur, dum ipse adeo pauper sit, ut filii eius prae fame deficiant. Amici Iobo pollicentur sapientiam eumque docere volunt, dum ipsi illa careant quam maxime. Hic sensus, a quo *Cord. Men.* non longe absunt et quem *Hirz.* et *Hitz.* etiam ex hebr. proponunt, simplex ac verus videtur; respondet verbis et contextui; dicuntur oculi deficere, languescere prae inopia, fame (cf. Ps. 87, 10. Iob 11, 20. Ier. 14, 16. Bar. 2, 18).

Ceterum mira est hoc loco interpretum varietas, et merito dixit *Cord.* : « vix duos auctores reperias, inter quos de huius loci aut conversione aut explicatione conveniat ». Neque ullo pacto opus est a latina interpretatione recedere; illa enim quam optime verbis hebr. respondet, ut *Hitz.* fatetur, qui hoc loco unam *vulgatam* recte transtulisse asserit. Ita hebr. etiam intelligunt *Chald. Mav.* « qui ad dividendum annuntiat sociis », alii ita vertunt : qui amicos tamquam praedam prodit (vel praedae causa prodit, vel eos diripiendos et lacerandos aliis exponit), carissimorum suorum morte punietur (cf. *Ros. W. Del. Zsch. Le Hir*); alii aliter, quos vide, si vacat, apud *Pin. Malv. Ros. Vav.* Volunt amicos violatae amicitiae legis accusari et ita alteram reddi rationem, cur non sint exaltandi.

Qua in re praecipue eluceat amicos carere sapientia, declarat v. 6 « *posuit me quasi in proverbium vulgi et exemplum sum coram eis* »; — numerum adhibet *singularem* ex v. 5 et comparatione instituta; vel loquendi modus est indefinitus (ut germanicum *man*) i. e. me fecerunt in parabolam, ex me petunt dicendi formas, quibus aliorum peccata et calamitates amplificent; nomen meum apud eos in proverbium abiit, quo hominem scelestissimum eumque Dei vindicta percussum designent, ita ego iis sum *exemplum* iustitiae Dei. In hebr. תֹּפֶת לְפָנִים *abominatio faciebus factus sum* [1] (cf. *Hitz.*), vel quod aliis praeplacet : factus sum sicut is cui sputa in faciem proiiciunt (cf. *Ros.*

1. Vox derivatur a תּוּף exspuere; abominari; unde nomen eum dicit, qui adeo est abominationi, ut coram eo exspuamus. *S. Hier.* probabilissime מִפֶּת legit *prodigium, portentum* i. e. exemplum prodigiosum (cf. *Pin.*). Ex veteribus alii de *Tophet*, Gehenna cogitant (*Chald.* cf. *Pin. Cod.*), alii de *tympano*, vel cruciatus instrumento, vel publici spectaculi nuntio (cf. *Malv. Vav.*).

Hirz. W. Del. Zsch. P. Le Hir). In hunc sensum *exemplum* scil. irrisionis, quod ad irridendum proponitur, vel quocum ridicula quaedam comparamus, accipi potest (cf. *Pin.*) ; quare bene LXX ἀπέβην αὐτοῖς γέλως et *vet. lat.* « in risum illis deveni ». Alio parumper modo dicitur exemplum, quod ad gravissimum supplicium et quasi *exemplar* pertinet, quod ceteris hominibus sit documento, terrori, stupori, quod sit exemplum cruciatus. Loquendi modus est satis frequens, cf. Num. 5, 27; 3 Reg. 9, 8; 2 Par. 7, 20; Ier. 48, 39; Ez. 5, 15; 14, 8; Nah. 3, 6. Amici autem talia de Iobo iudicantes turpiter errant, neque (quod insipientium est) se ullo pacto dedoceri patiuntur [1].

Cum talis habeatur, sentit rei indignitatem et novo afficitur dolore et moerore ; unde v. 7 « *caligavit ab indignatione oculus meus et membra mea quasi in nihilum redacta sunt* » ; — hebr. *sicut umbra omnia* i. e. tabescit et consumitur moerore et moestitia; idque *oculis* vigorem ac vim subtrahit, cum splendor illorum et lux tristitia et lacrimis ita adimatur, ut eorum acies hebescat; idemque corporis macie tabeque ostenditur; redactus est quasi in umbram pristini Iobi qui fuerat, exsanguis potius quam homo vigens cernitur, tamquam umbra pallida, corpus umbratile ; adeo vires et membra deficiunt. Hyperbole est, animi dolentis indicium.

Iam explicat quos effectus habeant eius calamitates in viros sapientes; ita *a*) refutat accusationem ab Eliphaz prolatam 15, 4; *b*) amicos carere prudentia ulterius ostendit.

Talia enim cernentes, quae ipsi acciderunt, v. 8 « *stupebunt iusti super hoc et innocens contra hypocritam suscitabitur* » ; — primum admiratione et stupore tangentur de mira Dei et nunquam satis ab homine comprehensa providentia, qua sic interdum cum iustis agit (cf. *Pin.*). Ab hoc affectu ad alium prorumpunt : mirantur et indignatione commoventur contra impium, qui prosperam agit vitam; cf. Ps. 72, 3 zelavi super iniquos pacem peccatorum videns. Pronum est, talem excitari indignationem ; unde monet Ps. 36, 1 : noli aemulari in malignantibus; nihilominus etiam pii tali impiorum felicitate et superbia tentantur : concaluit cor meum intra me Ps. 38, 4. Censet *Pin.*, hac ratione simul Iobum orationem suam paulo incitatiorem excusare : quid mirum est me ita loqui, cum res ipsa tam indigna sit, ut iustum quemvis merito conturbare possit. Alii : iusti importunitatem et vehementiam amicorum damnabunt et aversabuntur et contra illam in meam defensionem exsurgent (cf. *Men.*). Sed generalem sententiam Iobus proferre videtur. Ad quod optime refertur id quod

---

1. Alii supplent ad *posuit Deus* (*Sa, Mar. W. Del. Zsch. P.*), alii melius *Eliphaz* (*S. Thom. Men.*); optime in universum sententia accipitur (*Cord. Hirz.*).

sequitur; tali enim aspectu et indignatione iustus non modo non missam faciet virtutem, sed maiore animo et conatu illam prosequetur et capesset (*Mar.*). Ita v. 9 « *et tenebit iustus viam suam et mundis manibus addet fortitudinem* » ; — i. e. haec severa Dei providentia, quam in me insonti cernunt, iustos excitabit, quo maiore cura et studio virtutem colant et ab omni mali specie abstineant; hunc fructum colligit is, qui vere iustus est; ita Iobus refutat quod Eliphaz 15, 4 obiecerat. Censet enim Iobus, minores suos naevos adeo severe castigari; iam ex tali Dei iustitia iustus vires colligere debet, ut coram Deo sanctissimo omni studio caveat a peccato et omni conatu amplectatur virtutem. In hebr. *et purus manibus addet fortitudinem*.

Sed ad amicos oculos convertens eos in praeconcepta sententia cernit obfirmatos, ineptos ad talem fructum et talem sapientiam. Unde v. 10 « *igitur omnes vos convertimini et venite! et non inveniam in vobis ullum sapientem* » ; — ex hebr. *verum vos omnes*[1] *iterum accedite* (et venite) i. e. etsi iterum iterumque reditis ad me inspiciendum, ad disputationem protrahendam, non melius unquam sapietis. Alii provocationem ibi cernunt ad disputationem instaurandam (*Mar. Men.*); sed prius magis ad rem; tali vero severa castigatione eos simul ad sententiae mutationem, i. e. ad resipiscentiam cohortatur, immo reprehensione facta provocat.

d) Suam lamentatur conditionem 17, 11-16.

Denuo se iam pene vita functum esse conqueritur, unde iterum apparet, quam inepta amici spe ipsius animum solari conentur (cf. 5, 18; 8, 21; 11, 14). V. 11 « *Dies mei transierunt, cogitationes meae dissipatae sunt, torquentes cor meum* » ; — hebr. *possessiones* (hereditates) *cordis mei*; « ita spes appellatur, quia animi mortalium spe foventur » (*Cod.*); i. e. omnia quae animo fovebat iam evelluntur, eradicantur, morte appropinquante exstirpantur, pereunt (cf. *Pin. Mar. W.*). Experitur scil. inter alia etiam acerbum illum dolorem, quem spei, cogitationum, consiliorum omnium evulsio creare solet morte instante. Quam cordis confractionem non immerito explanant LXX et *vet. lat.*: « concussae sunt compages[2] cordis mei ».

Unde frustra ait amicos meliora promittere; quorum agendi modum delineat v. 12 ex hebr. *noctem in diem vertunt, lux propinqua ex*

---

1. Pro כלם textus mas. certe legi debet cum aliquibus codd. cum *Syro, S. Hier. Houbig. B.* כלכם *omnes vos.*
2. Sed probabiliter מוֹרַשׁ commutarunt cum מוֹתַר (cf. *Del.*).

tenebris i. e. pro nocte calamitatis et mortis, quae mihi ineluctabilis imminet, diem promittunt felicitatis ; lucem aiunt mihi esse propinquam, denuo fore, ut mihi prosperitas illucescat et ex calamitate enascatur vel etiam, *antequam* mortis tenebrae ingruant.

Locus est vexatus ; simplicissimam elegi explanationam ; dubium praeprimis est membrum alterum, et in hoc מִפְּנֵי ; illam notionem selegi, quae certo voci inest (cf. Ex. 14, 19. Gen. 6, 13). Alii hoc membrum elucidant : lucem appropinquant tenebris, i. e. aequant, i. e. res prorsus invertunt (*W.*) ; obstant et verba et sensus. Alii : lux est propior, quam facies tenebrarum (*Hirz.*), i. e. quam ipsae tenebrae, sed quî *facies* tenebrarum ? et quomodo possent asserere, Iobo propius adstare felicitatem, quam ipsam in qua versatur miseriam ? Alii : lux propinqua tenebris, i. e. ex mente Iobi : vixdum ortus est sol, cum statim iterum ingruunt tenebrae ; nox est mihi tamquam dies, quia ob dolores insomnem transigo, dies vero et lux brevissima et nulla fere mihi prae tenebris malorum (*Ros. Le Hir*). Eundem in modum versum explanant subaudientes *cogitationes*, *Ol. S. Thom. Cord. Mar. Malv. Men. Tir. Calm.*, sed obstat *a*) mirus loquendi modus : nox insomnis est dies ; *b*) cum *lux* et *tenebrae* statim metaphorice dicantur, eadem metaphora in membro priore debet agnosci ; *c*) non satis perspicitur, cur a v. 13 adeo efferat, quid *ipse* exspectet ; id vero in priore interpretatione optime habetur, dum *contra* amicorum promissiones, quid revera sibi instet, multo pondere exsequitur.

Textum latinum v. 12 « *noctem verterunt in diem et rursum post tenebras spero lucem* » ; — intelligere eodem modo poteris, si ultimum membrum per interrogationem efferas. Praeclare enim notat *Pin.* : « at si interroganter legas, lenissimus sensus et tum hebraeis et graecis [1] tum etiam rei praesenti valde congruus efficietur ; nam iubebant illum amici bene sperare de felicitate temporali iterum recuperanda ; nunc ostendit vanam esse spem ; lux prope tenebras et vita morti proxima ; sperarene debeam feliciorem conditionem et post tantas tenebras iterum vitae lumen recuperandum ? hunc autem sensum in hebraeo esse et in latina lectione desiderari, *Eugubinus* affirmat ; sed non desiderabit, qui paulo accuratius expenderit ».

Iam quid vere ei sit exspectandum, proponit amicorum suasiones ridens, v. 13 « *si sustinuero, infernus domus mea est, et in tenebris stravi lectulum meum* » ; — i. e. si exspectavero rerum commutationem, ut vos vultis et pollicemini (*Mar. Malv. Tir. Gord.*), non diem, non lucem, sed limbum solum tenebrosum mihi contingere certum est ; ibi lectum

1. LXX habent φῶς ἐγγὺς ἀπὸ προσώπου σκότους ; *vet. lat.* « lux prope faciem tenebrarum ».

meum iam cerno stratum, ibi totus sum animo et cogitatione; nihil aliud restat. Vel si aliquid sperandum est, limbus eiusque tenebrae unice sunt exspectandae [1].

Quid *animo* supersit, dixit; iam proponit, quid *corpori* contingere praestoletur, v. 14 « *putredini dixi : pater meus es; mater mea et soror mea, vermibus* » ; — iam ita assuetus est et familiaris morti eiusque exspectationi, ut putredinem [2] vermesque nominibus carissimis tamquam maxime sibi propinquos compellet; « cum nulla alia re temporali remanebit mihi affinitas » (*S. Thom.*). Simul ista appellatione non obscure innuit, quantopere ipsi mors in votis sit (*Ol. Pin.*); cum iis demum arctissima societate et cognatione coniungetur (*Vat. Malv. Tir. Men.*).

Si, ut *Br.* bene coniungit, anima in infernum, caro vero in putredinem et vermes ire compellitur, v. 15 « *ubi est ergo nunc praestolatio mea et patientiam meam quis considerat* »? — hebr. *et exspectationem meam quis intuebitur?* ita scil. *amicos* interrogat : quis illam spem, quam vos fovere me iubetis, — unde *B.* legi vult *bona mea* — unquam impleri videbit? Vana sunt figmenta! Ita bene *Pin. Cord. Mar. Malv. Tir.* Frigide alii (*Men. W. Del.*) exspectationem ipsius Iobi intelligunt; sed quid de *hac* quaerat, quam a v. 13 tam nervose proposuit? Amicos refellit et ridet, ergo *amicos* tangit et pungit interrogationis aculeo.

Respondet v. 16 in hebr. *ad vectes* [3] *inferni descendent, si simul super pulverem requies* i. e. nulla alia spes mihi superest. Ita sermonem antecedentem complexus concludit, iterum limbum et sepulchrum, animi et corporis habitaculum commemorans [4].

---

1. Sunt, qui ipsum *Scheol* sepulchrum interpretentur (*S. Thom. Mar. Malv. Cod.*), at recte cum *Ol. Phil.* limbum interpretamur, ad quem ipsae etiam tenebrae referendae sint. Nam *lectum in tenebris sternere* sepulchrum explicare (*Pin. Cord. Men.*) non adeo placet, quia versu demum sequenti sortem corporis meditatur Iobus.

Aliis placet, apodosin demum a v. 15 incipere (*Hirz. Hitz.*); at immerito; in oratione enim *concitata* quis tam longas feret periodos? brevibus membris sermo incedit!

2. שַׁחַת *putredinem* rite explicari a *vulg.* (et etiam ab *Aq. Theod.* cf. cod. syr. hexapl.), certum est, cum in membro parallelo רִמָּה correspondeat; unde vox a verbo שָׁחַת *perdere, corrumpere* est derivanda; neque licet vertere cum recentioribus (*Hirz. Hitz.*) *foveam, sepulchrum* שַׁחַת a שׁוּחָה cum haec vox *fem.* sit, quam *patris* appellatio nullo modo consequi potest (cf. Ps. 15, 10).

3. Ita quidem ex punctatione בַּדֵּי (cf. *Pin. Cord. Malv. Cod.*); sed cum veteres versiones nullo modo *vectes* vel *repugula* exprimant, merito de illa lectione dubitaveris. *Syrus* habet *cum potentia* (בְּדֵי); LXX ἢ μετ' ἐμοῦ ; *vulg. in profundissimum infernum*, id quod בַּדֵּי *ad* sufficientiam, *abundantiam inferni* (cf. Nah. 2, 13) legendum esse suadet (cf. *Hitz.*).

4. Vult *Hitz.* legi per interrogationem. Sed quorsum? nam « spes illa descendet ad inferum » non dicit, ut ille vult, « in inferno spes effectum sortietur », quomodo enim amicorum promissio de felicitate *terrestri* in limbo impleretur? sed « spes illa evane-

S. Hier. אִם interrogative explicuit; unde v. 16 « *in profundissimum infernum descendent omnia mea; putasne saltem ibi erit requies mihi* »? — verba sunt gementis et limbi mortisque requiem expetentis, sed nihilominus conditionem illam umbratilem nonnihil extimescentis (cf. 10, 21. 22; 14. 21. 22), quem timorem optime interrogatio illa dubitantis quasi et titubantis exprimit. Nam quod de sepulchro aliqui exponunt (*S. Thom. Cod. Mar. Men.*), minime placet, cum verba ipsa nimis clare *limbum* obtrudant (cf. *S. Greg. Br. Rup. Pin. Cord. Vir.* IV.), et *Scheol* nunquam sepulchrum significet [1]. Iobus, quamvis 16. 18-20 praeclaram suam in Deum spem asseruerit eamque denuo precibus (17, 3) declaraverit, tamen nullam hisce in terris collapsae fortunae restitutionem corporisque sanitatem sperat. Ita quidem animum pandit religione et pietate quam maxime insignem. Nam Deo nuntium non modo non remittit, sed firmam eius fidem retinet, cum tamen ea quae ardentissime exoptat ab eodem Deo sibi denegari censeat. Ita demum victoriam reportat gloriosam de Satan, qui Iobum beneficiorum tantum gratia Deo servire calumniatus erat. Servit Deo fidemque et religionem colit propter Deum. Quod ut eluceat, sacer auctor Iobum toties inducit amicos eorumque promissiones temporales refellentem. Est Deo fidelis, quamvis hisce in terris nihil iam sperari posse censeat.

---

scit »; vel si malueris de Iobi spe esse sermonem, tum ait, omnem exspectationem aliud non spectare nisi limbum, nisi mortem.

1. Nam ea vox in V. T. quatenus prostat in textu hebr. 65 vicibus occurrit (cf. *Fürst* C. p. 1088) inter quos locos *multi* sunt, qui *sepulchri* notionem *prorsus* excludunt, *nullus* qui illam postulet, neque Ez. 32. 27 si confertur cum v. 21, neque Ez. 31, 15. 16 si confertur cum v. 17.

II. DISCEPTATIO CUM BALDAD. Cap. 18. 19.

1. SERMO A BALDAD HABITUS CAP. 18.

Arg. — Verba futilia esse prolata declamat; quaerit, censeatne Iobus propter se leges aeternas mutari? has vero in eo consistere, ut impius misere intereat (16, 1-6); eam ruinam late prosequitur : certo evanescere illius prosperitatem, miseriam subito, inopinato ita adesse, ut effugere nullatenus possit; cum fame, morbo, morte demum puniri (16, 7-14). Immo ne morte quidem illam cessare maledictionem; serpere scil. illam in impii domum, familiam, omnemque memoriam; omnia exscindi, ita ut omnes propter maledictionis atrocitatem obstupescant (16, 15-21).

Tria notanda sunt ut disceptationis *progressus* appareat : *a*) cum Eliphaz concesserit, impiorum punitionem esse non semper adeo manifestam, sed conscientiae animique terroribus impium flagellari contenderit, Baldad ad priorem propositionem regressus impium manifesta ruina semper interimi denuo affirmat; *b* hac sententiae repetitione, qua Iobi sortem clare describit, eo magis Iobi patientiam[1] exercet, quo molestius est, ab adversario sententiam iam refutatam denuo spretis argumentis propugnari; *c*) Baldad in universum proponit, quod iam cp. 8 disseruit; at impii supplicia accuratius et gravius et magis ad horrorem excitandum describit, atque ullam de Iobo spem se fovere iam penitus negat.

a) Lege stabili impium interire 18,1-6.

Disceptationem *abesraaBdsʒlaed* censet; minime enim cum Eliphaz ab eo recedendum, quod prius assertum fuit, impium manifesta semper ruina plecti; unde interlocutores reprehendit v. 2 « *Usque ad quem*

---

1. Bene *S. Greg.* notat : « amicos quasi consolantes (Satan) adduxit et tamen eorum mentes in asperitatem increpationis excitavit, quatenus eum, cuius patientiam flagella non vicerant, inter flagella saltem aspera verba superarent. Sed inimicus callide insidians fraudem quam contra sanctum virum paraverat, pertulit, quia sancto viro quot occasiones perditionis intulit, tot causas victoriae ministravit. Contra tormenta quippe patientiam, contra verba sapientiam tenuit, quia et dolores verberum aequanimiter sustinuit et stultitiam male suadentium sapienter frenavit ».

finem verba iactabitis ? intelligite prius et sic loquamur »; — cum v. 3 solum Iobum alloquatur, hic *non* ad Iobum unum (ut *Pin. Mar. Gord.* volunt) fieri sermonem constat; sed ad quos? volunt ad Iobum per ironiam : quoniam tu unus in sententia tua instar omnium nostrum haberi vis, esto sane, sis instar multorum (cf. 12, 2 ; *Malv.*) ; vel fieri ad Iobum et eos qui simili sententia sint (*Hirz. W. P.*) ; vel ad eos simul ex circumfusa turba, qui Iobi patronos et fautores se signis et approbatione editis prodidissent (*Vav.*) ; sed optimum est, ad Iobum et Eliphaz referre sermonem (*Cord. Sanct. Hitz.*), qui interlocutores sunt et quorum sententias Baldad revera impugnat[1]. Cernit Baldad in antecedentibus inanem verbositatem, unde ad veram i. e. suam sapientiam interlocutores revocat, atque acriter reprehendit, quia a vero tramite aberrantes doctrinam ab ipso expositam neglexerint; v. 3 « *quare reputati sumus ut iumenta et sorduimus coram vobis* »? — quam maxime Iobum spectat (cf. 17, 4. 10) i. e. quare stulti et viles et impuri habiti sumus (cf. 12, 7; 13, 12; 16, 2. 3. 21) [2]?

Dein insolentiam et arrogantiam Iobi vellicat, v. 4 « *qui perdis animam tuam in furore tuo, numquid propter te derelinquetur terra et transferentur rupes de loco suo* »? — i. e. impotenti animo in te psum furis, te discerpis (hebr.), tibi ipsi es horrori et tamen adeo superbe loqueris? num de tua morte vel vita ita est curandum quasi te exstincto orbis redderetur vacuus? numquid propter tua lamenta Deus providentiae suae cursum mutabit, vel quae immotae sunt quasi rupes leges iam non valebunt? Sunt qui *utrumque* versus membrum de legum aeternarum immutabilitate explicent (*S. Thom. Malv. Men. Ros. W. Hirz. Del. Zsch.*), sed placuit cum *Pin. Vav. Mar.* distinctum utriusque sensum exprimere. Nam 1° apte ad verba et ad reprehensionem fit interrogatio : numquid te oppresso terra erit vacua? 2° difficile intelligitur, quomodo *terram derelinqui* proponatur tamquam exemplum ordinis divini mutati; est certe exemplum pro hac re non valde obvium [3].

---

1. Unde *B.* haud bene asserit, pluralem secundae personae esse prorsus intolerabilem. Effertur etiam a *Chald.* et *Syro.*

Vox קְנָצַי a plerisque = קִצַּי (קֵץ) *fines* explicatur (iam a LXX et *vulg.* — *Syr. obstaculum, Chald. vices*); quidam recentiores ex arabico interpretantur; *quamdiu vultis laqueos tendere verbis,* aucupari verba, i. e. futilia verba venari et loquacitate uti (cf. *Hirz. Del. Hitz.*)? *Verba iactare* idem dicit.

2. Duplicem interpretationem נִטְמֵינוּ iam commemorant *Pin. Malv.* etc., vel a טָמָה = טָמַם, טוּם = obturati, obtusi sumus; vel = טָמֵא = immundi; prius parallelismo, posterius vero et usu (Lev. 11, 43) et versione *syr.* et *lat.* commendatur; insuper magis est nervosum et ad animum Baldad iratum factum natumque. Bene *Ol.* : « Sauchaeorum tyrannus tyrannice loquitur ».

3. Habent LXX et *vet. lat.* « quid enim, si tu mortuus fueris, sub coelo non habitabitur, aut subvertentur montes a fundamentis »?

Quaenam leges Iobo frustra contranitente permaneant immotae, docet v .5 « *nonne lux impii extinguetur, nec splendebit flamma ignis eius* »? — hebr. גם cum emphasi *attamen*; impii felicitas etsi sit grandis et celebris, longe lateque coruscans (*flamma ignis*), qualis Iobi fuit, certo certius concidet. Idem denuo inculcat v. 6 « *lux obtenebrescet in tabernaculo eius et lucerna, quae super eum est, exstinguetur* »; — i. e. prosperitas, quae in domo eius et familia erat, quae sicut lampas pendula ipsum collustrabat, tenebris calamitatum obruetur. « Lucis nomine prosperitatem, opes et quidquid splendorem habet, intelligit; quidam, lucem consilii et providentiae ». *Vav.*

b) Impii ruinam esse multiplicem 18, 7-14.

Impii ruinam latius et quasi per gradus nunc describit; multiplici enim modo contingit. Varia primum obiiciuntur impedimenta operationis et conatus; immo quod utile excogitatum est, fit damnosum (*S. Thom.*); ita v. 7 « *Arctabuntur gressus virtutis eius et praecipitabit eum consilium suum* »; — i. e. antea secure ac superbe incessit; « *arctare gressus* est reprimere, compescere, praepedire, sicut e contrario dilatare gressus est expedire, prosperare, conatum progressumque rerum bene cedentium adiuvare, promovere. *Gressus virtutis* idem est atque conatus robusti, nervosi. Iam vero *consilio suo praecipitari* eleganter dicuntur, qui suo conatu mortem et calamitatem sibi conflant, suo, ut aiunt, gladio iugulantur » *Cord.* Et tale fortunae impedimentum et consilii inopia obtinget (uti Iobo) insperato; id v. 8 « *immisit enim in rete pedes suos et in maculis eius ambulat* »; — rete absconditur in via; unde eo inopinato implicatur et subito se deprehensum sentit, et ut fit, quo magis se extricare nititur, eo arctius constringitur. Necesse est autem eum capi, quia via impii est sicut ambulantis *in maculis* i.e. incedentis super intervalla, oculos, cancellos retium, quibus via est obducta; ita *maculas* dici latine, vide veterum (Varronis, Marc. Nonii, Cic. Virg.) locos apud *Cord. Malv.* Idem Prov. 5, 22 *iniquitates suae capiunt impium et funibus peccatorum suorum constringitur.* In heb. *quia mittitur in rete per pedes suos et super implexa* (intricata, rete) *ambulat.* Impius in via retibus et laqueis obsita incedens non potest non capi; tali necessitate culpam sequitur ruina. Id inculcat cum verbositate v. 9 in hebr. *apprehendet calcem eius laqueus, instringet eum nexus*; ita recentiores צמים ex arabico interpretantur, *nodum fortem*; veteres (LXX, *Syr. Hier.*)[1] legebant

1. Etiam *Syrus* צהא; Chald. נבר *confodientes;* in versione arabica *laquei* חנק *invalescent adversus eum.*

(vel saltem vertunt) צְבָאִים sitientes; unde *vulg.* v. 9 « *tenebitur planta illius laqueo et exardescet contra eum sitis* » ; — LXX κατισχύσουσιν ἐπ' αὐτὸν διψῶντες, i.e. sitibundi, qui sanguinem sitiunt vel praedam, praedones (*Cord. Sa, Mar. Men. Vav.*), vel ipsa eius malesuada concupiscentia eum magis magisque in interitum protrudit eumque excruciat (cf. *S. Thom. Pin. Tir.*).

Exaggerat impium nullo pacto posse evadere, eum corruere, innodari subito, inopinato; v. 10 « *abscondita est in terra pedica eius et decipula illius supra semitam* »; — i. e. non poterit ulla se arte vel astutia tutari. Bene adnotat *Pin.* laqueo ignorato casum reddi et tristiorem, cum sit repentinus et periculosior, et molestiorem, cum insidiarum auctor ignoretur; abscondi autem decipulam in semita i. e. in ipsis vitae actionibus et trita consuetudine vivendi; capi illos *iuxta semitam* i. e. dum sua lucra et voluptates consectentur.

Immo auget sermonem. Pericula enim non quasi *expectant* tamquam laqueus, donec impius accedat, sed undique terrores in eum irruunt, eum venantur, persequuntur, exturbant. Ita v. 11 « *undique terrebunt eum formidines et involvent pedes eius* »; — in hebr. *et fugant eum* (exturbant eum) *ad pedes eius* i. e. ubicumque pedem figit, fugientis scil. et vagabundi vestigiis ubique insistunt persequendo reum (*Malv.*). *Talibus* conturbationibus impium circumagi et cingi vult Baldad, non solum *conscientiae animique* terroribus (quos Eliphaz explicuit 15, 20-24 solos, vel saltem videri poterat explicuisse), verum ipsis rerum periculis undique verissime prementibus. Id enim Baldad vult, impium *ne specie quidem externa* prospere degere.

Iam periculorum et calamitatum irruentium exempla profert; v. 12 « *attenuetur fame robur eius et inedia invadat costas illius* » ; — versio *vulg.* aptum sermonis progressum exhibet [1]; delineatis enim *generatim* calamitatibus (a v. 7-11) iam ipsius impii ruinae *exemplum* profert. Id subsequentibus quoque fit (v. 13. 14), ita quidem, ut impius morbo plane exesus ac devoratus ac violenta morte abreptus non sine horrore proponatur.

Haec rerum consecutio apta et facilis etiam in textu hebr. agnosci potest : *erit famelicum* (exhaustum, enervatum, debile) *robur eius et exitium paratum ad latus eius* (cf. *Mar. Cod. Malv. Ros. W. Zsch.*) אֵבֶן enim, vel scriptione plena אוֹבֶן est *robur eius* cf. v. 7; arbitrarie aliqui אוֹן volunt esse contractum ex אָוֶן=exitium, pernicies (pernicies eius esuriens est i. e. eum gestit devorare; ita *Del. Hirz. Hitz. Le Hir*),

1. Melius retineretur idem tempus in textu lat. quod eousque in usu erat; de יְהִי cum significatione futuri cf. 24, 14 hebr.

sed quare אֵין non in nativa sua significatione sit retinendum, nulla ratio apparet, immo debet retineri, nam *pernicies eius esurit* est metaphora plane inaudita et ridicula. In altero membro S. *Hier.* vocem significationis latioris אֵיד propter parallelismum apte ad *inediam* contraxit [1]. Etiam vox צֵלָע non eodem modo ab omnibus accipitur; est quidem *costa* צֵלָע Gen. 2, 22, *latus* 3 Reg. 6, 8; sim. צֶלַע; at צֵלַע in Ps. 35, 10; 38, 18 (hebr. et Ier. 20, 10?) notionem *casus, ruinae* (in *vulg. flagella*) prae se fert; unde explicant: *pernicies est parata ad titubationem* (casum) *eius*, i. e. ut eum praecipitet (*Del. Hirz. Hitz.*); alii priorem significationem retinent (*Ros. W. Zsch. P. Le Hir*), idque merito; nam quod perditio eius casum molitur, non indiget explanatione, quid enim aliud machinari censenda est? sed quod perditio fixa sit et firmata lateri eius, cum eo vinculo indissolubili iuncta, hoc ad sermonis vim et rerum seriem aptissime refertur.

Famis mentione facta pergit v. 13 in hebr. *devorat ramos* (membra) *cutis eius, devorat ramos eius* (membra) *primogenitus mortis* (cf. *Mar. Malv. Pin. W. Del. Hitz.*) Quis *devorat* in priore membro? languidum sane ibi iam *primogenitum mortis* subaudire; melius intelligitur vel ex v. 12 אֵיד *perditio*, vel generatim *morbus* (vel germanice *es*); impium qui seipsum prae fame dilaniet, *Hitz.* intelligit; sed id cogitare certe mens refugit. *Primogenitus mortis* est morbus gravissimus, morbus princeps, vel mortis genus quam maxime horrendum (cf. *Malv.* VI. *Men. Cord. Pin. Hirz. W. P. Renan*); dicuntur enim apud Arabes morbi « filii mortis »; primogenitus est proin ille morbus, qui ceteris praestantior est, feralior, funestior; quare ipsa *elephantiasis* iure ita vocatur (cf. *W. Del. Hirz. P.*); *famem Cord.* et *Hitz.* intelligi volunt; sed cum *famem* iam v. 12 inveniamus, sermonis progressus aeque ac verborum pondus priorem interpretationem iure exigere videntur.

Alterum eiusdem rei exemplum est v. 13 « *devoret pulchritudinem cutis eius, consumat brachia illius primogenita mors* »; — notat *Mar.*: « ramis ornatur arbor; sic bene pro ramis *Hier.* substituit pulchritudinem »; melius *Pin.* ramos vel partes cutis absumi ait esse idem ac universam cutem exsugi, corrugari, aduri; proinde devorari florem, vigorem, *pulchritudinem* cutis: est enim, ut idem ex Tullio subdit, pulchritudo corporis « quaedam apta figura membrorum cum coloris quadam suavitate ». *Primogenita mors* aliis est *diabolus* (*exp. in. Phil. Br.*); sed parum apte, tum si verba tum si loquentem consideraveris; aliis ita vocatur *mors*, quia inter omnia mala principatum tenet quasi iure primogeniturae; est enim quasi primogenita peccati filia et princeps et omnia mala ei tamquam famulae principi famulantur et viam sternunt (*Tir. Sa*); vera quidem haec, sed dubito, num *ad loquentis mentem* exacta sint. Aliis est mors tempestiva, naturalis aetatis finem praeveniens (*S. Thom. Vav.*); optime mors ceteris acer-

---

1. Optime enim novit *Hier.* latam vocis notionem; illam quippe vertit modo *perditio* (Iob 21, 30; 31, 3; Deut. 32, 35; Prov. 6, 15; 24, 22. Ier. 18, 17; 49, 8), modo *interitus* (Prov. 1, 26. 27. Ier. 49, 32), modo *ruina* (Prov. 17, 5. Abd. v. 13), modo *afflictio* (2 Reg. 22, 19; Prov. 27, 10. Ez. 35, 5), tum *interfectio* (Ier. 46, 21), tum *vastitas* (Abd. 13).

bior, funestior (*Pin. Men. Gord.* « ratio primogeniti auget vim mali » ; cf. Is. 14, 30 *primogeniti pauperum*, i. e. pauperrimi).

Postquam acerbissimus morbus, tamquam mortis filius primogenitus corpus eius et membra exederit, depaverit (— ad Iobi conditionem clare, ideoque acerbe alludit; cf. 16, 8. 15; 17, 7 —), iam ipsam mortem funesta violentia insignem describit in hebr. v. 14 *exscindetur a tabernaculo suo* (quod erat) *fiducia eius et adducent eum* (gradi eum faciunt) *ad regem terrorum* i. e. media e vita abripitur, subito ex tabernaculo suo, in quo spem ac fiduciam collocabat quasi firmiter stabilito, *avellitur* vi, subito, praemature abripitur et morti, regi terrorum, inferno horroribus pleno (10, 21. 22) sistitur, illuc captivus adducitur [1].

Tabernaculum *corporis* explanant *Pin. Cord. Bolducius* et e recentioribus *Hitz.*, corpus autem vocari *fiduciam* quia in eius robore ac sanitate confisus esset ; id haud satis aptum videtur ; nam *a*) metaphora non est adeo usitata, ut sine ulla accuratiore circumscriptione tabernaculum de corpore possit intelligi ; *b*) corpus a v. 12 describitur exesum, ruinosum ; ergo qui *tale* potest fiducia appellari ? bene vero hoc dici potest de domo, de tabernaculo quod « in progenie et progenie » (Ps. 48, 12) firmum sibi fore confidebat. *Rex formidinum* « maximus est ac potentissimus terror, qui universos alios terrores causa, magnitudine et gravitate vincit ». *Pin.*

Non multum a sensu hebr. recedit textus *vulg.* [2] v. 14 « *avellatur de tabernaculo suo fiducia eius et calcet super eum quasi rex interitus* » ; — quia scil., ut ait *S. Thom.*, spem suam in opulentia et gloria domus posuit, vel in liberis et opibus (*Mar. Malv. Men.*) ; rex qui est interitus, vel rex perditionis = mors (*Pin.*) triumphantis in morem impium conculcat, i. e. « totaliter exterminat, quasi regis plena potestate eum in pulverem conterit » *S. Thom.*

c) Eam ruinam longe lateque extendi 18, 15-21.

Pernicies et castigatio ab impio serpit in omnes eius res, in familiam et sobolem. Id nunc Baldad exsequitur. Primo *alieni* res eius occupant ; locus habitationis eius gravissima maledictione devovetur.

---

1. In hebr. 3 pers. fem. תַּצְעִידֵהוּ videtur poni pro genere neutro : aliquid (scil. fatalis quaedam potestas ignota, coeca ; germanicum *es*) adducet eum ; cf. *Malv.* ; alii apostrophen ad Deum agnoscunt (*Mar. Calm.*), quae tamen hoc loco certe non exspectatur.

2. Videtur *Hier.* legisse כְּמֶלֶךְ pro ל׳ et ultimum verbum בַּלָּהוֹת tamquam subiectum accepisse ; verbum *in initio* positum in 3 pers. fem. sing. exhiberi tum potest ; צָעַד est *gradi* ; in hiphil *calcare, conculcare ?*

Utrumque hoc edicit v. 15 in hebr. ad literam *habitabit in tabernaculo eius de non ei* i. e. habitabunt in t. eius ii (tales) qui non sunt eius, ex eius consanguineis vel cognatis, ergo extranei (cf. *Mar. Malv. Hirz. Hitz. Renan*). Haec explicatio facilis videtur [1] et ad illam aliquo modo accedit *vulg.* Textum *lat.* v. 15 « *habitent in tabernaculo illius socii eius qui non est* »; — *Pin. Cord. Gord.* ita ad sensum hebr. accommodant : *vicini*, qui ad impii domum et supellectilem occupandam parati sunt convolare, venient et occupabunt; intelligunt enim *socios* non posse esse defuncti amicos et familiares (*S. Thom. Tir.*); nam, ut iam notat *Lyranus*, quod illi habitent ibi, potius ad defuncti honorem quendam pertinet [2].

Membrum alterum : « *aspergatur in tabernaculo eius sulphur* », — vastitatem dicit et maledictionem a Deo immissam (cf. Ps. 10, 6. Deut. 29, 22) i. e. exuretur immisso coelitus sulphure et igne; ita Iobi domicilio factum esse, proinde Iobum ipsum esse illum impium, haud obscure innuit (cf. 1, 16). Talem igitur interitum impio praedicit, qualem Pentapolis experta est (Gen. 19, 24. *Cod. Cord. W. Del.*), quo habitaculum eius [3] omnibus diris devovetur. Neque obstat, quod modo dixit, alienos habitaturos in eius domicilio — id quod v. g. *Pin.* obiicit — nam *a*) non opus est, ut omnia *simul*, eodem tempore fiant; *b*) illi alieni possunt res eius derelictas occupare, tabernaculum spoliare, ibique per tempus sedem figere, donec maledictione loci variisque infortuniis exturbentur et ipsi; ita maior loci diris devoti horror, maiorque impii abominatio gignitur; *c*) demum, quis in exsecrationibus *variis* omnia ad amussim exigat? *variae* congeruntur, ut et animi commotionibus satisfiat et numen divinum multiplici modo vindicare crimina ostendatur; idque eo magis *d*) quia Baldad non de *uno* impio, sed de genere impiorum sermonem texit, quamvis Iobi exemplum insinuet. Ceterum, si *arva* vel *campos* interpreteris, ipsa contradictionis umbra recedit.

---

1. Alii ita : habitabit in t. id quod non est eius i. e. fera animalia, quae solitudines incolere solent; cf. Is. 13, 20; 27, 10; 34, 11. Soph. 2, 9 (*Del. Zsch. P.*); sed hoc est longe quaesitum, neque verbis tale quid potest subaudiri. Alii supplent : habitabunt terrores in t. non suo (*Ros.*); sed quo iure terrores *supplent?* Mire rem torquet *W.*, ut sensum eliciat : habitabit in t. *nihil*, quod sit eius, quod eius memoriam hominibus reducere possit; sed Baldad dicit *aliquid*, quod *non* est eius!

2. Alii mirum in modum se vertunt : *qui non est* diabolum esse dicunt eo quod ab esse quod est Deus defecerit (cf. *S. Greg. exp. in. Phil. Br. Rup. Sa*); alii mortem, vastitatem, inanitatem, rerum omnium egestatem *socios eius qui non sit* esse volunt (cf. *Men.*) etc. cf. apud *Pin.* — Si rescriberemus *habitant in t. non-socii eius*, optime haberemus sensum originalem expressum.

3. נָוֵה cf. 5, 3. 24 — Alii explicant *arva, campi, agri Hitz.*

Radicitus ipse impius et eius familia, progenies, exstirpatur ; v. 16 « *deorsum radices eius siccentur, sursum autem atteratur messis eius* » ; — in hebr. *et sursum marcescet ramus eius* (*Mar. Vav.*) vel *ramî, propagines* (*Pin. W. P.*) i. e. « filii, familia et stirps omnis a teneris unguiculis contabescet et exstinguetur, ne scil. alia inde excrescere possit » *Tir.* ; ad imaginem cf. 8, 16 ; 15, 30. 32. *Iobi* sortem occisis filiis et filiabus tangit. Bene *Cord.* : « cum radices dicuntur exsiccandae, spes omnis propaginis aufertur et novorum germinum... *rami* dicuntur filii, *stirps* seu *radix* pater, aut generis auctor ; porro in *messe* progenies intelligitur quae ex stirpe succrescit » vel potius iam succrevit, adolevit et ad aetatem maturam pervenit, unde filiorum Iob aetas adulta clarius designatur.

Pergit *Cord.* : « exstincta funditus sobole perire solet parentum nomen atque memoria » ; alia scil. maledictio impii, quod *memoria* eius omnis interibit, v. 17 « *memoria illius pereat de terra, et non celebretur nomen eius in plateis* » ; — hebr. *et non nomen ei* (est) *super faciem ruris* (*campi — W. Del. Hirz. P. Hitz.*) vel *in foro,* in publico (*Cod. Ros.*) [1]. Memoria vero bonorum *est in benedictione et ossa eorum pullulant de loco suo*... Eccli. 46, 14. Memoriae oblivio et nominis exstinctio magna poena censetur apud orientales ; testem habes v. g. apud Hebraeos leviratum « ut non deleatur nomen fratris eius ex Israel » (Deut. 25, 6). Unde hanc poenam uberius prosequitur v. 18 « *expellet eum de luce in tenebras et de orbe transferet eum* » ; — sunt qui explicent : e vita in mortem (*Mar. Hirz. W. Hitz.*), alii e luce felicitatis, laetitiae in tenebras miseriae (*Cord. Malv.*), sed bene advertit *Vav.* : « non hic de vita agitur quam commutaverit cum morte, supra enim dictum de ea est, sed de gloria ac claritate nominis, quae una cum vita exstinguetur ; nam cum in clarissima luce atque oculis omnium versaretur, veniet in oblivionem et quasi res detestabilis toto orbe summovebitur » ; sim. *S. Thom. Pin.* In hebr. *expellent ;* dictio est generalis et accipienda impersonaliter, « sententia est elegantior et significantior, si impersonaliter accipiatur, ut indicatur in hebr. » *Pin.*

Quae sequuntur *S. Thom.* annectit : « sed quia parentes etiam in filiis vivunt, ideo ad hoc excludendum subdit » v. 19 « *non erit semen eius neque progenies in populo suo nec ullae reliquiae in regionibus eius* » ; — cf. v. 16 ; in hebr. *neque superstes in regionibus* (habitationibus) *eius* i. e. ut *S. Thom.* dicit, neque filii, neque nepotes aut pronepotes, nec consanguinei vel domestici remanebunt, per quos de ipso

1. חוץ supra 5, 10 *agrum, campum* dicere videtur ; cf. Prov. 8, 26 ; alias saepe in *vulg.* exprimitur *foris ;* intellexit *S. Hier.* generatim ea, quae foris sunt v. g. 5, 10.

memoria habeatur In Iobi familiae clade universa — *unus* e servis servatur, ut nuntium perferat — Baldad impii maledictum adumbratum cernit. — Tantam vero stragem et divinam vindictam iure omnes stupore perculsi admirabuntur: v. 20 « *in die eius stupebunt novissimi et primos invadet horror* »; — i. e. dies perditionis impii horrore et stupore omnes complet cernentes scil. ultionem Dei et quo tandem impietas deveniat. Haec opponit iis, quae Iobus disseruit de prospera impiorum vita etc. 9, 22. 24; 12, 6.

Novissimos et primos explanant vel minores (plebeios) et maiores dignitate, principes (*S. Thom.*), vel ita, ut omnes a minimo ad maximum usque includantur (*Cord. Tir. Sa*), vel *posteros* et *aequales* (*Ol. Vav. Mar. Men. Cod. W. Hirz. Zsch. Renan*); contemporanei enim *priores*, *anteriores* dicuntur ratione habita posterorum (argutius *Malv.* per hyperbolen ipsos anteriores morte iam abreptos vehementer exhorrere vult improbi supplicia). Eodem modo plerique hebr. quoque explicant. Alii terrae plagam et habitantes ad *occidentem* et *orientem* intelligunt (*Del. Hitz. Le Hir*), eo scil. more, quo Hebraeis regio anterior est oriens, posterior occidens, dextera meridies, sinistra septentrio. Ita Iobo viso stupor invasit amicos (2, 12).

Sequitur epiphonema totius orationis (*Pin.*, v. 21 « *haec sunt ergo tabernacula iniqui et iste locus eius qui ignorat Deum* »; — in hebr maiori vi et affirmatione, uti ex mente Baldad exspectatur, אַךְ *sfectoorp.* (*W. Del. Zsch. P.*) vel *tantum* haec et non alia est improbi sors (*Hirz. Hitz.*); hunc tantum finem habent res improborum, et talis est conditio habitationis, familiae, stirpis eius qui Deum, religionem, pietatem non colit, sed negligit; Deum *scire* est enim eum agnoscere, revereri, sedulo eius leges servare: *nescire* omnia haec minime curare (cf. 1 Reg. 2,12; *scire* alicuius rei cura et studio tangi Ps.72,11).

Sermo durus est; aperte Iobum perstringit: impii sorte horrenda cecidisti, ergo quam maxime improbus es. Nullam spem ostendit, dura accusatione, quasi Iobus Deum plane neglexisset et etiamtum nesciat, orationem absolvit *praeclarus consolator*.

2. RESPONSIO A IOBO DATA. CAP. 19.

Arg. — Conqueritur, quod molesti consolatores vulnera misero infligunt; cur adeo in eum saeviant? si erraverit ipse, illos tamen non tangi; cognoscant, eum affligi *immeritum* (19,1-6). Explicat, quam atrocia sustineat; describit se derelictum, penitus malis circumseptum, qui perditis omnibus iamiam conficiatur, contra quem Dei ira et exercitus militent (19, 7-12). Insuper destitutus est a propinquis, familiaribus, servis, uxore; omnes eum abominantur, qui tabe sit

plane consumptus (19, 13-20). Quare amicorum miserationem implorat ; quam cum non inveniat, ad praeclaram spem Dei vindicis in die resurrectionis innocentis causam egregie tuentis erigitur ; hunc vindicem ut vereantur amici, monet (19, 21-29).

Disceptationis *progressus* cernitur 1° in aerumnarum descriptione, ex qua nova mala, quibus affligitur et exacerbatur, discimus (v. 13-20) ; unde Iobi patientis imago magis magisque perficitur ; 2° in miserationis imploratione ; novo enim modo tentat amicos a sententia sua dimovere ; 3° maxime vero apparet in praeclara resurrectionis et retributionis futurae spe, quam nunc aperte profitetur.

a) Se affligi immerentem 19, 1-6.

Sermo Baldad totus erat ad animum exacerbandum factus, maxime quia in sorte improbi Iobi casum delineavit. Unde Iobus de amico, qui etiam nomine et approbatione aliorum dixerat, merito conqueritur v. 2 « *Usquequo affligitis animam meam et atteritis me sermonibus* » ? — animum pandit, non ira, sed *dolore* tactum. Ex spe enim illa concepta 16, 21 ingentes commotiones et tumultus animi, quibus antea iactabatur, paulatim subsidunt ; Iobus magis fit tranquillus, sui compos, ab ira et vehementia alienus. Ita patientiae exemplum illustrius proponitur et sacer auctor non sine arte docet, quomodo Iobus in ipsa aerumnarum palaestra *profecerit*. E re monet *Cod.* : « impetitus et vulneratus mordacissimi Bildadis convicio non tamen remordet vir sanctus, sed altos ducens gemitus ex imo pectore de eorum iniquitate et crudelitate expostulat, quod se innocentem deque sibi illatis iniuriis apud Dominum conquerentem eiusque opem supplicibus votis invocantem, quasi compositis et subornatis testibus obrutum et oppressum damnarent ». Rei iniquitatem nervose illis obiicit v. 3 « *en, decies confunditis me et non erubescitis opprimentes me* » ; — i. e. iam decima vice (saepe saepius ; vel, ut nimia diligentia alii : quinquies loquendo ad me, et quinquies me cum quadam indignatione et taedio audiendo. S. *Thom. Caietanus, Cod.* [1]) me probris et ignominia afficitis et sine ulla meae miseriae reverentia — *res sacra miser* ! — me subsannare minime dubitatis, misero irridere et addere vulnera vos non pudet ! Bene *Ol.* : « vos pudore omni abiecto coram et in os conviciis me proscinditis et sine misericordia aut calamitatis meae affectu ullo mihi insultatis ».

Rei indignitatem auget ; nam quid ad eos pertinet ipsum lacessere?

---

1. Bene *Pin.* ad tantam numerandi subtilitatem : « acutum hoc et laboriosum potius, quam solidum et simplex » ; praecipue in animi commotione ! cf. Gen. 31, 7 ; Lev. 26, 26.

sibi nocuit, si peccavit, non illis; quare ergo importuni monitores adeo dure ipsius errata exaggerantes eum proscindunt? Ita v. 4 « *nempe, etsi ignoravi,* [1] *mecum erit ignorantia mea* »; — si lapsus sim, uti 13, 26 non negavit quia scit hominem se esse (cf. 9, 31. 32), *mecum habitat* (permanet, pernoctat) *peccatum meum* i. e. quid ad vos, *ego* solus luo poenas, *mihi* damno est, quare igitur *vos* me punitis, quasi *vobis* nocuerim? Dicit Iobus : si vobis intulissem mala, intelligerem, cur me adeo affligeretis. Unde demum quasi secum mirabundus quaerit : quare, dum ego poenas luo, vos quasi laesi in me invehimini ultionem capientes? v. 5 « *at vos contra me erigimini et arguitis me opprobriis meis* »; — i. e. superbis in me insurgitis sermonibus et solis *meis opprobriis* i. e. probrosis quas sustineo aerumnis utimini tamquam argumentis contra me, quibus criminum convincar; ex eo solo quod affligor arguitis me impium esse (cf. *Pin. Mar. Tir.*).

Eundem sensum ex hebr. colligimus; אִם interrogationem vestit : *profectone in me insolenter vos erigitis et demonstratis contra me ignominiam meam?* cf. *Malv.* IV. *Hirz. Hitz. Zsch.*; alii affirmative *sane* etc. cf. *Ros.* Plerique tamen protasin conditionalem et v. 6 eius apodosin accipiunt (*Mar. Malv. Calm. W. Del. P.*); sed, ut est oratio *commota*, brevia incisa magis apta sunt. Ignominiam quam sustinet, ostendere volunt iure merito ei incumbere, proinde eum esse talem peccatorem, qualem Baldad descripsit. Ex textu lat. huius rei argumenta ex ipso eius infortunio depromunt. Ita facile cum hebr. conciliatur, et apte ad propositum. Minus placet : contumeliose, probrose, opprobriis in me iactis me petitis (*Men.*).

Contra amicorum argumentandi rationem breviter ac dilucide suam asseverat innocentiam non sine magna dicendi vi v. 6 « *saltem nunc intelligite, quia Deus non aequo iudicio afflixerit me et flagellis suis me cinxerit* »; — hebr. *scitote iam, quod Deus me pervertit et rete suum super me cinxit* (cf. *Mar. Malv. Pin.*), id quod intelligi potest vel : me evertit, statum meum prosperum subvertit, fortunas evertit [2]. vel, ut *S. Hier.* intellexit : ius meum pervertit, non aequo iure mecum agit; verbum enim, ut bene *Pin.* notat, affert curvitatem quandam ac perversitatem deviantem a recto. Haec si consideratur ex parte Dei, sic a nonnullis explicatur : Deus agit contra me insolito sibi more.

---

1. שְׁגָגָה nescium et inconsultum peccare, cf. Num. 15, 22 *quod si per ignorantiam praeterieritis quidquam horum*; Lev. 4, 13 etc. Si in vita ante acta lapsus sim *Cord. Malv.*; alii minus apte, si quid in praesenti disceptatione erroneum dixi *Men. Tir.* — utrumque proponit *Ol.* — alii, si in errore versor de mea innocentia *Calm.*, vel si mea sententia quam defendo falsa sit *Vav.*, sed ad vim usumque verbi haud satis apte, neque Iobus censendus est id concedere per notam dicendi figuram, quia v. 6 repugnat.

2. Ita LXX et *vet. lat.* « scitote ergo quia Dominus est qui me turbavit » (ὁ ταράξας με cf. *Ol.*; ita membrum alterum suadet; ita usus verbi עִוָּה Ps. 146, 9 (hebr. *vias peccatorum disperdet;* Lament. 3, 9 *semitas meas subvertit;* Eccl. 7, 13; Is. 24, 1.

Alii censent, nihil tam dure ac crude dictum, quam haec verba (*Est.*), esse verba hominis malis irritati (*Mar.*), eum aegrotorum more loqui (*exp. in.*), propterea dici ab ipso postmodum : insipienter locutus sum et quae ultra modum excederent scientiam meam (*Phil.*) ; alii verba emolliunt : « videbat aequum non esse, ut ad talem vitam talia flagella reciperet » (*S. Greg.*), vel, uti clarius rem *Rup.* elucidat : « non flagella factis meis aequando, aequalia aequalibus compensando, ut arbitramini vos » ; vel, ut *S. Thom.* praeclare commentatur : « si adversitates non adveniunt nisi pro peccatis, non est aequum Dei iudicium, quo me non graviter peccantem tam graviter afflixit » ; sim. *Malv. Vat. Men. Tir.* — Haec altera significatio videtur cum *S. Hier.* retinenda (cf. 8, 3 ; 34, 12) eamque recentiores quidam sequuntur (*W. Del. Zsch. P.*), dum alii (*Hirz., Hitz.*) priorem *viam, fortunas meas subvertit* amplectuntur. Contendit igitur Iobus, Deum *consuetas* suae iustitiae leges se puniendo non servasse (*Calm. Le Hir*) ; dein doloribus se totum vinctum captumque lamentatur, ita ut effugere nequeat, *reti* scil. conclusus.

b) Quam atrocia sustineat 19, 7-12.

Iam hos dolores lamentando recolit et quanti sint declarat, ea scil. mente, ut pateat se *talia* et tam atrocia culpis suis non sibi attrahere potuisse (cf. *Cord. Pin.*). Et primum quidem quasi in atrocitatis culmine ponitur, quod oppressus neminem habeat qui innocentiam eius testetur aut vindicet ; unde v. 7 « *Ecce, clamabo vim patiens et nemo audiet ; vociferabor et non est qui iudicet* » ; — hebr. *clamo* « *oppressionem* » *et non exaudior ; vociferor et non iudicium* i. e. frustra iudicem appello ; causam meam non agit (cf. 9,35 ; 13,22). Et dum recusat innocentiae Iobi testimonium reddere, eum insuper ita malis circumsepit, ut effugere nullatenus possit ; v. 8 « *semitam meam circumsepsit et transire non possum et in calle meo tenebras posuit* » ; — cf. 10, 3. 17. Lament. 3, 6. 7 ; viam muro occlusit (hebr.) ; nullus evadendi locus ; insuper tenebris offusis, si adesset, absconderetur ; tenebrae i. e. calamitates, eaeque quae nullo modo, *cur* adsint, explicari possunt, ei gravi onere incumbunt (cf. *Cord. W.*). « Deinde exclusis remediis subiungit adversitates incipiens ab exterioribus bonis quae perdidit, inter quae primo ponit iacturam honoris et gloriae, dum dicit » (*S. Thom.*) : v. 9 « *spoliavit me gloria mea et abstulit coronam de capite meo* » ; — i. e. « iis me bonis omnibus exuit quae me gloriosum efficiebant et quibus excellebam et efferebam caput prae ceteris mortalibus » (*Pin.*) ; antea in honore et reverentia, iam a iunioribus irridetur (31,1) ; ante sedebat quasi rex circumstante exercitu (29,25), nunc in pulvere

sedet testa saniem radens (*S. Thom.*). Iobum *regem* fuisse (*Pin.*), ex hoc loco minime constat; nam 29, 14 *iustitiam* dicit suum vestimentum regium et diadema, et 29,25 se *quasi regem* sedisse inter ceteros affirmat; quare *corona* de regia dignitate explicari nequit, sed usitata metaphora vel generatim vitae ornamenta et decora dicit, vel (quod tamen difficilius) *iustitiam* sibi in opinione hominum esse ablatam conqueritur (cf. 29,14. *Vav. Cod. Men. W. Hirz.*). « Tertio ponit damnum rerum exteriorum, scil. devastatis omnibus exterioribus bonis », ita ut non sit « spes recuperandi » (*S. Thom.*); v. 10 « *destruxit me undique et pereo, et quasi evulsae arbori abstulit spem meam* »; — hebr. *et evulsit quasi arborem spem meam*[1]; bene *Pin.* : « evertit, demolitus est; est enim verbum quod de aedificiis dicitur » (תָּץ cf. Lev. 14,45. Iud. 9, 45. Ier. 39, 8); eo aptius *undique*, quia non solum bona ei ablata sunt sed et ipsum corpus morbo discissum est atque dirutum: ita destructus debet *ire* (hebr.), i. e. perire, in mortem ire cf. 10,21; 14, 20. Arbor si a radice eruitur et a fibris ipsis exstirpatur, nulla superest germinandi spes (*Cord.*); ita Iobi *spes* irreparabili ruina periit, ut ipse opinatur. « Radix spei est duplex; una quidem ex parte auxilii divini; haec videbatur esse avulsa propter hoc quod Deus ei videbatur graviter iratus » (*S. Thom.*); v. 11 « *iratus est contra me furor eius et sic me habuit quas hostem suum* »; — causam reddit et simul auget calamitatem, cum Deus illam moliatur destructionem cum animo *irato*, eumque tamquam *hostem* tractet. In hebr. *accendit contra me iram suam* (*Cod.*). Verborum vim perpendit *Pin.* : « exaggeratio autem est incredibilis supplicii, tum etiam divinae indignationis, cum ait *quasi hostem;* nam cum hostilis ira etiam inermes et imbecilles armare soleat, quid, cum coniungitur cum potentia divina et cum Deus adversus hostes procedit »?[2]

« Divinae autem irae et odii signum ponitur, cum subditur » (*S. Thom.*): v. 12 « *simul venerunt latrones eius et fecerunt sibi viam per me et obsederunt in gyro tabernaculum meum* »; — hebr. *simul venerunt turmae eius* (cunei militum eius) *et aggeraverunt contra me viam suam* (comportarunt aggerem) *et castra posuerunt...* (cf. *Mar. Malc. Pin.*); cf. 10, 17; 16, 13. Deus milites suos contra eum conscripsit: isti contra Iobum quasi contra arcem expugnandam vallum et aggerem comportant eumque obsidione cingunt; ita scil. dolores divinitus immissi eum premunt, oppugnant; cf. 6, 4 *terrores Domini militant contra me;* 16, 15.

---

1. LXX ἐξέκοψεν δή ὥ;περ δένδρον τὴν ἐλπίδα μου; *vet. lat.* excidit.

2. LXX et *vet. lat.* « saevissime (δεινῶ;) abusus est me in iracundia, et arbitratus est me tamquam inimicum »; cf. similes locutiones 6, 4; 7, 12. 20; 10, 17; 13, 24. 27; 14, 3. 13; 16, 10. 15.

c) Se destitutum et abominationi habitum conqueritur ab omnibus 19, 13-20.

« Deinde ostendit avulsam esse radicem spei quae est ex humano auxilio, ostendens quod nihil auxilii poterat exspectare ab illis, de quibus magis videbatur » (*S. Thom.*). Praeter Deum homines iique, quibuscum vinculis cognationis et familiae erat iunctus, eum aerumnis cumulant. Novum igitur aerumnarum genus neque leve pandit; v. 13 « *Fratres meos longe fecit a me et noti mei quasi alieni recesserunt a me* »; — Deus scil. abegit, abalienavit ab eo consanguineos, propinquos; hos *fratrum* nomine iure comprehendunt *Pin. Men. W. Zsch. Hitz.*: nam de ipsis *fratribus*, quos hoc loco iam aliqui (*S. Thom. Del.*) agnoscere volunt, demum v. 17 loquitur; praeterea *amici*, *familiares* eum reliquerunt, vel saltem animo et benevolentia ab eo recesserunt, uti interlocutores, qui eum accusationibus obruunt. Praeterea v. 14 « *dereliquerunt me propinqui mei, et qui me noverant obliti sunt mei* »; — qui mihi adstare solebant et a latere meo non discedere (*Pin.*)[1] i. e. noti mei et familiares « quibus propter necessitudinem et familiaritatem me totum credebam » (*Pin.*).

Iam ad *domesticos* transit; v. 15 « *inquilini domus meae et ancillae meae sicut alienum me habuerunt et quasi peregrinus fui in oculis eorum* »; — illi ipsi, quos domi suae commorari sinebat, quibus habitaculum et tutelam praebuerat, iam beneficiorum obliti eum plane negligunt; bene *Pin.*: « inquilinos dicas peregrinos et hospites quos sub tecto suo recipiebat Iobus, aut servos adventitios, non vernaculos neque domi natos »[2].

Quantopere eum *servi* contemnant et negligant, exemplum subdit v. 16 « *servum meum vocavi et non respondit; ore proprio deprecabar illum* »; — quae mutatio? alias ad nutum heri prompte properabant: nunc precibus et obsecrationibus vix obsequuntur[3]. Quantae vero est patientiae, et quam insolitae, *servorum* iniquum ingenium ferri sine excandescentia a tali hero, qui illos benevolentia et benignitate cumulaverat (cf. 31,13)! Unde *Ol.*: « hoc inter acerbissima locum meretur, si quis morbo laborans opem eius imploraverit qui obsequium praestare debet nec tamen audiatur: » et *S. Chrys.*: « gravis fuit diaboli

---

1. קָרֹב de *propinquis* dicitur v. g. Ex. 32, 27; Lev. 21, 2; Neh. 13, 4, uti etiam de *vicinis*, foedere iunctis; LXX οἱ ἐγγύτατοί μου; *vet. lat.* « non curaverunt me proximi mei et scientes nomen meum obliti sunt me ».

2. Hi enim sunt יְלִידֵי הַבַּיִת; illi, גֵּרֵי הב (cf. *Hirz.*).

3. Vim verbi חָנַן (hithp.) *Pin.* rite perpendit: « misericordiam alterius allicere fusis precibus, nihil ex debito, sed ex gratia et misericordia implorando ».

tentatio ; domestici acerbiorem ei aerumnam creabant, quam defuncti ; hi enim nihil amplius mali faciebant, illi autem inmorigeros se praestabant, conviciis proscindebant, contra eum loquebantur.. » ; cf. 17, 6. « Deinde enumerat personas maxime coniunctas » (*S. Thom.*) i. e. uxorem et fratres quorum quo magis necessarius et suavis est amor, eo magis offensioni putatur et dolori contemptus : v. 17 « *halitum meum exhorruit uxor mea et orabam filios uteri mei* » ; — « scil. propter foetorem ulcerum, ex quibus ei horribilis reddebar » (*S. Thom.*) : praeterea halitus in elephantiaco morbo graveolentissimus est et quam maxime *fastidio* (hebr.).

In textu lat. *orabam* i. e. suppliciter auxilium, opem ab eis efflagitavit ; sim LXX et *vet. lat.* « invocabam blandiens filios (παλλακίδων μου) uteri mei » ita et *Chald.* et *Syr.* vertunt ac si in hebr. hithp. verbi חנן legissent, quae tandem forma *suppliciter inclinari, flagitare* etc. significat et cum ל iungitur (cf. Os. 12, 5. Esth. 8, 3). At quod nos in hebr. legimus חַנּוֹתַי non potest ita verti, quia חנן in *qal* non est, nisi *propitium esse, favere, misereri, gratificari*, nisi arabismum statuas, in quo חנן est *prae desiderio ingemiscere, conqueri*. Unde חניתי aliter a recentioribus explicatur ; vel enim pluralem vocis חַנָּה volunt esse significatione non adeo a *gratia, misericordia* aliena *precum* et *supplicationis* — unde : *halitus meus fastidio est uxor meae et preces meae filiis uteri mei* (cf. *Ges.* Thes. I. hebr.) — sed ipsa vox חנה dubia est, cum *certo* hoc appellativum non inveniatur [1] — vel ex alio arabismo (cui syr. חניצא *rancidus* affine est) explicant *et foetori sum* (*Ros. Ewald, Hahn, Schlottmann, Del.*), vel assumunt substantivum *fem.* a radice חנן cui gemendi notionem tribuunt ; unde *et gemitus meus filiis..* (cf. *Fürst L. Hitz*).

Quaestionem movent, quinam sint *filii uteri mei?* nam filios et filias morte subito abreptos iam non poterit intelligere. Graeci legunt υἱοὺς παλλακίδων μου [2] ; et ita explanant *Cord. Men. Tir. Pin. Sanct. Ros.* ; alii *nepotes* vel *pronepotes* (*Sym. Phil.* [3] *S. Thom. Sa, Hirz. Zsch.*) intelligunt ; alii (*Vav. Cod.*) conditione subintellecta *si qui essent superstites* explicant ; a qua re non longe abest *W.* : sum sicuti is qui proprios filios suppliciter debeat adire. Quod quam arbitrarium sit, immo et languidum, nemo non videt. Neque graecorum placet interpretatio, quia in prologo de pluribus uxoribus non est sermo. Idem prologi, qui tamen de Iobi familiae conditione minutatim refert, silentium *nepotes* excludere videtur. Sententia ab *Eichhorn* et *Olshau-*

1. Nam Ps. 77, 10 חַנּוֹת est certe *inf.* ex norma לָ"ה formatus ; quem intellexit etiam versio graeca et lat. *misereri*.

2. *Sym.* υἱοὺς παίδων μου.

3. *Phil.* hanc explicationem omnium optime proponit : « in scripturis divinis filii appellantur etiam pronepotes et illi qui longiore serie nati sunt. Proinde quando filios uteri sui dixit, in se quasi ad fontem et ad originem posteritatis suae respexit ; unde ei cognationum familiae veluti rivuli manaverunt ».

seu prolata, vatem sacrum ardore poetico abreptum prologi esse oblitum, refutationem non meretur. Vera proin explicatio est, Iobum loqui de fratribus suis uterinis, qui sunt filii *eiusdem vulvae*, quae erat Iobi, ita enim Iobus loquitur 3, 10 in hebr. *quia non conclusit ostia ventris mei* i. e. illius qui me portavit (cf. *Del. Hitz. P.*). Neque quis iure mirabitur, fratrum mentionem in prologo non fieri; nam *Iobi* familia describitur, fratres vero cum suis familiis alibi habitasse et demum, uti interlocutores, nuntio de Iobi morbo accepto advenisse, obvium est et creditu facillimum.

Insuper infimae plebeculae factus est contemptui et irrisioni; adeo vilis et abiectus, ut vilissimi quique eum abominentur; v. 18 « *stulti quoque despiciebant me, et cum ab eis recessissem, detrahebant mihi* »; — i. e. « praesentes habeo contemptores mei contemptos ipsos ac leves homines : ubi autem primum ab eis discessi, obtrectatores » (*Vav.*) [1].

A familiaribus non est tantummodo derelictus (v. 13. 14), verum etiam despicatui et abominationi habitus — qualis fortunae conversio! v. 19 « *abominati sunt me quondam consiliarii mei et quem maxime diligebam, aversatus est me* »; — hebr. *versi sunt in me* (*Mar. Malv.*). Bene notat *S. Thom.* grave esse *a sapientibus* despici. Tales erant viri consilii eius i. e. quibuscum consilia conferebat, secretorum conscii et ei coniunctissimi (*Cord. Pin.*); grave quoque, ab illis ipsis, quibus maximum impenderis amorem derisui haberi et eos inimicos experiri, ibi praesertim, ubi solatio quam maxime indigeas. Haec omnia Iobus expertus lamentatur; quanta dolorum materies! quanta patientiae seges!

Accedit ad has aerumnas corporis putrescentis et fere iam collapsi conditio miserrima; v. 20 « *pelli meae consumptis carnibus adhaesit os meum et derelicta sunt tantummodo labia circa dentes meos* »; — « ob oculos ponit extremam sui corporis maciem, quam ait fuisse tantam, ut carne consumpta sola ossium pelle tectorum structura remanserit » *Cord.*

Sensum dedit *Hier.*; in hebr. *cuti meae et carni meae adhaerent ossa mea*

---

1. Hebr. עֲוִילִים (cf. 16, 11) alii ex 21, 11 de *pueris* petulantibus explicant (*Chald. Malv.* III. *Ros. W. Del. Hirz. Zsch. P. Le Hir, Renan*; meminit quoque *Pin.*); *Theod.* explicat ἄφρονες; *Hitz.* vero ex arabico *famelicos, mendicos* interpretatur. In hebr. *assurgam et* (irridentes) *compellant me*, i. e. si conor surgere, dicteriis me prosequuntur, vel irrisorie me nomine vocant (*W. Hirz. Del.*), alii : si surgo, ut ab eis recedam, cum furori et petulantiae subsannatorum cedere volens recedebam; ita LXX et *vet. lat.* « cum surrexero loquentur ad me »; sim. *Ol.* : « vel quando ab iis separatus fuero, vel quando exacta nocte a somno excitatus fuero, secum ita loquuntur : nondum obiit? vivit adhuc haec pestis »? Alii : *sto* coram illis et me praesentem proscindunt (*Ros.*); *Bark.* « sicut signum pro sagittis factus sum ».

et evasi cum cute dentium meorum i. e. solae gingivae intactae sunt, videlicet caruncula illa, quae radices dentium vestit (*Pin.*): est sane *proverbialis* loquendi modus[1]: nihil fere in toto corpore sanum est atque integrum (cf. *Ges. Ros. W. Hirz. Zsch. Hitz. Renan*). *Pellem dentium* S. Hier. *labia* explicat. Qui locutionem proverbialem[2] non agnoscunt, explanant vel ad literam (*Mar. Del.*) vel sermonis instrumenta ei fuisse relicta agente daemone volunt, ut sacrilegum quid in Deum committeret (cf. *Phil. Thom. Pin. Cord. Vav. Sanct. Malv.*). Sed hoc longius petitum et argutius excogitatum videtur, neque placet expositio literalis, quae nimiam quandam et putidam sapit diligentiam; ergo *proverbialis* seligenda est, utpote quam maxime simplex et facilis; *exstare* tales loquendi formas fere in omnibus linguis constat; similes ex arabico *Schultensius* attulit. Aliud habet *Sym.* καὶ ἐξέτιλλον τὸ ὄρυμα μου ὀδοῦσιν ἐμοῖς.

d) Ad praeclaram exsurgit spem 19, 21-24.

« Enumeratis ergo adversitatibus suis eos ad compassionem invitat geminans nunc petitionem propter multitudinem miseriarum » (*S. Thom.*). Sane, quae praecesserant, optime praeparaverunt exclamationem v. 21 « *Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me* »; — Iobus omni iam acrimonia omissa supplex et flebilis amicos implorat, ne addant vulnera, ne plus eum affligant, ut tot malis moti misericordiam ei exhibeant. Rationem affert, quia *manus Domini* i. e. potentia Dei et severitas, qua forti manu vulnera infligit, *me tetigit*, percussit; verbum נָגַע de lepra saepius usurpatur, cf. Lev. 13, 3. 25; ceterum *Pin.* bene vim vocis exprimit: « *manu tangere* in Deo vehementem indignationem ad percutiendum indicat ». Qua ratione eos velit sui misereri, explanat v. 22 « *quare persequimini me sicut Deus et carnibus meis saturamini* »? — i. e. uti Deus vulnera mihi tamquam inimico suo infligit, ita et vos me hostili modo et dure tractatis; persequuntur eum potissimum, quia calumniis ac dicteriis eum proscindunt, eum tamquam scelestum et improbum traducunt. Ne id faciant, vel, ut nunc saltem cessent morbum eius scelerum poenam dicere, instanter flagitat: *quare* ita valde emphatice subditur ad *miseremini mei*.

In hebr. (*quare*) *carne mea non saturamini?* i. e. quare tandem non

---

1. *B.* textum masor. omni sensu carere ait censetque fugam *cum dentium cute* esse perabsurdam; textum ita restituit: « pelli meae adhaeret os meum, et evasi, carnem meam in dentibus » scil. auferens (?) i. e. in continuo et imminente vitae discrimine (?). *Qualis* tropus!

2. Eam agnoscere videtur etiam *Ag.* cuius interpretatio e cod. syr. hexapl. haec affertur: καὶ ἐσώθην ἐν ὄρματι τῶν ὀδόντων μου. *Theod.* vero: ἐγκατελείφθην ὑπὸ ὄρματος τῶν ὀδόντων μου.

explere potestis vestram calumniandi libidinem et demum cessare? an nondum *satis* mihi detraxistis? Metaphora a ferarum more decerpta dicit aliquem pessime affligere (Mich. 3, 3), verbis eum discerpere (cf. Ps. 26, 2. Gal. 5, 15) praesertim *calumniis* proscindere (cf. Dan. 3, 8; 6, 25 *chald. manducaverunt frusta eius*, i. e. falso accusabant eum, gr. διέβαλλον). Hanc sermonis semitici metaphoram et veteres et recentiores agnoscunt. Ita *S. Aug.* (in Ps. 26, 2) *maledico dente consumere*[1] explanat ; *S. Greg.* : « sciendum est quia hi etiam qui alienae vitae detractione pascuntur, alienis procul dubio carnibus satiantur » ; *Ol.* : « contumeliosi sermones ad depascendas carnes per se sufficiunt » ; sim. *Rup. S. Thom. Pin. Mar. Tir* ; alii solius saevitiae et crudelitatis, qua quasi dentibus eum lacerare vellent, mentionem faciunt (*Cord. Men. Vav. Gord. Calm.*) ; at iure recentiores observant, peculiarem illam calumniandi notionem phrasi speciatim inesse (cf. *Ges.* Thes. s. v. אכל, *Ros. W. Hirz., Del. Zsch. Hitz. P.*), idque usu arabico et aramaico (cf. *diabolus* syriace vocatur *frusta comedens*) satis superque constat (cf. *Schultensius ;* vers. *syr.* Matth. 4, 1 ; Luc. 4, 2 ; 16, 1). Falsa enim accusatio, detractio, calumnia alterius famam vel ipsum rabido dente et ferarum in modum rodere, dilacerare, devorare facile concipitur.

Efflagitat igitur Iobus, ut se innocentem tandem agnoscant, fateantur. Moram quandam interponit. Amicos aspicit, cedant necne? Illi in sua sententia perstant, quod lugubri silentio eorum ei innotescit. Quare ipse sollemni protestatione *publicum* et *aeternum* suae innocentiae testimonium edere cupit [2]. Et praeclara ratione edit. Ecce enim scena magnifica : Iobus ab omnibus derelictus, despectus et iniuriis affectus quasi scelestus ab omni hominum genere, corpore iamiam computrescente et sanie diffluente, morti, uti censet, proximus, alterius vitae et futurae demum recompensationis spem certissimam sublimi modo profitetur, ex imis miseriis ad spei fastigium et culmen evectus. Spem temporalis prosperitatis recuperandae abiecerat, ut bene notat *S. Thom.* : « nunc autem manifeste suam intentionem aperit, ostendens se praedicta non dixisse quasi de Deo desperans, sed quia altiorem spem de eo gerebat, non quasi relatam ad praesentia bona, sed ad futura ».

Ut manifestum constet et aeternum suae innocentiae testimonium, exoptat, ut sollemnis protestatio quam est editurus, ad omnium hominum aetatumque omnium perveniat memoriam. Unde v. 23 « *quis*

1. In annotationibus ad l. Iob, in quibus sensum literalem raro tangit, sententiam mire exprimit : « non gaudetis si carnaliter vivam ». — Aliqui explicant : poenis meis delectamini (*Phil.*) vel detractionibus aliorum et afflictionibus delectari (*Br.*) ; rationem hanc affert *S. Thom* : « detractores carnibus humanis vesci dicuntur, in quantum iniquitatibus aliorum delectantur ; caro enim est infirmior pars animalis ».

2. De hoc loco v. 23-27 vide commentarium egregium *P. Corluy* S. I. in opere ; Spicilegium dogmatico-biblicum ; tom. 1. pag. 278-296 ; Gandavi 1884.

mihi tribuat, ut scribantur sermones mei? quis mihi det, ut exarentur in libro v. 24 *stylo ferreo et plumbi lamina, vel celte sculpantur in silice* »? — hoc ut modo efficacissimo fiat ac nulla aetate delendo, expetit. Quare scribendi modos multiplicat et optima instrumenta vult adhibita : ut scribantur sermones, verba scil. quae statim est prolaturus v. 25-27, quae omnibus ostendunt, quid sua fretus conscientia certissime exspectet. Haec enim verba intelligi, plerique interpretum statuant (*Phil.*[1] *S. Thom. Pin.*[2] *Mar. Malv. Men. Caiet. Sanct. Cod. Gord. Vav. Ros. Patritius*[3], *Hitz.*; ab hisce non dissentit *Tir.* : « optat aeternam statui memoriam sui huius agonis, afflictionis, constantiae et spei, praesertim eius, quam de resurrectione mox subiungit » ; sim. *Cord. Zsch.* et ipso contextu suadetur : nam *verba mea* scribi vult ; ergo quaenam? omnia? minime sane ; vel incerta quaedam? neque hoc ; ergo ea, quae ipsa serie post talem protestationem sequuntur ; ideo tanta cum sollemnitate ea effert ; et ea continent, quae omnium animis Iobus imprimi vult, scil. se scire Deum innocentiam suam praemio coronaturum esse.

Alii sermones generatim intelligunt *Rup. Br.*[4], alii, innocentiae testimonium, scil. se pati innocentem (*W. Hirz. Del.*) vel, ut appareat iusta eius causa (*Sa*) ; sed Iobus *verba sua* vult inscribi, ergo certa, definita, circumscripta, ea quae statim profert.

Exoptat, ut scribantur, ne oblivione deleantur, et in insigne volumen, in publicum quasi commentarium, in quo acta annotantur illustriora (cf. *Patr.* p. 238) referantur ; et, quo magis ad posteritatis memoriam valeant, ut stilo ferreo exarentur in plumbo, inscribantur plumbi laminae, ergo in metallo, quod durat, alte calamo ferreo imprimantur ; vel, quod maiorem etiam firmitatem et stabilitatem prae se fert, ut *celte sculpantur in scilice* i. e. ut ad perpetuam rei memoriam *petrae* (hebr. immobili, quae nullo tempore sit delenda, incidantur. *Celte*, ut fert lectio romana (multi enim antiquiores *certe* legebant et interpretabantur)[4] instrumentum indicatur sculptorium, a *caelando* dictum.

---

1. *Phil.* : « Quoniam a nullo hominum potuit invenire solatium, convertit se ad Deum et resurrectionem futuram prophetat in spiritu, ubi pro his malis praemium sit recepturus et haec duris insculpta lapidibus optat inscribi, ut sermones prophetiae in aetates saeculorum prolixiores permaneant ».

2. *Pin.* : « sequitur communis interpretum sententia atque contextus ipse sic exigit ».

3. Cf. de toto hoc loco : Patritius, de interpr. s. script. Romae 1844 II p. 238 et seq.

4. Iuvat ex Luc. Brug. *notationibus* haec referre : « sedecim nostrorum manuscriptorum legunt *celte*, tredecim *certe;* prior lectio est Richardi Pampolitani, Hugonis Carensis et aliorum quorundam ; videtur etiam *d. Greg.* fuisse (fallitur Luc. ; nam *Greg.* qui explicat *plumbi laminam, silicem, stylum ferreum* omnino de *celte* silet ; editio *Migne* ubique legit *certe*)... posterior lectio est Thomae Aquinatis (*certe*) et hanc omnes, quos quidem ego de hoc negotio sententiam dicentes legi, praeferunt. Epanorthotes : « item

In hebr. v. 23 *quis dabit ergo et scribentur* (i. e. utinam scribantur) *verba mea, quis dabit* (utinam) [1] *in libro, et exarabuntur* v. 24 *in stilo ferreo et plumbo in aeternum in saxum incidentur* — i. e. « ut in saxum incidantur stilo ferreo et plumbo in sulcos literarum infuso ; qui enim lapidibus literas insculpunt, vacua et cava literarum infuso plumbo replent, ut literae ipsae diutius durent ; alioquin ipsae literarum scripturae facile detererentur et scriptura aboleretur » (*Malv. Cod. Sa, Ros. W. Hirz. Del. Zsch. Ew. Dillm.*) At optime cum *vulg.* quadruplex modus distingui potest: utinam *a*) scribantur, et quidem *b*) volumine, immo *c*) stilo ferreo in plumbi lamina[2], et demum *d*) ad perennem memoriam in saxo. Nam *plumbi* laminis olim scriptitari solitum, notum esse ait *Pin.* vel imperitissimis et affert Plinii (13, 21) testimonium : « publica monumenta plumbeis voluminibus, mox et privata linteis confici coepta aut ceris » (plura ex veteribus dant *Malv. Ros. Patr. Hitz.* Pausan. 9, 31, 4 ; Iosephus c. Ap. 1, 34; Tacit. Ann. 2, 69,) frequentius cupreis. Ita maior habetur vis, rei simplicitas, gradatio et amplificatio (cf. *Pin. Vav. Hitz. Le Hir*). LXX et *vet. lat.* « aut in testimonium in petris sculpantur » (ita saltem in aliq. codd.) ergo legebant cum Theod.[3] uti, *B.* quoque scribit לָעַד ; ex nostra lectione לָעַד (in aeternum) *certe* a *S. Hier.*

---

e. *vel certe sculpantur :* non est ibi *celte* pro instrumento ferreo ». Biblia illa a S. Dominici Fratribus correcta notant : « quidam male habent *celte*, i. e. cicello, quod est instrumentum caelandi »... Magdalii correctorium habet : « legi debet vel *certe*, et hoc magis concordat cum hebraeo ». Franciscus Titelmannus *celte* ut indoctam et barbaram lectionem reiicit, quae Bonaventurae, Thomae, Lyrano et qui iis superiores sunt enarratoribus incognita fuerit; versum autem ab Hier. asserit *certe*. D. Hentenius et Parisienses *certe* receperunt. Et sane etiam nostra antiquiora et correctiora sunt exemplaria, quae *certe* legunt, quibus accedunt Moguntina, Quenteliana, Complutensia Biblia ». In editione opp. S. Hier. (Migne t. 28 col. 1099) haec legitur nota : « Palatino ms. *certe* hic legenti pro *celte* innumeri alii codices cum impressi, tum mss., quorum sex supra quadraginta in Galliarum bibliothecis P. Calmetus consuluit et praeterea critici atque interpretes magni nominis suffragantur. Qui *celte* legunt, paulo recentiores atque inferioris notae sunt; sed alii occurrunt, qui *scelte* vel *scelpte* habent. Licet vero fortasse numero et vetustate superent qui retinent *certe*, facile quisque sibi in animum inducat, librariorum incuria magis id fieri potuisse, ut pro ignota voce *celte* substitueretur *certe* quam e contrario... In veteri glossario, sive Labbei Excerptis invenio *celte* γλυφεῖον interpretari... alii locum in *Gruteri* Inscriptionibus p. 329 laudant : *malleolo et celte literatus silex*. Verum ego haud scio, quantum illi testimonio adhibenda sit fides ». In vocab. lat. ed. *Georges* non afferturnisi *celtis* loco ex Labb. Gloss. laudato et Iob 19, 24. — S. Hier. (contra Ioan. Hieros. t. 23 col. 382) solum habet : « exarari ea vult in plumbi lamina, et sculpi in silice ». — Alia cf. apud *Pin. Calm.*

1. *B.* hanc repetitionem delet, quia constructio nimis contorta reddatur. Sed alius hanc iteratam *exclamationem* meliore iure dixerit *emphaticam*, ad animi commoti affectum plane *natam factamque*. Illam habet etiam *Chald.*

2. Nam modum priorem *Pin.* iure merito perstringere videtur : « in hac exponendi ratione mirifice expressum videas ingenium Hebraeorum (— nam a R. David ait alios omnes, Caietanum, Pagninum, Sixtum Senensem rem accepisse ; similiter *Hitz.* asserit, omnes recentiores ab *Ew.* usque ad Dillm. secutos esse R. Iarchi —) minutias et ineptias in rebus per se planis et seriis consectantium ». Et revera, quis sibi fingat, Iobum in tanta affectus sublimitate nunc *minutatim* modum describere, quo verba saxo sint insculpenda scil. ut id stilo ferreo fiat et ut literarum formae plumbo expleantur? quis artificii minutias quaerat expositas in sermone tragico, sublimi? Certe res est, ut *vulg.* habet, gravior, dignior; oratio magis incitata, vehemens, praeclara gradatione illustris.

3. Cf. cod. syr. hexapl.

positum declarari posse censet *Luc. Brug.* et *Del.*; *Patr.* vero coniicit : « nisi forte legerit תַּעַר quod *scalpellum*[1] significat, sed librarium » p. 241).

Sunt, qui censeant Iobum hisce verbis exoptasse, ut sequentia tamquam *carmen epitaphium* suum lapidi incidantur columna super eius tumulum erecta (cf. *Cod.*). Sed, utut de hac re iudicaveris, Iobus profecto obtinuit, quod optavit ; immo plus est consecutus: « ecce enim scripta sunt, non quidem stilo ferreo, sed multo magis (durabili), quam postulavit ; illa enim, si ita scripta fuissent, tempus delevisset, haec vero altius ac permanentius exarata sunt » (*Chrys.*), « nam libro hoc sacro longe certius quam plumbi lamina triumphus eius consignatus est aeternitati » (*Cord.*).

c) 19, 25 (hebr.).

Versus hi 25-27 iuremerito μαρτυρία Iobi nominantur. Exprimunt enim certissimam eius spem de Deo liberatore, praemiatore innocentiae aeterno. Singula prius ex hebr. expendemus. v. 25 *at ego scio : redemptor meus vivus* (est) *et ultimus super pulverem surget* (exsurget, stabit). Quod sententia a ו *et* incipiat, aliqui obstare censent (*Dillmann*; cf. *Hitz.*) quominus haec verba saxo insculpenda esse censeamus, quia a ו *et* inscriptio non possit ordiri. Praeclara utique ratio! quasi vero Iobus scribenti vel incidenti verba iam nunc dictaret! Effert vero quod ipse intime sentit, idque cum vi effert, quia amici quorum misericordiam imploraverat, tacent et silentio suo eum damnant. Unde ו emphaticum est : ego vero, ego pro mea parte, *at ego*. Asseverat innocentiam eamque ab ipso Deo demum iri vindicatum et assertum asseverat *ipse*, dum alii silentes eum scelestum sua taciturnitate comprobant. Quare triumphantis in morem ipse ad Deum vivum et aeternum provocat, qui eius assertor et vindex certo futurus sit : *at ego*. Bene *Pin.* verborum vim expendit : « pronomen quod in hebraeo est, asseverationem et emphasin habet atque in verbum coniunctum refundit vim significationis. *Ego scio :* certo novi, peculiari et mihi bene familiari scientia, tam certa, quam si oculis haurirem aut ipso experimento didicissem ; verbum omnem dubitationem excludit et affert certam quandam atque firmam mentis adhaesionem ad rem satis superque exploratam ».

Statim in limine quaestio est expedienda, de quanam spe Iobus

---

1. תַּעַר Num. 6, 5 ; Is. 7, 20 vertitur *novacula* (cf. Num. 8, 5 ; Ez. 5, 1 ; Ier. 36, 23 additur סֹפֵר scalpellum scribae, quo scil. Ioakim rex scidit volumen sermonum Ieremiae.

censendus sit loqui. Nam Iobum de spe loqui melioris vitae terrestris conditionis atque fortunae, cum surrecturus sit de terra et sordibus morbi, inter catholicos *S. Chrys.* (cf. infra p. 256) haud improbat, *Eugubinus vero clariorem et veriorem* interpretationem existimavit, eumque longo agmine rationalistae imitantur. Arguunt, uti *Eugubinus*, ex iis, quae in fine libri de Iobi fortuna mutata narrantur; nam novissime tandem post calamitosam conditionem *Redemptor* eius stetit, apparuit super terram, visus est Deus ipsi Iobo, Iobus iterum circumdatus est pelle sua, cum illi integra et sana sit restituta, redditus est externus splendor; vidit Deum in carne sua sana innocentiae vindicem et bonorum omnium restitutorem etc., ergo convenientiore quo fieri potest modo ipse liber loci explicationem suppeditat (ita fere *Eugubinus* apud *Pin.*; ita inter alia iam *Barh.*; ita sim. *Grotius, Augusti, Umbreit, Stickel, Hirz, Hitz.*). Neque abnuit *Calmetus*, qui renovationem hanc mortalem i. e. Iobi in pristinam valetudinem ac fortunam restitutionem, vere enuntiari hic vult, sed ita tamen, ut haec indicium sit illius, quam fides docet, resurrectionis, et addit: « familiarissimum est autem Scripturae id propheticarum figurarum genus seu duplicium oraculorum, cuius una quidem facies temporalem aliquem et proximum eventum spectat, altera quiddam ex fide sublimius atque remotius ».

Verum haec quanta rerum inconsiderantia dicantur, facile ostenderis. *Amici* Iobo (si pietatem amplecteretur) renovationem illam temporalem polliciti sunt; *Iobus vero eam spem minime fovet* (cf. 6, 11; 7, 5-9. 16. 21; 10, 21; 13, 15 (hebr.); 14, 10; 16, 23; 17, 1. 11-16), ea spe se tangi in tantum negat ut dicat: *putredini dixi: pater meus es; mater mea et soror mea vermibus* (17, 14); negat hac ipsa oratione v. 7-12; negat postea 30, 23. Quomodo nunc subito id amplectitur, quod hucusque negavit? Num sacri carminis auctor post illam v. 23. 24 pompam ad tam ridiculum exitum rem perduxisse ulla verisimilitudinis umbra censeri potest? Sed dicunt: in hunc modum disputatio revera finitur. Praeclaram interpretandi normam! ex iis quae Iobus penitus ignorabat, minime exspectabat, nos eius verba et animi sensa debemus explicare! Bene iam notat *Vav.*: « si novum quiddam et inauditum et insitatum dicturus non esset, nihil erat quod tanta praemunitione uteretur ad reliquum sermonem, tanto apparatu, tamque valde commendari vellet monumentis literarum, memoriae posteritatis sempiternae, quae tum verba maxime faceret ».

Ergo illud enuntiat Iobus, ad quod iam gradum quendam et praeparationem fecerat 14, 13; 16, 18 n.: Deum in altera vita post mortem esse remuneratorem totius hominis et animae et corporis. Id vero ipsis verbis perspicue constat.

Iam ad verba textus redeamus. Primum quod se certo scire profitetur, est : *redemptor meus vivus* est, vivit. Verbum גָּאַל de Deo *liberante* populum ex servitute aegyptiaca (cf. Ex. 6, 6; 15, 3. Ps. 74, 2; 77, 16) vel babylonica (Is. 43, 1; 44, 22) usurpatur. Hebraei vero, ut bene *Calm.* advertit, *redemptorem* (*Goël*) appellant illum, penes quem ius est redimendi hereditatem hominis cognati, quique necessariorum famam tueri ac mortem ulcisci tenetur (cf. Lev. 25, 25. Num. 35, 19. Deut. 19, 6. 12. Ruth 3, 13; 4, 4. 6). Igitur Deus *Goël* ille est, qui liberat ab afflictione, oppressum tuetur, restituit, vindicat (cf. Ps. 118, 154. Lament. 3, 58) : *Servator*, *Liberator*, cuius est iure quodam et vi muneris et officii servare, liberare, vindicare causam. Talis assertor et vindex *vivit* pro Iobo, *vivus*, nunquam morte removendus; *vivus*, nulla desidia vel muneris oblivione affectus; *vivus*, qui certissime talem se praestiturus est; quare simul *ultimus*, postremus atque omnium novissimus (cf. Is. 44, 6; 48, 12 *ego primus et ego novissimus*), qui omnia tempora complexus plena potestate et auctoritate tum adhuc pollet, quando humana omnia penitus sunt collapsa. Talis igitur *exsurget super pulverem*.

Frigide illi, neque ad Iobi mentem, qui *super terram* explanant (*Hitz. Hirz. Renan*) et עפר idem esse volunt quod אדמה; frustra quoque ad 28, 2; 30, 6; 41, 25 provocant, nam Iobi mens non est ex illis colligenda, quae postmodum alio in rerum contextu et alia animi conditione constitutus in medium profert, sed ex illa cogitationum affectuumque serie, quam in antecedentibus pandit. Iam עַל עָפָר modo dixerat (17, 16; dixerat 7, 21 *in pulvere dormiam et si mane me quaesieris, non subsistam*; 14, 8 *in pulvere emortuus truncus eius*; et עֲלֵעָפָר *statim* in subsequentibus iterum a Sophar et Iobo usurpatur : 20 11 *ossa eius... cum eo in pulvere dormient*; 21, 26 *simul in pulvere dormient et vermes operient eos*, idque postquam dixit : *iste moritur, alius moritur* v. 23. 25; proinde *super pulverem* sepulchrum dicit, illum dicit pulverem, in quem corpus suum putridum mox esse resolvendum Iobus exspectat et in quem humana demum omnia, utpote mortalia, recident; super *hunc pulverem ultimus*, Deus primus ac novissimus i. e. aeternus *exsurget* (cf. *Corluy* l. c. pag. 287).

Iam *exsurgere* קוּם de teste dicitur (Deut. 19, 5. Ps. 26, 12; 34, 11), de adiutore, opem ferente, de Deo iudice (cf. Iob 31, 14; Is. 2, 19. 21; 28, 21; 33, 10. Ps. 11, 6; 93, 16). Quare Deum stantem super pulverem apposite delineat tamquam testem innocentiae, liberatorem, vindicem, qui opem laturus sit huic pulveri. Apta connexione vocat *suum* Goël, vocat eum *virentem* חַי quae vox de Deo in sollemni attestatione toties adhibetur; huic intime iungitur *ultimus*, quia ex vita sibi propria est aeternus; *Goël* vero explicatur sententia adiecta *super pulve-*

rem exsurget[1]. Iam sequentibus versibus proxime tangit, qua ratione eum potissimum *meum* Goël dixerit.

f 19, 26 (hebr).

Versiculus brevis, septem constans vocubis, at undequaque difficultatibus septus. Ipsa versio dubia est; tamquam probabiliorem hanc proponimus : *et postea pelle mea circumdabuntur haec et ex carne mea videbo Deum*. Scio, paucos ex Hebraistis huic versioni accedere (approbant *Pin. Hebraeus* Caietani, *Tigurin. Castalio, Eugubinus, Patr. Corluy ;* vertunt *circumdederunt Leo Iudas. Mar. Le Hir*), sed plerosque vertere vel *postquam pellem meam contriverunt hanc* (*Sanctes, Vat.* confoderint ista, *Avenarius, Schindlerus, Ros.* et postquam corpus meum, hoc inquam, consumptum fuerit, *Ges.*) vel frequentius : *post pellem meam* quam *conciderunt, hanc* (*Hirz. W. Del. Zsch. Hitz. P. Renan*).

Unde primo versio proposita est vindicanda.

Praecipuum est in verbo נִקְּפוּ ; recentiores *piel* explicant : *decutere, conterere*, qua in significatione invenitur Is. 10, 34 ; ad eandem refertur נֶקֶף (excussio) Is. 17, 6 ; 24, 13. *S. Hier.* hisce tribus locis rite vertit *subvertere, excussio*. Alias hoc verbum in hac significatione non occurrit, occurrit vero נָקַף (recentiores enim plerumque unam hanc radicem agnoscunt abiecto figmento illo נקף) *octodecim in locis* in significatione *circuire, circulare, in gyrum versari ;* ita Is. 29, 1 ; 15, 8. Ps. (hebr.) 22,17 ; 17,9 ; 48,13 ; 88,18. Ios. 6, 3. 11. 1 Reg. (hebr.) 7, 24. 2 Reg. 6. 14 ; 11, 8. 2 Chron. 4,3 ; 23,7. Lament. 3,5 et cum omni probabilitate etiam Lev. 19, 27[2] et quod bene attendendum est in ipso libro Iob 1,5.

---

1. Aliqui in textu hebr. ipsam Christi resurrectionem praedici opinantur (*Pin. Sanct. Malv.*). Sed ne quid nimis! Nam de *Messia* proxime et directe non est sermo, sed de eo quem Iobus, uti per totum librum, ita hoc loco *Deum* (v. 26) *Eloah* vocat. Neque illud praediceretur, etsi quis explicitam fieri ac distinctam unius Christi mentionem contenderet; bene enim notat *Patr.* : « cui tamen rei praedicendae nunc nullus est locus, nec eam patitur orationis series; modo enim Iobus dixit redemptorem suum vivere neque unum quidem verbum de eius morte protulit, protinus vero dicturus est, quod boni ab eo semper vivente tandem exspectet » ; vide quoque *Corl.* l. c. pag. 295.

2. Hunc locum quod spectat, haec affert *Fürst C.* p. 730 : « multi sunt qui הַקִּיף vi *tondendi* s. *rasitandi* intelligunt; alii, in his *Isaaki* de discriminatione capillorum eorumque pone aures ac tempora compositione (a v. נָקַף vi *cingendi*) explicant. *Aq.* οὐ περικυκλώσεις τὸ κλῖμα τῆς κεφαλῆς σου, *Theod.* οὐ κυκλώσετε τὰ φαὰθ τῆς κεφαλῆς, ad quae explicanda faciunt haec *Isychii* verba l. VI : *insuper nec comam in rotundum tondere i. e. non radere in rotundum aspectum capitis, sicut et Symmachus edidit, quemadmodum etiam hi facere consueverunt, qui barbaricas student comas.* Alius : οὐ περιξυρήσετε κύκλῳ... LXX οὐ ποιήσετε συσόην ἐκ τῆς κόμης τῆς κεφαλῆς ὑμῶν ». *Vulg.* eum locum bene vertit : *neque in rotundum attondebitis comam;* et eodem modo recentiores (cf. *Ges.* Thes. *Keil* ad Lev. 19, 27). Huic mori optime aptatur Ier. 9, 25; 25, 23; 49, 32.

immo in *nostro capite* 19,6 ; addi potest Is. 3, 24 נְקֶפָה funiculus, scil. a *cingendo* dictus; istis porsus affinis est תְּקוּפָה *circulus, ambitus, periodus, cyclus* Ex. 34,22. 1 Sam. 1.20. Ps. 19,7. 2 Chron. 24, 23 (cf. *Fürst* C. p. 730. 988). In dialectis quoque cognatis eadem radix et ex ea formationes eiusdem significationis occurrunt.

Quae cum ita sint, non dubitamus pro nostro loco illam praeferre significationem, quam iam *S. Hier.* seligendam duxit; idque eo magis, quia in eodem capite, ut monui, 19, 6 invenitur. Forma est *niphal*: haec autem est forma passiva correspondens formae activae *hiphil*, iis in verbis usitata, quorum *qal intransitive* adhibetur; id quod in nostro verbo cernitur. Neque difficultatem movet, poni זֹאת fem. sing.: nam talis enallage vel talis *constructio ad sensum* Hebraeis est frequenter in more posita, praecipue in substantivis *fem. gen.* cf. 1 Reg. 3,17. Ps. 119,103 (eadem est collocatio, ac si lat. diceres : *quam dulcescunt oratio tua*) Is. 15, 3 etc. *Ewald* Hebr. Gr. p. 782, §. 317.

Vertimus *et postea* וְאַחַר ; negant ita posse accipi, sed *praepositionis* loco accipi et necessario dici debere contendunt *et post pellem meam*. Ratio unica quae affertur est haec : si אַחַר esset *adverbium* (postea), deberet immediate *verbum* sequi, neque ex lege collocationis et consecutionis hebr. aliud membrum inseri licuisset (W. *Hirz.*). Sed haec ratio minime valet. Nam

1° emphasis gratia etiam Hebraei, praesertim in dictione poetica, a consueta verborum serie recedunt et illud eminentiore in loco collocant, quod *ictu premere* desiderant (cf. *Ewald* Hebr. Gr. p. 767, §. 309) — unde si *cute mea* peculiari modo efferre volueris, ex lege grammaticali poteris ante verbum collocare;

2° varia adsunt exempla, in quibus a consueta collocatione multo magis receditur, quam in nostro loco; cf. Is. 10, 13; 19,8 etc. alia cf. *Ewald* p. 766, §. 307;

3° immo in hoc ipso וְאַחַר sine ulla dubietate eadem collocatio cernitur Ps. 73,24 וְאַחַר כָּבוֹד תִּקָּחֵנִי *et postea in gloria me suscipies;* ita omnes vertunt; ita accentuatio hebr. coniungit; ita sensus exigit. Sed uti hoc loco *in gloria* est insertum, ita Iob 19, 25 *cute mea*;

4° huius insertionis exempla habes v. g. in particula cognata אַךְ: cf. Iob 9, 31; 13, 20. Ps. 124,3.4 (hebr.).

Haec disputatione longiore proponenda erant, ut pateret versioni datae ex rationibus grammaticalibus iure *opponi* nihil posse. Iam ea videnda, quibus commendetur. *Primo* auctoritate *S. Hier.* fulcitur, quae eo minus sperni potest, quia iam saepius deprehendimus, eum locos difficiliores praeclare reddidisse, immo solum aliis interpretibus

veteribus aberrantibus (cf. 17, 5). *Secundo*, ad hanc accedere videtur *Chald. postquam convaluerit*[1] *cutis mea* (cf. *Ges.* Thes. s. v. נקף). *Tertio* hanc prae se fert *Syrus* (vide infra p. 255). *Quarto* et maxime ipso contextu et sermonis gradatione suadetur. Postquam enim Iobus dixit : *super pulverem exsurget*, iam non corporis sui discissi descriptionem, quam toties hucusque proposuit, exspectamus ; *super pulverem* corpus dicit penitus destructum ; *ultimus* Iobum iam in ultima totius mortalitatis epocha mente et animo versari indicat ; cur ergo pergens *et* nihilominus censendus sit mente et cogitatione iterum *regredi* ad corporis tabem toties iam deploratam? Accedit, quod אַחַר praeclare אַחֲרוֹן excipit et quid in illa ultima periodo futurum sit pro Iobo, ipsa soni aequalitate delineat. Demum, cum membrum subiunctum incipiat *et ex carne mea*, hoc non facile fluit nisi in nostra interpretatione, in qua sola aequalis quidam atque continuus membrorum cernitur progressus, quem tamen particulae *et* usus postulat.

Iam quali felicitate corpore restituto fruiturus sit, exponit *et ex carne mea videbo Deum*. בְּ quo sensu sit accipiendum, disceptant. Verum est בְּ sensu quem vocant *privativo* inveniri (cf. 11, 15 ; 21, 9. Gen. 27, 39. Num. 15, 24. Mich. 3, 6. Ier. 48, 45. 2 Reg. 13, 16), at hoc loco non posse verti *sine carne mea* (uti volunt *Ew. Vaihinger, Hupfeld, Oehler, Dillmann, Hirzel, Del. Schlottmann, Hitz. Renan*), elucet 1° quia in adversariorum sententia hoc *ad nauseam usque* redundat ; quoties enim de corpore iam consumpto et de mortis dissolutione iam disseruit? nonne secundum adversarios idem modo in membro antecedente dixerat? cur denuo id repetit? cur in hoc uno versiculo nihil nisi tautologiam adstruunt? 2° statim subiungit *oculi mei videbunt*, idque post *ego videbo mihi* : ergo cum emphasi se *suis oculis* videntem describere et efferre vult. Quid *tautologia*, quam etiam ibi in duobus membris iterum adstruere debent? Num Iobus post sollemne exordium (v. 23. 24) tanto verborum cumulo uti censendus est, ut dicat, quod iam toties dixit, corpus iri dissolutum? num tot tautologiis?

Retinenda proinde est interpretatio, quae et nativae vocis significationi convenit et seriei rerum optime correspondet *et ex carne mea*, *de carne mea* i. e. in hac carne exsistens, ex hac carne constans, restituta scil. et ad novam vitam ex pulvere (v. 25) revocata (cf. *Pin. Cord. Cod. Mar. Malv. Ros. W. Patr. Corl. Zsch. P. Le Hir*). Deum liberato-

1. *Levy* (Chald. Wœrterbuch, II, 119) vertit : nachdem meine Haut angeschwollen sein wird ; ita etiam iam *Buxtorfius* (Lexicon chald. talm. et rabb. p. 1364) : cum inflata fuerit pellis mea.

rem et assertorem innocentiae profitetur, qui ultima mundi periodo cum ad novam vitam corporalem est suscitaturus, ita ut Deum sibi propitium videat, eius favore, amore, conspectu fruatur.

Id magis declaratur v. 27.

g) 19, 27 (hebr.).

Ut Deus cum innocentem declaret et aerumnas explicet, Iobus frustra hucusque expetiit. Iam fore ut hoc modo excellentissimo fiat, spe firma obtrectatoribus audientibus profitetur : v. 27 *quem ego conspiciam mihi et oculi mei cernunt et non alienus. Consumuntur renes mei in sinu meo.* Nota emphasin, qua in hac carne Dei favorem se experientia cogniturum esse asseverat; Deum enim conspicere ex variis Iobi sermonibus (cf. 6, 8; 9, 35; 10, 2; 13, 20-22; 14, 13; 16, 10. 20) praecipue enuntiat, Deum se illi staturum tamquam benignum, praemiatorem, laudatorem, ex quo aspectu Iobus ingentem felicitatem sit percepturus : quare ea omnia complexus *ego*, inquit, *conspiciam mihi* i. e. in meum bonum atque solatium immensum. Has vero delicias animi in ipsum corpus redundaturas esse et corporis organis et sensibus (prout fieri poterit) sese infusuras, certo declarat : *et oculi mei cernunt*, i. e. oculi, quos morbo iam fere consumptos esse dixerat (16, 17; 17, 7) oculi hi *mei* novam illam vitam Deique favorem videbunt. Bene *Pin* : « mille modis amplificat illud in beata resurrectione *videndi* Deum *redemptorem* gaudium et voluptatem; ad hoc *quem visurus sum ego mihi* : est ille dativus, ut cum grammaticis loquamur, commodi, gaudii, beatitudinis, constantiae, certitudinis, ingentis in praesentibus aerumnis solatii et cuiusdam etiam timoris clam intentati suis amicis : *videbo* (inquit) Deum iudicem mihi, non adversum me sed pro me pronuntiaturum adversus meos hostes... » Aliorum vero resurrectionem Iobus satis innuit, cum causam suam a Deo coram amicis iudicari semper expetat et demum amicos ad hoc iudicium remittat. Nos re christiana edocti Redemptorem et Iudicem oculis corporeis fore conspiciendum, Christum scil. in sacra eius humanitate, scimus; ex Iobi mente non de divina essentia oculis cernenda, sed de Dei quadam apparitione visibili erit cogitandum, quales apparitiones v. g. in veteri lege angelorum ministerio fieri solebant (cf. Gal. 3, 19. Hebr. 2, 2; 13, 2. Act. 7, 30. 35. S. Thom. I. qu. 51 a. 2; I. II qu. 98 a. 3; Suarez de angelis l. 6. c. 20).

Et non alienus; hebr. זָר ita saepe a *vulg.* vertitur, v. g. 15, 19; 19, 13; Prov. 27, 2 (= alius); Ps. 54, 5 (= hostis); Ps. 43, 21 (= ab extera natione veniens; sim. Is. 43, 12; 17, 10); Is. 28, 21 (= mirum, insuetum); alias etiam vertitur *extraneus* Prov. 5, 10 etc. Et *alienus*

hic quoque vertunt *Pin. Ros. Hirz. Hitz.* sed quo sensu? Aliqui eodem sensu atque *alius* i. e. ego ipse, ego idem ut idem, non tamquam alius idem qui sum (ita *Sa, Mar. Men. Malv. Pin. Patr. Hirz. Corl. W. P.*); sed cum id iam v. 26 *bis* : *cute mea, carne mea* et semel explicite v. 27 *oculi mei* dictum sit, eiusdem rei quarta repetitio minime placet. Alii זָר referunt ad Deum, cum non uti nunc tamquam *adversarium* et *inimicum* videbit (*Hitz.*); sed hoc *friget* post v. 25, et veteres iam versiones ἄλλος, *alius*, non *alium* transtulerunt. Quare, uti fit in animi commotione et uti in parallelismo hebr. saepe assolet, id quod modo directe et cum assertione dixerat, idem denuo negatione adhibita profert, alludens simul ad praesentem conditionem, qua tamquam *inimicus* a Deo habetur (cf. 6, 20; 10, 17; 13, 24); tunc scil. videbit *sibi* Deum et iam non ut Deo contrarius, inimicus, qualis nunc a Deo tractari et existimari videtur; meiosis simul est multo maiora ac feliciora insinuans.

Quanto vero eius rei desiderio urgeatur, exprimit : *consumuntur* כָּלָה dicitur de vehementissimo desiderio, quo quis consumitur, deficit (cf. Ps. 69, 4; 73, 26; 84, 3; 119, 81. 82; 143, 7; cf. *Pin. Cord. Mar. Ros. Patr. W. Hirz. Del. Zsch. Hitz. P.*). Quod quidam proponunt : vires meae plane defecerunt (cf. *Malv.*), neque verbis neque contextui est aptum. *Renes* vehementissimorum affectuum sedes Hebraeis censentur. Hanc spem quam amantissime *sinu suo* fovere et intime amplecti et toto animi desiderio se retinere profitetur. Desideria quo ardentiora sunt, eo magis pro eius innocentia testantur. Ita solus iste locus praeclarum est Iobi fidei, spei, integritatis testimonium.

Hebraici textus proposita explanatione simul elucet *S. Hieronymum* secundum sensum *fideliter* transtulisse, atque prorsus immerito eum ab heterodoxis *falsatae versionis*, levitatis, textus corrupti, caeci partium studii, nimiae audaciae etc. insimulari. Quae enim in textu hebr. insunt, expressit, utique non ubique verbum e verbo reddens et aucupans syllabas, sed sensum et sententias secutus et assecutus :

V. 25 « *scio enim quod redemptor meus vivit et in novissimo die de terra surrecturus sum* — fortasse legit אֲקוּם [1] : vel quod alias etiam facit, sensum lectoribus clariorem reddere studuit sua versione, uti dicit v. g. ad Is. 11, 10 : « nos autem, ut manifestum legenti sensum faceremus, *sepulchrum* vertimus ». Resurrectio enim etiam in textu

1. Nullibi enim aliquam textus hebr. varietatem indicat, neque quod tamen alias saepe facit, se ad sensum transtulisse insinuat, e contra Iobum apertissime de resurrectione prophetasse ait et ex sua versione sola argumenta depromit (cf. ep. 53 n. 8. Migne t. 22 c. 545. lib. c. Ioan. Hierosolym. n. 30. Migne t. 23 c. 381).

hebr. clare proponitur; hoc quidem versu quasi via strata praeparatur, cum Deus liberator super pulverem ultimus exsurgere dicitur; distinctius vero v. 26 *cute mea circumdabuntur haec; ex carne mea* v. 27 *oculi mei videbunt.*

V. 26 « *et rursum circumdabor pelle mea et in carne mea videbo Deum meum;* v. 2*quem*] *visurus sum ego ipse et oculi mei conspecturi sunt, et non alius: reposita est haec spes mea in sinu meo* »; — haec rite esse translata, iam pluribus vindicavimus. Ultimum membrum *S. Hier.* bene sensum exprimens reddidit.

LXX ita habent: οἶδα γὰρ ὅτι ἀέννακός ἐστιν ὁ ἐκλύειν με μέλλων ἐπὶ γῆς ἀναστῆσαι τὸ δέρμα μου τὸ ἀναντλοῦν ταῦτα. Ita fert textus vaticanus; codex alexandrinus praebet: ἀναστήσει δέ μου τὸ σῶμα τὸ.. quem partim *vet. lat.* sequitur ex emendatione Hier.: « scio enim quia aeternus est qui me resoluturus est; super terram resurget cutis mea quae haec patitur ». Reliqua aequali modo in versione graeca et vet. lat. habentur: « a Domino enim mihi haec contigerunt (συνετελέσθη), quorum ego mihi conscius sum, quae oculus meus vidit et non alius, et omnia mihi consummata sunt in sinu (συντετέλεσται ἐν κόλπῳ) ».

Ex *Theodotionis* versione haec servata sunt: ὁ ἀγχιστεύς μου ζῇ καὶ ἔσχατον ἐπὶ χώματος ἀναστήσει... ἔκλιπον δὲ αἱ φρένες μου ἐν τῷ κόλπῳ μου.

Targum chaldaicum haec habet peculiaria: « et ego scio quod liberator (redemptor) meus stabilis (קַיָּם manens, durans, cf. Dan. 4, 23) et post haec liberatio eius (redemptio) super pulverem surget; et postquam convaluerit [1] cutis mea, erit hoc et de carne mea videbo iterum Deum ».

Versio syriaca: « ego scio (sciens sum), quod liberator meus vivens est et in fine super terram manifestabitur (apparebit) et super cutem meam circumiverunt haec (circumdata sunt haec) et super carnem meam. Si viderint Deum oculi mei, videbunt lumen ».

Versiones in multis discrepantes tamen id quod rei caput est, satis clare enuntiant, uti legenti patet [2].

E veteribus Patribus non multi sunt, qui hoc textu in vindicanda resurrectionis doctrina utantur. Atque *Athenagoram* illum non in medium attulisse, facile ex indole libri eiusque consilio explicatur, cum potius ad gentilium de resurrectione obiectiones refutandas incumbat; at S. Iustinum, Irenaeum, Tertullianum textum non protulisse, iure miraberis. Adhibuit autem *Clemens Rom.* (I Cor. cp. 26. *Origenes* (in Matth. 22, 23. *M.* 13, 1565 [3], *Cyrillus Hieros.* (cat. 18.

1. Ita reddunt אתפח *Ges.* (allegans Buxtorfium p. 2619) et *Patr. Corl.*: Buxtorfius l. c. a verbo תפח affert formam אִתְּפַח *convalescere*, eamque exemplis talmudis comprobat.

2. Quare audacius quam par est *B.* textum mutat: « ex Omnipotente videbo haec, quae ego cernam » i. e. innocentiam meam divino testimonio omnibus declarandam.

3. *S. Ephraem* in comment. Iob haec habet: « de Emmanuelis in carne manifestatione *in fine temporis* vaticinatur ». Cum vox *finis* חרתא in N. T. de consummatione saeculi in versione syriaca adhibeatur (cf. Mrc. 13, 7. Luc. 21, 9. 1 Cor. 15, 8. 24. 1 Petr. 4, 7),

M. 33, 1035); *Epiphanius* (Ancor. *M.* 43, 196) hunc in modum textum affert : ἕως πάλιν γένωμαι, καὶ τὸ σῶμα τοῦτο τὸ ἀντλοῦν ταῦτα καὶ ἀνακαινιεῖς με. *Chrysostomus*, qui Iobum aliquid de resurrectione scisse saepius negat (cf. *M.* 52, 565; 57, 396), tamen in Nicetae catena haec scripsisse refertur ad nostrum locum : « utinam, inquit, Deus cutem meam resuscitet, quae haec perpessa est. Hinc autem dogma Ecclesiae docemur, quod corpus scil... una cum anima resurgat, ut gloria cum illa simul fruatur. Non ignarus igitur resurrectionis fuit, neque mea quidem sententia resurrectionis corporum, nisi quis dicat liberationem ab aerumnis, quibus premebatur, resurrectionem esse... Immortalis est Deus, cuius nos genus sumus; me vero postquam in terram per mortem resolverit, rursus a terra per resurrectionem suscitabit; vel postquam a morbo resolverit i. e. liberaverit, rursus cutem meam tabe corruptam renovabit : ille enim est, qui dolere facit et sanitati rursus restituit, qui interficit et vivificat » (*M.* 64, 620).

Ex latinis Patribus locum hunc ex veteri versione saepius allegat *S. Ambrosius*, v. g. *resuscitabit corium meum* (in Ps. 118 n. 18. *M.* 15, 1336), *suscitabis corpus meum, quod multa mala passum est* (de excessu fratris sui Satyri l. 2 n. 67. *M.* 16, 1334); de resurrectionis fide quam Iobus habuerit, etiam S. Ambrosius libro de interpell. Iob disserit (cp. 8; *M.* 14, 808), ita tamen, ut hunc locum non afferat. Eo vero utitur *Rufinus* (de expos. Symb.) : *qui resuscitaturus est super terram* (*de terra*, ut habet codex sangerm.) *pellem meam, quae haec nunc haurit* [1] (*M.* 21, 383).

Quam maxime vero hunc locum laudibus celebrat *S. Hier.* : « resurrectionem corporum sic prophetat, ut nullus de eo vel manifestius vel cautius scripserit » (ep. 53 n. 8. *M.* 22, 545); « tonet Iob tormentorum victor, et testa radens putridae carnis saniem miserias suas resurrectionis spe et veritate soletur (affert locum)... quid hac prophetia manifestius? Nullus tam aperte post Christum, quam iste ante Christum de resurrectione loquitur. Vult verba sua in perpetuum durare et ut nulla possint vetustate deleri, exarari ea vult in plumbi lamina et sculpi in silice » (lib. c. Ioan. Hieros. n. 30. *M.* 23, 381).

Ex versione *S. Hier.* argumentatur *S. Augustinus* (de civ. Dei 20, 29. *M.* 41, 799), et cum ille sensum textus hebr. adeo lucide expresserit, non est mirum, quod in Ecclesia latina Iobi effatum celeberrimum evasit (cf. *Cassiodorus*, de div. inst. 1, 6. *M.* 70, 1118. *S. Greg.* etc.).

---

locus de adventu Christi *secundo* explanari posse videtur. *Bach.* vero tria proponit : « vel de Incarnatione Domini vaticinatur vel de secundo adventu docet vel sic : quando castigationes meae finem habebunt, revelabitur mihi et sanabit me ».

1. Lectionem ergo sequitur eandem quam Epiphanius ἀντλοῦν.

Hisce aliud accedit argumentum minime spernendum : in monumentis scil. primorum saeculorum et in catacumbis saepe cerni Iobi figuram et imaginem ut typi resurrectionis (cf. *Kraus*, Roma sotterranea, p. 288).

h) Hunc vindicem timeant amici 19, 28. 29.

Iam ex dictis applicationem pro amicis colligit. Cum scil. iudex ac liberator meus me meamque innocentiam ita vindicaturus sit : v. 28 « *Quare ergo nunc dicitis : persequamur eum et radicem verbi inveniamus contra eum* »! — i. e. ut bene *Pin.* : « cum haec ita sint, quare adhuc perstatis in vestra ista contentione et studio me persequendi atque vexandi »? Suae innocentiae testimonio, quod sollemni confirmatione proposuit, illos a sententia removere studet. Inde simul explanatur, quid sit *radicem verbi invenire contra eum*. Potest quidem ut *Pin.* notat, translatio similitudoque *radicis* ad multa trahi; nam radix est rei initium, fundamentum, ipsa virtus; rursus *verbum* pro sermone ipso aut pro re, quae *verbo* explicatur, sumi potest; tandem haec ipsa res aut pro poena peccati aut pro salute, aut pro disputatione; denum ipsa sententia cum interrogatione, aut cum affirmatione legenda. Sed certe radix verbi i. e. rei de qua agitur, quae disceptatur, est ipsa illa aerumnarum causa, quam in Iobi peccatis esse positam amici affirmant et haec simul est illa *persecutio*, quam adeo abhorret. Unde eos vituperat, quia *rei causam* i. e. poenarum et afflictionum rationem in Iobi sceleribus sitam esse assererent et novas accusationes et calumnias in Iobum confingerent; ita revera *inveniunt* eam *contra Iobum*. Bene *Cod.* : « est autem *fundamentum litis* (= radix verbi) culpa » (cf. *W. Del. Zsch. Le Hir*).

Prope ad hanc explicationem alii accedunt, qui materiam ad criminationes iactandas captare amicos explanant (*Vav. Sa, Men. Tir.*) : at expositio ipsa non est satis ad rem circumscripta. Alii, nimium insistentes דָּבָר *verbi* (sed דָּבָר latiorem habet significatum rei, causae, eventus etc.) sermones Iobi investigari volunt, ut eum verbis suis capiant (cf. *Ol. S. Thom. Cord.*).

Ex hebr. *quia* (profecto) *dicetis : quare persequimur eum? et radix rei inventa est in me*, potest eodem modo intelligi uti *vulg.* Illud כִּי initiale sua nativa significatione retineri potest, uti iam indicat *Mar.* : « ideo de iudicio sum locutus, quia vos me persequimini » ; in altero membro facile suppletur: *inventa est in me*[1] vobis scil. ita iudicium ferentibus.

---

1. כִּי in eo legunt codices sat multi apud de Rossi; ita LXX, *Theod. Hier. Chald.* et critici quidam, v. g. *Houbig.*

Sed aliqui hunc versum ad ipsam iudicii modo descripti scenam referunt, scil. si ego ita a Deo restituor, *tunc profecto vos* huius rei testes *exclamabitis:* quare eum persecuti sumus (cf. *Hirz. Hitz.*), tunc rei radix, de qua nunc disceptatur, invenitur in me, i. e. mea innocentia, quam nunc negatis (vel, quod *Pin.* placet: recta Iobi fides, spes, Dei dilectio). Scena utique grandis, illi non absimilis, quam Sapiens depingit Sap. 5, 1-14; hebraeum כִּי תֹאמְרוּ ita accipi potest, quamvis in hac emphasi particulam aliquam illud temporis momentum gravissimum explicatius efferentem desideres.

Rei indignitatem exhibuit; monitionem subiungit minis fultam et sancitam, ut demum a falsa accusatione et ira in Iobum cessent: v. 29 « *fugite ergo a facie gladii, quoniam ultor iniquitatum gladius est, et scitote esse iudicium* ». — Hoc certe loco amicos ipsius illius periodi novissimae et iusti Dei iudicii admonet. Unde illos quoque ad novam vitam post hanc mortalem esse revocandos aperte supponit, arguit enim ex re utrimque admissa, omnibus certa. *Gladium* vocat Dei ultoris poenam, vel supplicium mortis, vel generatim vindictam quamcumque graviorem, quam quis armis, gladio, de inimico sumit: ergo fugite ab ultrice Dei dextera (*Men.* sim. *Pin. Cord. Malv. Tir. W.*). Iure Dei ultionem timeant: nam omnis iniquitas talem ultionem provocat; modum autem, quo ipsum calumniis afficiunt et doloribus vulnerant, ut rem impiam et iniquam, alienam a miseratione et iustitia, proinde tamquam *iniquitatem* merito traducit. Demum iudicii veritate concludit apte simul et gravissime [1].

Textus hebr. eodem modo intelligendus est: *timete vobis a facie gladii; quia irae (sunt) peccata gladii, ut sciatis, quod iudicium* (futurum sit) i. e. ira pertinet ad peccata, quae gladio (i. e. severe) puniuntur, ira est complectens in se et fovens peccata gravia (cf. *Ros. W. Zsch. P.*). Haec explicatio facilis est et plana. Quod alii volunt: *ira iniquitatibus gladii* scil. imminet (cf. *Pin. Malv. Del.*) verbis hebr. minus respondet — exspectares enim לעוניות vel simile quid — deinde neque apparet, cur amicorum delicta dicantur iniquitates gladii, dum e contra eorum agendi modus ira et excandescentia optime dicitur et cur ita dicatur, facile perspicitur (cf. 6, 26. 27. 12, 4).

Alii liberius et a verborum proprietate remotius: ardor (i. e. ardentes) sunt gladii punitiones (cf. *Hirz. Le Hir*); insuper rationem reddi exspectamus, cur amicis gladius immineat; nam non esse gladii poenam rem iucundam, nimis liquet neque ulla indiget probatione; quare haec interpretatio duplici naevo laborat. *Hitz.* textu mutato [2] vertit: timete... ab irae aestu gladium vibrante — prorsus arbitrarie neque ad aliquod sensus emolumentum.

Esse iudicium amicos monet; proinde illos minime fore impunes, si innocentem

1. *B.* delet v. 28 b; v. 29 b legit « quia ira super iniquitates » et 29 c iterum delet.
2. Scribi scil. vult. עוֹרֶרֶת, idque pro כְּמוֹ esse accipiendum. Sed cur locutiones inusitata et formas fingere a vera grammatica recedentes?

dicteriis oppresserint. שַׁדִּין = אשר דין [1], ut rite explanant *Aq.* ὅτι κρίσις, *Sym. Theod.* ὅτι ἔστι κρίσις, *Syrus*, *S. Hier.* et sim. *Chald.* (« quod iudex verax est dominus iudicii »; legitne שַׁדִּין? ita revera habet *Qeri* hebr.); LXX vocem a שדד derivarunt, vertunt enim ὅτι οὐδαμοῦ αὐτῶν ἡ ἰσχὺς ἐστίν; aliqui recentiores fere sequuntur: ut cognoscatis Omnipotentem (שַׁדַּי); at nulla adest ratio derelinquendi veterum explanationem (cf. *Cod. W.*), qua Iobi μαρτυρία efficaciter concluditur. Quam languidum, immo ridiculum est, quod *Hitz.* textu iterum immutato nobis obtrudere vult: « ut discatis ratione uti »!

---

1. אשר simul pro coniunctione כי, cf. Esth. 4, 11. etiam post ידע.

III. DISCEPTATIO CUM SOPHAR. Cap. 20. 21.

1. SERMO A SOPHAR HABITUS. CAP. 20.

Arg. — Sophar aegre fert Iobi expostulationem, quare ad respondendum vehementer impellitur (20, 1-3); a principio enim fixum ratumque esse impii felicitatem non esse nisi *perbrevem*, eamque subito atque inexspectato corruere, ita ut neque dignitatis ullius sublimitate, neque divitiarum amplitudine, neque liberorum numero a ruina protegatur (20, 4-10). Idque iure merito. Nam peccatum quod est venenum hausit, unde naturae necessitate perire debet; neque ullo pacto frui poterit divitiis male partis; cum dolore illis privabitur (20, 11-16.) Et recte quidem; iniustus enim erat et cupiditatis insatiabilis, quare Deus eum afflictionibus satiabit, quibus undique grave ei bellum infertur et vulnus, cui remedium afferri nequit. Ita scil. ultio in impium devolvitur coelo et terra conspirantibus (20, 18-28). Epiphonema et conclusio enuntiatur v. 29.

Disputationis vero *progressus* maiorque dramatis psychologici explicatio in eo habetur, quod 1° preces et obtestationes Iobi, immo et sollemnis protestatio vanae cernantur et inefficaces, neque amicos a proposito dimoveant, verum potius ad acerbiores accusationes eos propellant; unde gravissima exoritur Iobi patientiae exercitatio; 2° idem a Sophar propugnatur, at maiore animi vehementia, maiore exaggeratione, cum Iobum esse talem pestem apertius iam declaret; insuper in ipsa probatione clarius proponit, poenam esse interna quadam naturae necessitate cum peccato connexam atque colligatam.

a) Se urgeri ad respondendum 20, 1-3.

Assertione illa et spe Iobi iratus et praecipue monitione addita (19, 29) exacerbatus cum animi excandescentia Sophar respondet v. 2 « *Idcirco cogitationes meae variae succedunt mihi et mens in diversa rapitur* »; — *idcirco* ex antecedentis capitis fine declaratur (cf. *exp. in. Phil. Pin. Cord.*) neque opus est vocem praeoccupatione quadam ex v. 3 explanari (*Hirz.*), sed quia tu, inquit, talia iactas et minaris, *idcirco*... Ait igitur Sophar, se responsione Iobi animo esse commotum, ideoque ad responsionem impulsum, simulque vehementem

animi turbationem propter Iobi certam fiduciam non celat. Cur vero animum commoveri sentiat, in priore membro v. 3 explicat; unde hauriat responsum, in altero addit; v. 3 « *doctrinam, qua me arguis, audiam, et spiritus intelligentiae meae respondebit mihi* »; — i. e. audio, audire debeo increpationem mihi probrosam (cf. *Cord. Cod. Mar. Malv.*); talem enim censet Iobi protestationem et monitionem. At habet, unde et quid respondeat; mens mea, inquit, non caret vera intelligentia; ea responsum mihi suggeritur.

Hebr. v. 2 *cogitationes meae me reducunt* (*Cord. Malv. V. Cod.* me revocant, *Hitz.*) i. e. ut denuo loquar et disceptem, me impellunt. Plerique tamen hebr. exponunt *mihi respondent* (*Mar. Pin. Ros. W. Del. Zsch. P. Le Hir, Renan*), vel *responsionem suggerunt;* at id liberius est neque adeo ad usum vocis accommodatum. Alterum membrum verti debet : *et propter commotionem in me* (cf. *Cord. Malv. II. Del. Hitz.*). Nam quod aliis placet : *et propterea fervor* (*impetus*) *est in me* (cf. *Pin. Mar. Ros. W. Hirz. Zsch. P.*), improbandum videtur, quia בְּעַבּוּר adhiberi *absolute* nullo exemplo demonstratur, quamvis accentus *mas.* illam acceptionem iam suadeat.

Hebr. v. 3 *increpationem ignominiae meae audio et spiritus ex* (*ab*) *intelligentia mea respondet mihi* i. e. mens mea ex vera intelligentia depromit responsum. Igitur וְ sensu adversativo, uti saepe ex contextu accipitur. Sunt, qui מִן *ab, ex* ut genitivi circumlocutionem explicent *spiritus intelligentiae meae* i. e. spiritus meus intelligentia praeditus, plenus (ita *S. Hier., Ros.* qui pro tali usu citat Nah. 2, 10; Prov. 26, 7; immo Iob 6, 25; *W.*), sed talis usus neque probatur, neque hic necessarius est; potius indicat se ex scientia sibi indita, ex naturae rectae quodam sensu (uti *Del.* חוּשׁ v. 2 explanat) et sana ratione ea sibi suggeri sentire, quibus Iobi asserta efficaciter refellat. Hinc parum abest, quod aliis placet : spiritus, i. e. animus valde iam commotus non ex vehementi ira sed *ex diligenti et prudenti consideratione mea* tibi respondebit (cf. apud *Ros.*). Singularis est *Hitz.* « et ventus respondet cognitioni meae » i. e. Iobum reprehendi, quod futilia tantum et inania (*ventus*) doctrinae sapienter ab aliis prolatae opposuerit. Sed aptior est interpretatio prior, a versionibus et interpretibus communi suffragio commendata, cum v. 4 emphatice sequatur *hoc scio* vel *nonne hoc scis* ex hebr.; provocat Sophar ad scientiam; ad hanc provocationem autem nostro versu praeludit.

Iam antequam progrediamur, obiectio aliqua est solvenda. Sunt enim qui mirentur, excelsae illius ac certissimae spei, quam Iobus 19, 23-29 professus sit, nullam fieri ab amicis mentionem, effatum immo illud, quod nos maximi esse momenti statuimus, negligi penitus in disputationis progressu et a Iobo et ab amicis, unde de ipsa interpretatione dubium movent (cf. *Hirz. B.*). At immerito. Nam, ut statim de Sophar dicamus : 1° fini *ultimo* ad quem Iobus provocaverat et spei conceptae statim v. 4 sarcastice opponit id quod *ab initio* et per omnia tempora fixum et inconcussum sit esseque debeat scil. impios corruere; haec sententia scil. altissime eius menti inhaeret, quare 2° ex animi tali dispositione facile fluit, cur apud se statuat, nullam aliam rationem habendam esse assertionis Iobi, sed totis

viribus insistendum opinioni praeconceptae. Sicuti igitur 3° ceteras quoque Iobi rationes fere spernunt, non refutant (v. g. impios prospere degere, bonos calamitatibus publicis percuti; non solius iustitiae vindicativae in mundi gubernatione esse rationem habendam), ita hanc quoque fastidioso silentio ab illis premi quis iure mirabitur? Immo facile fieri potuit, ut propter animum praeiudicata opinione occupatum ne sensum quidem Iobi vel attenderent vel bene attingerent. Poterant spem illam tamquam hominis contumacis delirium spernere, quam exspectationem cum conditione Iobi praesenti satis superque convelli viderent, ne *verbis* illam destruerent, facile supersederunt. Idque eo magis, quia 4° cardo disputationis in eo vertitur, utrum Iobus patiatur innocens an impius; suo dogmate imbuti et hoc uno occupati, nullatenus concedunt, innocentem affligi ; quare *omissa conclusione ulteriore* quam Iobus ex sua integritate intulerat, ad *fundamentum* redeunt; volunt enim Iobi assertum evertere, innocenti quoque calamitates immitti; quod si evicissent nocentem pati, Iobi spes utique insignis esset hallucinatio.

Neque verum est, quod asserunt, hanc spem abire ex carmine nullo prorsus vestigio in ipso Iobo relicto. Praeclare enim rem *Sanctius* iam perpendit : « (haec una cogitatio) fecit, ut novum institueret dicendi genus, quasi exhilaratus illustratione nova et ad quamcumque subeundam aleam magis quam antea confirmatus. Adde quod ab hoc loco ad finem usque libri aliter se habet Iobus, quam prius. Neque enim luget aut queritur, quasi aegre ferat torqueri se vehementer, cum tamen non esset levior extrema vexatio, sed tantum est enumeratio malorum, quae pertulerat, ita tamen, ut in athleta fortissimo nullus appareat languor, nulla desperatio aut mortis desiderium. Confortavit enim et exhilaravit patientis animum spes certa resurrectionis, quam eo oraculo, in quo ab amicis urgebatur angustius, ex divina revelatione conceperat » (ad 19, 25).

b) Impii felicitatem esse perbrevem 20, 4-10

Aperta allusione ad *ultimi temporis* spem a Iobo prolatam (19,25) Sophar ad omnium rerum *initium* et ad constantem ab initio experientiam provocat v. 4 « *Hoc scio a principio, ex quo positus est homo super terram* : v. 5 *quod laus impiorum brevis sit et gaudium hypocritae adinstar puncti* » ; — maiore vi et stomacho cum Iobo expostulat in hebr. *scisne hoc ab aeternitate* i. e. debebas tamen scire hoc tamquam aliquid ab aeterno statutum, aeternis rationibus immobiliter innixum, quod semper valuit et factum est a prima hominis conditione usque nunc, scil. laudem i. e. impiorum statum florentem, honoribus

opibusque ornatum, vel ex hebr. impiorum iubilum (gaudium, exsultationem *Malv. Mar.*) esse a propinquo i. e. minime *diuturnum*[1] *et scelesti laetitiam* momentaneam, ad momentum (hebr.). Est impiorum felicitas et iubilatio a parvo tempore retro, non a multo tempore fundata (*Malv.*) neque diu extenditur; initium et finis inter se valde sunt propinqua.

Sententiam tritam Sophar cum fuco quodam oratorio exornat atque exaggerat, id scil. valere pro omni impio, etsi sit vel videatur potentissimus et felicissimus; unde v. 6 « *si ascenderit usque ad coelum superbia eius et caput eius nubes tetigerit*, v. 7 *quasi sterquilinium in fine perdetur et qui eum viderant, dicent: ubi est* »? — summam effert exaltationem, ut imam ruinam illustret; cf. Ps. 36, 20; 35, 36; in hebr. *sicut sordes suae in perpetuum perit*; rem vehementius textus hebr. proponit: hominem interire sicut stercus eius; summam superbiam ignominia summa et nullo modo reparanda subsequitur; illius usque ad nubes exaltationem *subitaneus* excipit interitus, ita ut omnes mirentur « ubi est »; periit florentissimus ille, nullo vestigio relicto.

Uti disputantibus accidit, qui argumentorum penuriam verbositate et eiusdem rei iterata amplificatione supplent, ita Sophar cum voluptate quadam in eadem re variis modis illustranda immoratur, neque immerito Iobi casum depingere velle censetur; urget *fluxam* laetitiam; v. 8 « *velut somnium avolans non invenietur, transiet sicut visio nocturna* »; — in hebr. *ut somnium avolat et non invenietur*., i. e. disparet adeo celeriter et facile et evanescit, uti visio nocturna i. e. somnium; cf. Ps. 72, 20. Is. 29,8. *S. Thom.* explicat: « dat intelligere, quod casus impiorum sit irrecuperabilis »; *Pin.* : « non plus (inquit) impiorum felicitas durabit, quam somnii alicuius voluptas, quae, ut non est vera nec solida, ita evanescit citissime; nam expergefactus homo nihil illius capit, nihil invenit » etc. Ruinam porro delineat v. 9 « *oculus, qui eum viderat, non videbit neque ultra intuebitur eum locus suus* »; — in hebr. *oculus eum vidit et non addet*, i. e. iam non eum videbit; bene *Pin.* : « ille mentitus splendor et gloria rerum mundanarum in transcursu tantum et raptim pascere potest oculos, neque enim possumus aliter quam per transennam praetereuntes strictim aspicere florentem impium. In quo latet amplificatio quaedam brevitatis felicitatis impii »; ad alterum membrum cf. 7,10.

Ruinae vero ipsius etiam filii implicantur v. 10 « *filii eius atterentur egestate et manus illius reddent ei dolorem suum* »; — i. e. opera, quae fecit, scil. quae manibus perpetrantur (cf. *Greg. Thom. Pin. Mar. Men. Tir.*), haec opera ei dolorem afferunt et moerorem; vel ulciscentur

1. Cf. similes locutiones Prov. 7, 19. Ier. 23. 23. Dan. 2, 47.

cum mores ipsius eique poenas infligunt, quia scil. talia patietur damna, qualia aliis intulit (*Cord.*); vel clarius ex hebr. *et manus eius reddent opes eius* (cf. *Pin. Mar. Hitz.*) i. e. bona acquisita reddet; amittit illa, quia ab eo recedunt.

Hebr. explica : *filii eius frangentur pauperes* (deprimentur, ita ut fiant pauperes); ita optime *vulg.*, ita *Syrus :* « frangentur paupertate » hebr. יִרְצוּ interpretati sunt; erit igitur legendum יֵרָצוּ (cf. יֵקָלוּ 1 Sam. 2, 30 *Hitz.*) a verbo רָצַץ. Ez. 29, 7. Eccl. 12, 6. Haec enim explicatio optime contextui congruit et v. 19 valde commendatur. Ab ea proxime absunt, qui vertunt *filios eius affligent miseri* (pauperes) i. e. filii eius in statum adeo miserum redigentur, ut vilissimi quique eos opprimere et contumeliis afficere et audeant et valeant (cf. *Vav. Ros. W. Hirz.*); consentiunt LXX τοὺς υἱοὺς αὐτοῦ θλάσειαν ἥττονες et *vet. lat.* « filios eius disperdat impius »; sim. *Chald.* et favet textus masor. יִרְצוּ si רצה = רצץ accipitur (quod tamen vix caret incommodo). Alii demum verbo רָצָה insistentes explicant : *filii eius egenos placabunt* (demulcebunt, demerebuntur) i. e. vel ad tam vilem sortem decident, ut ipsos pauperes implorent, illorum favorem ambire cogantur (*Malv. Cod.*), vel illos tenues, quos impius pater diripuerat, placare studebunt (*Del. Zsch. P. Le Hir, Renan*); sed hoc nimis artificiosum apparet, neque lectio masor. tantae esse potest auctoritatis, ut prae illa prima versio relinquatur. In altero membro opes dilabi et elabi e manibus impiorum dicuntur; vel filii eius divitias rapinis et oppressione acquisitas restituere cogentur (cf. *Mar. Calm. W. Del. Zsch. Hitz.*). Ita אוֹן apte intelligitur de *opibus, divitiis*, in quibus *robur* quasi et *potentia* consistit, vel quae generatim *labore* et *opera* adhibita acquiruntur. LXX אֵן (vel אָוֶן) in significatione *laboris, oneris molesti* accepisse videntur; ita quoque *vet. lat.* et *Hier.*

c) Peccatis necessario pari ruinam 20, 11-16.

Talia vero ei iuremerito eveniunt, immo *necessitate* quadam ineluctabili, qua culpae per se ipsas generant poenas. Quare Sophar necessarium illud atque arctissimum effert vinculum quod inter peccata et ruinam exsistat, ita simul declarans, quomodo ab aeterno, ipsa scil. rerum natura et ordine necessario fixum sit atque constitutum, ut sua subsequatur scelera poena. Hunc vero nexum ita adumbrat, ut primo dicat, peccata ossibus inhaerere et ne in sepulchro quidem quietem concedere; v. 11 « *Ossa eius implebuntur vitiis adolescentiae eius et cum eo in pulvere dormient* »; — scelera enim intimam hominis naturam pervadunt, cum illa coalescunt quodammodo neque in sepulchro ab eo discedunt, quatenus maledictio scelerum ipsa cadavera comitatur. Fatalem igitur unionem, quam impius cum peccatis init peccatorumque sequelis, graviter delineat.

Eodem modo intelligendus est textus hebr., quem vertes : *ossa eius impleta sunt absconditis* scil. sceleribus, quae alios celare studuit (cf. *Mar. Pin. Malv. Cod. Vav.*

W. Hitz. P. Le Hir, Renan); vitia enim intelligi patet ex versu sequenti et ex locutionibus similibus Ps. 18, 13; 90, 8 (hebr.). Vocem עֲלוּם *S. Hier.* dupliciter vertit, fortasse respiciens ad LXX et *vet. lat.* « ossa eius repleta sunt *iuventute* eius ». Eodem modo aliqui recentiores aetatem iuvenilem et robur (cf. עֲלוּמִים 33, 25; Is. 54, 4. Ps. 89, 46 et עֶלֶם *adolescens*) intelligunt (cf. *Malc.* II. *Hirz. Del. Zsch.*), eum scil. morte abripi, cum adhuc ossa eius plena sint robore iuvenili, in flore aetatis. At perperam. Nam *a*) cum v. 10 dicatur, quid post impii ruinam filiis eius et opibus sit eventurum, iam non iterum aliquid de ipso impio quasi postliminio addi potest, nisi rerum ordinem turbare volueris; *b*) cum v. 10 *filiorum* mentio fiat, vix nunc aetatem vel robur *adolescentis* exspectaveris; *c*) neque sequentia satis apte adiungerentur.

Iam enim latius explicat, quomodo ossa eius impleta sint vitiis, scil. quomodo venenum hauserit haustumque (quia *dulce* erat) sub lingua absconderit, retinuerit, demum palato et visceribus intulerit, quo facto utique venenum expertus est rem perniciosissimam. Proponit, ut *Calm.* notat, allegoriam hominis bibentis virus, cuius sapor sit dulcis, sed quod viscera saevissime depascatur. Ita v. 12 « *cum enim dulce fuerit in ore eius malum, abscondet illud sub lingua sua* »; — ut eo delectetur, saporem dulcem sugat et sorbeat; pergit describere hominis voluptatem, quam in malo percipit v. 13 « *parcet illi et non derelinquit et celabit in gutture suo* »; — i. e. servat illud dulce venenum, nullo modo vult illud eiicere, sed potius retinet et condit in medio palati sui (hebr. cf. *Mar. Malc.*); *parcet* i. e. non continuo traiicit in stomachum, uti puerulus saccharum in ore servat dulcoris gustandi causa. Bene *Vav.*: « similiter enim hunc facere (ait), ac si quis gustata semel suavitate cibi, id quod inseruit in os, contineat diu ac palato subiiciat, admotumque volvat, revolvat mandendo, quo esitet iucundius maioremque voluptatis sensum percipiat ».

Hi duo versus 12.13 possunt (idque melius) ut protasis explicari, cuius apodosis v. 14 subsequatur: v. 14 « *panis eius in utero illius vertetur in fel aspidum intrinsecus* »; — i. e. cibus quem sumpsit, pravitas illa ac malitia quam fovit, demum in virus amarissimum vertitur, viscera eius depascitur; virus, *fel viperarum in medio eius* (hebr.).

Tale venenum dulce erant v. g. divitiae male partae; sed male ei cedent: venenum ex effectu deprehenditur; v. 15 « *divitias quas devoravit, evomet, et de ventre illius extrahet eas Deus* »; — maxima cum aviditate cibos ingurgitavit; brevis voluptas, quam molestissima vomendi necessitas excipit, ita ut multo maiore cum dolore, quam fuerat voluptas in deglutiendo, evomat. Quo poenae timorem ac magnitudinem augeat, Deum ostendit vindicem, qui quasi novas vires veneno subministret ad hominem cruciandum; vel ut bene *S. Thom.*: « divino iudicio per quandam violentiam ei auferuntur; quas rapaciter acquisi-

vit, cum abominatione perdet » (cf. *Pin. Cord.*) vel « extorquebitur ab iniquo, quod iniuste abstulerat » *Phil.*

Rebus omnibus cum ignominia et dedecore spoliatus (*evomet*), quid aliud poterit exspectare nisi *mortem?* uti in Iobi fatis cernitur, quae a Sophar acerbe tanguntur. Denuo causam praemittit, effectum subiungit ; v. 16 ex hebr. *venenum aspidum sugit et occidit eum lingua viperae* ; serpentes enim mordent exserta lingua, morsu venenum sanguini infundunt, unde ad speciem *lingua* vulnus letale infligit [1]. Ex hebr. ראש explicatur versio lat. « *caput aspidum suget et occidet eum lingua viperae* » ; — explicant : pessimum ac exitiale venenum, quod habet aspis in capite (cf. *Tir.*) ; sed ראש certe h. l. est *fel* (venenum), uti vox in vers. *vulg.* explicatur Deut. 29, 18 ; 32, 32. 33. Ps. 68, 22. Ier. 8, 14 ; 9, 15 ; 23, 15. Lament. 3, 5. 19 ; vel *amaritudo* in *vulg.* Os. 10, 4. Am. 6, 13.

Simile quid certe deprehenditur Eccli. 25, 22, ubi pro versione : *non est caput nequius super caput colubri* explicandum erit : non est venenum nequius veneno colubri *et non est ira super iram mulieris.* Est autem ראש : « herba venenosa, velut cicuta aut centaurium, interdum de veneno in universum, origine incognita » (*Fürst C.*). In comparatione (*sugit*) hac uti etiam in antecedentibus v. 14 *virus aspidum* vel generatim pro veneno exitiali ac letifero accipiendum erit, cum ceteroquin notum sit, serpentum virus non nocere in stomachum si traiiciatur, nocere tantum, si sanguini et venis inspergatur ; vel dicendum, id in comparatione oratoria et ad vulgi captum accommodata negligi posse. Exhibet scil. impium duplici veneno mortifero ictum, qui igitur certissimum atque horrendum mortis supplicium subibit. Ita allegoriam a v. 12 inceptam absolvit.

d) Impium esse diris prosequendum 20, 17-22.

Sophar declamatione sua incensus imprecatione impium prosequitur eum, qui non statim morte crimina sua luere cogitur. Animum pandit commotum et impii afflictiones approbantem. Ita v. 17 « *Non videat rivulos fluminis, torrentes mellis et butyri* » ; — etsi non statim morte acerba puniatur, careat saltem vita eius omni suavitate, nullo modo opibus ac divitiis fruatur, licet « prosperitatem more rivi affluentem et rerum delectabilium copiam instar fluenti mellis ac butyri exuberantem obtineat » (*Cord.*).

---

1. Iam Plinius notat : « viperae dentes gingivis conduntur ; haec eadem praegnans veneno, impresso dentium repulsu virus fundit in morsus » (11, 37). Cf. Ps. 139, 4 *acuerunt linguas suas sicut serpentis, venenum aspidum sub labiis eorum.*

2. Vertit *Sym.* χολὴν ἀσπίδων.

In hebr. *ne videat* (cum voluptate scil. unde בְּ) *rivos, flumina, fluvios mellis ac butyri* (vel *fluenta fluviorum mellis*); ad metaphoram cf. Num. 13, 28 (terra) revera *fluit lacte et melle* [1]; Ex. 3, 8. 17; 13, 5; 33, 3. Lev. 20, 24. Num. 14, 8; 16, 13. 14. Deut. 6, 3; 11, 9; 26, 9; 27, 3; 31, 20; Ios. 5, 6. Ier. 11, 5; 32, 22. Ez. 20, 6. 15; sim. Ioel 3, 18 (et similes poetarum locutiones cf. apud *Cord.*). — Iam pergit Sophar (forma orationis mutata) describendo et *praedicendo*, impium non modo nullis bonis esse fruiturum, sed omnia cum dolore amissurum; v. 18 ex hebr. *reddens laborem* (id quod labore suo acquisivit, etiam perdet) *et non devorabit* (non fruetur), *secundum opes permutationis eius* (opes, quas emendo, permutando, acquirendo nactus est, cf. *Malv.* II. *Del. Zsch. Hitz. Le Hir*) *et non exsultabit* i. e. non licebit ei potiri et frui opibus ita, sicut illarum copia id promittere videtur. Hoc tamen membrum ab aliis aliter vertitur: *secundum multitudinem acquisitionis* (possessionis) *eius non delectabitur* i. e. quantacumque sit possessio eius, non illa gaudere licebit : sensus fere idem, sed verba hebr. liberius accipiuntur; alii : restituens *sicut opes permutationis eius* i. e. quas restituere, compensare debeat (cf. *Mar. Cod. Malv.*); sed durum videtur, verbum suppleri ex priore membro, cum aliud incisum iam sit interiectum; insuper molesta crearetur tautologia. Alii : *sicut* (opes) *acquisitio eius, ita et merces eius* (*Hirz. W.*); sensus quidem bonus, at liberius verba redduntur, neque enim חַיִל vel חֵילוֹ scribitur.

Interpretatio *vulg.* ex textu hebr. facile declaratur : primum *restitutio* laboris de expiatione intellecta est; lectum לֹא יִבְלַע (cf. *Vav.*) forma passiva; demum « non exsultabit » secundum sensum de patienti tolerantia est expressum. Verbum עָלַס (hithp.) Prov. 7, 18 *frui* reddidit *Hier.*

Sed v. 18 « *luet quae fecit omnia, nec tamen consumetur; iuxta multitudinem adinventionum suarum sic et sustinebit* »; — i. e. immo ad talis impii (v. 17) punitionem pertinet, ut poenas luat acerbas, nec tamen iis exstinguatur, quo diutius det impietatis poenas : pro tali enim mors cito adveniens minime foret dignus quem meruit cruciatus; ex numero scelerum consequens est, ut diu, per longum tempus afflictiones perferat [2].

Impius iure tali sorti subiicitur; v. 19 « *quoniam confringens nudavit pauperem; domum rapuit et non aedificavit eam* » : — i. e. oppressit, confregit (hebr.) pauperes, eos dereliquit, omni ope destituit

---

1. Enucleatius et subtili ingenio, uti solet, at forte nimis artificiose *S. Thom.* metaphoram et verba premit : « mel officio apum ex floribus colligitur, butyrum vero ministerio hominum ex lacte domesticorum sumitur; unde per *mel* potest significari quodcumque bonum delectabile proveniens absque industria hominum; per *butyrum* autem designatur aliquod bonum delectans ex studio humano proveniens. Torrens autem subito et ex insperato superveniens in flumine abundantiam designat propter aquarum multitudinem; in rivulis autem distributio bonorum designatur... Datur ergo intelligi, quod bonis secundum Sophar sententiam suavitas bonorum proveniat abundanter et ex insperato, tum ex providentia divina sine humana industria, tum ex humano ministerio, secundum tamen quandam ordinatam distributionem ».

2. Sensus *de se* est aptus et ad Iobi sortem ex mente Sophar factus. At verba hebr. in primo et ultimo membro non sine violentia ad talem sensum trahuntur; quae subsequuntur, explicationem priorem ex hebr. omnino confirmant, quia de bonorum rapina et possidendi cupiditate sermo texitur.

(hebr.), vel omnibus spoliavit ; domum *alienam* diripuit, alienas fortunas invasit (*Cord. Mar.*), domum scil. in quam nihil neque operae neque impensae contulerat (*Vav. Pin.*). Qui sensus optimus est.

Alii : domus rapuit nec unquam iniuriam reparavit (*S. Thom.;* apud *Pin. W.*). Alii : domus rapuit, sed illas sibi retinere, exornare non poterit ; illas suo scelere sibi destruxit (*Cod. Hirz. Del.*) ; habet enim hebr. *rapuit domum et non aedificabit eam.* Sed ratio, quae sequitur v. 20, priorem interpretationem, qua וּבָנָהוּ ut praeteritum accipitur, commendat. Effertur scil. cur aliena rapuerit.

Rapuit, quia insatiabili cupiditate urgebatur. Ita v. 20 ex hebr. *quia non cognovit requiem in ventre suo; in desiderio suo non effugiet* i. e. in ventre, sede inferiorum hominum commotionum cf. 15, 2 hebr.) nullam experitur tranquillitatem, continuo avaritia et cupiditate impellitur, uritur (cf. *Malv. Cord.*), nunquam enim cupiditas expletur (*Men.*). Membrum alterum bifariam explicant ; aut : quidquid desiderabat, sibi arripuit, effugere, evadere quidquam non permisit (*Schultensius, Poli synops. Hitz.*) aut, quod omnes fere sequuntur : cum eo quod sibi est desideratissimum non evadet ; ita ut poena cupiditatis et avaritiae subiungatur : nihil prorsus ruinae eripiet, ne desideratissimum quidem servabit, retinebit (cf. *Mar. Malv. Pin. Ros. W. Hirz. Del. Zsch. P.*). Apta explicatio et versus subsequens eadem ratione conformatus est.

Facile adnectitur v. 20 « *nec est satiatus venter eius; et cum habuerit, quae concupierat, possidere non poterit* » ; — voracitatem et cupiditatem denuo effert, poena conveniente subiuncta. Perspicuum est, Sophar alludere ad largas Iobi possessiones, quas veluti avaritia immensa corrasas notat. Ita v. 21 « *non remansit de cibo eius; et propterea nihil permanebit de bonis eius* » ; — clarius ex hebr. *nihil fuit residuum voracitati eius* i. e. nihil poterat effugere eius voracitatem, omnia avide sibi ingurgitavit (*Men.*) ; iam ingluvies eius punitur : *ideo non durabit eius bonum* (hebr.), status prosper. Quomodo haec felicitas permanere non possit, explicat v. 22 « *cum satiatus fuerit, arctabitur, aestuabit, et omnis dolor irruet super eum* » ; — i. e. etsi illi bonis impleri concedatur, tamen media in abundantia angustiis, terroribus et omni dolorum genere cruciabitur ; cf. 15, 20 et seq.

Neque ab hoc sensu abest hebr. *cum implebitur sufficientia eius, angustia erit ei, omnis manus laborantis veniet in eum* (*Mar. Malv. Pin. Cod. W. Hirz. Del. Hitz. P.*) i. e. cum in abundantia se versari putet, iam ipsi angustiae adstant ; e fastigio ruit felicitatis ; dein unum afflictionis genus affert : pauperes, miseros, quos oppressit, eum invadent, iniuriam ulciscentur : illorum manus contra eum vertuntur. Alii עָמֵל explicant = עָבֵל *miseria, labor* i. e. omnis vis laboris et miseriae irruet in ipsum ; ita iam LXX accepisse videntur et *vet. lat.* « omnis necessitas super eum veniet » et *S. Hier.* (cf. *Pin. Ros. Le Hir*). At verbum יָד huic non favet, et

revera vilium hominum manus fuisse in Iobum versas, ipse conqueritur (30, 1 et seq.); unde Sophar eius sortem tangit, quare prior explicatio praeferenda videtur.

e) Omnia in eius interitum conspirare 20, 23-29.

Satiari non poterat impius cupiditate sua illectus. Iam cum sarcasmo ei ingerit Sophar, eum demum *satiandum* fore ira Dei et furore. Ita v. 23 ex hebr. *sit, ad implendum ventrem eius mittat in eum furorem irae suae et pluat super ipsum cibum suum*, quo demum satietur, i. e. pluat cibum furoris, poenas (cf. *Mar. Ros. W. Hirz. Zsch.*) sicut Ps. 10, 7 : pluet super peccatores laqueos : Ez. 38, 22 : ignem et sulphur pluam super eum etc., quacum interpretatione satis congruit, quod in vulg. habetur v. 23 « *Utinam impleatur venter eius, ut emittat in eum iram furoris sui et pluat super illum bellum suum* » ; — nam si Deus *bellum* alicui inferre dicitur, poenas certe infligit secundum illud : ignis et sulphur et spiritus procellarum pars calicis eorum (Ps. 10,7). Cum irrisione igitur Sophar exoptat, ut demum impii ingluvies expleatur, ut doloribus satietur, quia opibus non potuit. Haec quoque est acerba allusio ad Iobi fatum, qui se a Deo impleri amaritudinibus lamentatus est (9, 18 , se saturatum afflictione et miseria (10, 15) profitetur, Dei iram in se multiplicari, Dei poenas in se militare, Dei furorem in se collectum esse asseruit (10, 17 ; 16, 10. 14. 15 ; cf. 6, 4 ; 7,14 ; 19, 10).

Verisimilius est, *Hier.* legisse בְּלֶחוּמוֹ pro מִלְחַמְתּוֹ [1], uti *Syrus* quoque habet : et pluet super eum in pugna sua. Textum hebr. etiam vertunt : *et pluet super ipsum in carnem suam* (cf. *Mar. Malv. Ros. Del.*) *in viscera sua* (*Hitz.*) et revera vox לְחוּם Soph. 1, 17 *corpus, caro, viscera* (?) explicanda est. Sensus *super eum in carnem eius* i. e. ita ut pluvia Dei poenarum eum penitus pervadat et interiora impleat, emphaticus quidem est, attamen nonnihil turgidus, potius desideramus edoceri, *quid* Dominus pluat in eum. Quare *Hier.* versio sensum bene proposuit. Bene *S. Thom.* : « in hoc quod dicit *pluat* designat malorum abundantiam ; quod *bellum* dicit, ostendit, quod mala non inferuntur ei ad correctionem, sed per modum exterminii, quo hostes perduntur ».

Impium vero Deus ita persequitur, ut si forte unum periculum effugerit, in aliud certissime incurrat ; ita v. 24 « *fugiet arma ferrea, et irruet in arcum aereum* » ; — i. e. si effugerit arma ferrea, traiiciet eum arcus aereus (hebr. cf. *Mar.*). Locutio proverbialis esse videtur

1. Vel fortasse eandem lectionem retulit ad vocem לָחֶם *pugna* ; cf. Iud. 5, 8. Cum *Hier.* interpretatione fere consentit Glossa hebr. quam affert *Fürst* (C. p. 600) ad Iobi locum : « in aestu certaminis בזעף כולחמתו ». *B.* vocem communiorem substituit : « terorres » cf. 18, 11 ; 24, 17 ; 27, 20. Sed mirum foret, si pro voce usitata alia difficilis et obscura fuisset textui inserta.

(cf. 6, 16). Idem est, quod legitur Is. 24, 18 : *qui fugerit a voce formidinis, cadet in foveam; et qui se explicaverit de fovea, tenebitur laqueo;* cf. Ier. 48, 44; Am. 5, 19.

Iam describit, quomodo impius Dei sagitta transfixus morti succumbat; ita exsequitur alterum v. 24 membrum; v. 25 « *eductus et egrediens de vagina sua et fulgurans in amaritudine sua; vadent et venient super eum horribiles* »; — propter *vaginam*, credo, multi hic *gladium*[1] supplent (*S. Greg. Mar. Malv.* III. *Pin. Cord. Men. Tir. Calm. Le Hir*), at immerito, cum neque necessarium sit neque ad v. 24 satis concinne. Bene *S. Thom.* nexum cum antecedenti perspexit : « exponit autem consequenter huius arcus processum : *eductus, egrediens de vagina sua*, supple est arcus ille.. et eius effectum ostendit, subdens *et fulgurans in amaritudine sua*, sicut enim fulgur de supernis et subito et cum violentia et claritate venit, ita illa ultio infertur peccatori a Deo ex improviso cum tanta violentia, quod resisti non poterit, et cum tanta claritate iustitiae, quod excusationi locus non erit, et ex hoc peccator replebitur amaritudine ». Arcus fulgurat *in amaritudine*, quia fulgor eius fatalis evadit impio, quia vulnus letale, mortem amaram infert; terrores mortis irruentes turmatim et cum impetu bene verborum accumulatione depicti sunt. Ceterum iam LXX et *vet. lat* : « vulneret eum sagitta aerea, pertranseat *corpus* eius iaculum. » Eo magis de arcu et sagitta interpretandum erit, quia Iobus se sagittis Domini transfixum confessus est (6, 4; 16, 13; cf. 34, 6), quod Sophar respexisse *Caietanus* iam merito asserit, quem propterea *Pineda* frustra carpit.

Hebr. verte : *eduxit* (Deus scil. sagittam, arcum tetendit, sagittam emisit) *et egreditur de corpore* (sagitta, transfossus est impius, ita ut sagitta exeat e corpore; penitus transfixus est) *et fulgur de felle eius* (fulgur tropice dicitur hic de sagitta coruscante, de ferro polito, uti alibi de gladio Deut. 32, 41; fellis igitur vasculum sagitta est transfossum; inde sagittae fulgor eminet), *abit* (impius perit), *super eum terrores* (mortis horrores irruunt super eum). Ita hebr. intelligunt *Cod. Malv.* V. W. *Del. Zsch. Hirz. Hitz. P. Renan.* Et merito de *sagitta* explicant, de qua proxime sermo erat. Verba quoque ad id apta sunt : שָׁלַף quidem saepe de *gladio* e vagina educendo et stringendo dicitur, attamen etiam generali significatione invenitur v. g. Ruth 4, 7. 8; Ps. 129, 6; unde hic ex contextu apte ad sagittam transfertur. Acies *gladii* nudati *fulgur* dicitur (cf. Ez. 21, 10. 15) vel *hastae* (Nah. 3, 3. Hab. 3, 11) vel *iaculum, sagitta* (Zach. 9, 14 *ut fulgur iaculum eius*, quod prorsus est ad locum nostrum : כְּבָרָק חִצּוֹ. Dubium esse potest, ad quid יְהֵלֵךְ referendum sit: potest enim coniungi cum antecedenti : *fulgur de felle eius prodibit* (cf. apud *Malv. Cord. W. Zsch.*), vel potest ad sequentia ad « terrores » trahi (*vulg. Mar. Malv. Cod. Pin. Del.*), cum numerus singularis ex usu hebr. non obstet; nos (cum *Ros.*

1. Immo in ipsum textum inserebatur; cf. *Phil.*; habetur quoque in bibliis Sixti V et Complut. Sed bene notat *Lucas Brug.* : non addas *gladius*, quod quidam.

Hirz. Hitz.) interpretationem praeferimus magis emphaticam, quae brevi et inciso loquendi generi, quod hoc in loco observatum velis, magis congruit; insuper הָלַךְ eodem sensu praegnanti habetur 14, 20; 16, 23.

Interpretatio *S. Hier.* in eo differt, quod גְּוִיָּה *vaginam* reddidit uti *Chald.* מְתִיקָה ex theca eius (vel potius a גֵּו derivavit, quam vocem alibi tamen *dorsum, corpus*, cf. Prov. 10, 13; 19, 29. Is. 50, 6; 51, 23 explicuit); videtur *vaginam* de involucro *arcus* v. 24 intellexisse, uti revera Latini quoque *telum vagina nudare* dicunt.

Porro ultionem divinitus immissam prosequitur v. 26 « *omnes tenebrae absconditae sunt in occultis eius, devorabit eum ignis, qui non succenditur, affligetur relictus in tabernaculo suo* »; — i. e. omnia malorum genera servantur illi, ut propter eius occulta scelera eum affligant; ignis, non terreuus, non ab hominibus succensus, sed coelitus illapsus (*Barh.*) bona eius domosque devorabit, ipsumque amburet, ulceribus et febrium ardore cruciabit (cf. 1, 16); demum ab omnibus derelictus afflictiones solas habet comites, a quibus torquetur. Iterum oratio ad Iobi casum conformatur. *Occulta eius* exponunt vitia (cf. 20, 11; *Mar. Malv.*); id quod magis ad rem, quam quod alii malunt: in ipsis etiam latibulis, quae exquirat, ipsum manere et quasi condi pro ipso funesta omnia et exitialia (*Pin. Cod. Sa, Men. Vat. Calm.*). Tenebrae metaphora usitata recte dicuntur ad malorum cumulum significandum; recte etiam dicuntur *condi, latere* in peccatis calamitates, cum peccatis procreentur et cum iis nexu necessario sint coniunctae (— id quod Sophar praeprimis urget, cf. 20, 11 et seq.), sed fere putidum est dicere, eas abscondi in latebris pro impio, cum latebrae omnes caliginosae sint, vel quomodo novae calamitates impium fugitivum in latibulis exerceant, nullo modo indicetur.

Verum recentiores communiter *occulta eius* de thesauris interpretantur, quibus devastandis et diripiendis omne malorum genus servatum sit (cf. *W. Del. Hirz. P. Le Hir, Renan*), vel pro quibus ei repositum sit omne genus anxietatum et miseriarum (*Ros.*), vel in quibus tamquam iniuste acquisitis, sicut in peccatis, omne infortunii genus lateat (*Hitz.*), quod ultimum proxime ad verba *vulg.* accedit. Ultimum membrum propter יֵרַע varie vertunt: vel *depascet ignis residuum in tentorio eius* a רָעָה (*W. P. Hirz. Del. Le Hir, Renan*); sed אֵשׁ ignis gen. fem. est, ut modo in תְּאָכְלֵהוּ cernitur; vel *affligetur residuus* i. e. non tantum impius, verum etiam filii eius calamitate percellentur (niphal verbi רָעַע quod tamen alias וֵרוֹעַ effertur) vel melius: *male habebit* (qal רעע; *Hitz.*).

« Non solum tenebrae et ignis, sed universae creaturae se armabunt ad ultionem impii » (*Pin.*); omnes scelera eius prodent eumque traducent; omnes scil. in eius condemnationem conspirant; unde cum vigore oratorio subdit v. 27 « *revelabunt coeli iniquitatem eius*

et terra consurget adversus eum »; — coeli scil. poenis coelitus immissis (igne coelesti greges eius absumente, *Ol.*), terra vero instructis et armatis copiis (*Ol.*); vel generatim : omnis creatura armabitur contra impium ; illum punient tempestatibus, sterilitate (cf. *Cord. Men. Mar. Tir.*), cf. Sap. 5, 18. 21. Coelum et terram testes innocentiae Iobus appellaverat 16, 18. 19 ; unde Sophar utraque sceleribus eius testimonium dicere irrefragabile, non sine acerbitate et pondere affirmat.

Ultio, quam creaturae de impio suo iure sumunt, tanta est, ut etiam in domum eius et familiam et proprietatem serpat; omnia enim heri iniquitate quasi infecta sunt et eius exemplo vel propinquitate corrupta et maledicto obnoxia. Unde v. 28 « *apertum erit germen domus illius; detrahetur in die furoris Dei* » ; — i. e. exposita malis est eius posteritas (*Sa. Pin. Mar. Men.*) vel fruges eius praedae ac praedonibus exponuntur (*Tir.*); potius ex hebr. *migrabit fructus* (proventus) *domus eius* (cf. *Mar. Malv.*) vel *migret*, imprecantium more, i. e. evanescat omnis possessio eius; captivetur quasi et in alienam terram abducatur (גָּלָה, unde *vulg. apertum erit* facile perspicitur); congruit alterum membrum : *diffluentia* (sint) *in die irae eius* (cf. *Mar. Malv.*) i. e. pereant, dissipentur velut aquae.

Demum per modum epiphonematis omnia complexus « epilogando » (*S. Thom.*) concludit v. 29 « *haec est pars hominis impii a Deo et hereditas verborum eius a Domino* »; — haec est portio, sors, quam impius quisque a Deo feret; *hereditas verborum* a lat. interpretibus declaratur : quam sibi sermonibus, blasphemiis, querelis acquisivit (cf. *S. Greg. Rup. S. Thom. Cord. Cod. Vav. Mar. Malv. Tir.*) vel *operibus* (*Men.*), sed aptius ex hebr. *hereditas ei divinitus assignata* (*Calm. Ros. W. Hirz. Zsch. P. Hitz. Le Hir*) i. e. iudiciali sententia Dei (cf. אֵמֶר) ei attributa ; « partem hanc iustam ac debitam ac legitimam tulit » (*Vav.*). Ad mentem Sophar optime congruit, tali affirmatione orationem concludere.

2. RESPONSIO A IOBO DATA. CAP. 21.

Arg. — Iobus attentione provocata et rei gravitate indicata (21, 1-6) iam disertis verbis et explicite ex rerum usu et consuetudine probat, impios saepe omni frui prosperitate : ipsos scil. et progeniem, domus, possessiones, ipsaque armenta eorum optime valere; ducere illos cum suis vitam iucundissimam et genio indulgere, immo et suavem nancisci mortem, et haec omnia illis contingere, quamvis Deum blasphement (21, 7-15). Dein contra amicos ulterius osten-

dit. *raro* illam evenire fortunarum eversionem ac ruinam, quam illi semper impio vaticinentur; atque immerito excipi, filios puniri pro patribus; quare amicorum arrogantiam reprehendit et illorum doctrinam ex diametro experientia teste convellit (21, 16-26). Ne illi vero Iobi ipsius ruinam obiiciant pro re contraria, eos demum remittit ad hominum testimonium, quod undique afferatur, impium scil. in calamitate communi plerumque servari incolumem; immo ne reprehendi quidem ab ullo; insuper honorari etiam post mortem, pompam nancisci funebrem, monumenta et mausolea, et ipsam terram ei esse levem. Unde constare, amicorum consolationem esse futilem, vanam, mendacem (21, 27-34).

Disputationis *progressus* in eo cernitur, quod Iobus amicorum assertioni, quam obiter iam 9, 24; 12, 6 impugnaverat, nunc demum omni vi atque vigore exemplis late et ubertim adductis obviam venit et illi normae aeternae, quam iactaverant (cf. 18, 4; 20, 4) inconcussam, usum opponit et experientiam prorsus contrariam, qua amicorum doctrina funditus evertitur. Ita Iobus invicte ostendit, falso inniti fundamento amicorum sententiam eamque vitae humanae consuetudine falsitatis argui, proinde minime sufficere ad quaestionem propositam ullo modo enodandam. Porro haec oratio multum confert ad Iobi mores describendos. Miserationem instanter precatus erat (19, 23); nihil nisi acerbas accusationes, tectas quidem, at valde pungentes recriminationes ei Sophar rependit (cap. 20) : nihilominus Iobus mente excelsus et Dei sui testis conscientia fultus animo respondet *pacato*, omni ira abiecta, solius veritatis amans, solius veritatis propugnator egregius, qui et doloribus et quod longe maius est ipsis etiam contumeliis et opprobriis superior evasit. Quare hac oratione *heros* patientiae facile dignoscitur.

a) Attente audiant 21, 1-6.

Cum eadem amicorum accusatio redierit, Iobus iam alia ratione suam propugnat innocentiam, probans scil. illorum doctrinam *de retributione terrena* esse falsam, experientiae contrariam. Disputationis scopum ipse v. 34 aperit. Praefationis loco rogat, ut ei aures praebeant attentas, ut rem quam dicturus sit expendant serio; deinde spernant, dummodo possint! Non dura increpatione, uti fere hucusque, sed animo sedato et tranquillo orditur, in qua animi pace spes illa 19, 25 concepta relucet; v. 2 « *Audite quaeso sermones meos et agite poenitentiam* »! — in textu lat. eos cohortatur, ut resipiscant, ut falsam abiiciant doctrinam et criminationes in ipsum iactatas

retractent. Verbum תנחומות rite 15, 11 *consolatione* expressit interpres; quare hoc loco potius vertendum erat *et sint hae consolationes vestrae* i. e. si patienter me audietis, ponam hoc in consolationis loco; quia non alia ratione me consolamini, saltem hoc praestate (cf. *Malv. Mar. Vav. Gord.*). Congruunt LXX παράκλησις; cum verbum נחם (niph.) significet dolere, poenitere, interpretationis latinae [1] origo facile dignoscitur. Ad consolandum venerunt; apta ergo et modesta petitio!

Quia opus erit illorum assertioni toties repetitae et altissime animis infixae obviam ire, quod auditoribus molestum est, denuo urget instatque v. 3 « *sustinete me, ut ego loquar, et post mea, si videbitur, verba ridete* »! — scil, se propositurum gravia et quae solvere nequeant; unde ironice addit : post verba *illudas* (hebr.), per me licet (sermone ad Sophar directo, qui ultimus eum oppugnaverat), « quasi speret, si modo mediocrem adhibeant attentionem et animos afferant minus quam hactenus offensos, nihil habituros amplius quod obiectent » (*Sanct. Cord.*). Porro attentionem provocat propter rei gravitatem; est scil. talis, quae non ad humana instituta referatur, sed ad divinum ordinem, ad divinam rerum humanarum gubernationem quam maxime pertineat et quae simul hominem gravissimae tentationi et impatientiae exponat; ita v. 4 « *numquid contra hominem disputatio mea est, ut merito non debeam contristari* »? — in hebr. *numquid ego ad hominem eloquium meum* »; — i. e. num cum homine mihi sermo, disceptatio? alterum quoque membrum interrogatione constat duplici particula [2] expressa : *et cur non abbreviaretur spiritus meus?* i. e. cur non impatientia, moerore, indignatione [3] afficiar? uti optime LXX et *vet. lat.* : « aut quare non irascar »?

Profitetur scil. Iobus, felicem impiorum sortem, de qua certissime constet, rem esse miram et quae homines vexet et ad impatientiam provocet; idem asserit, quod Psalmista sibi accidisse non diffitetur: *mei autem paene moti sunt pedes, paene effusi sunt gressus mei, quia zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns* (Ps. 72, 1; cf. Ps. 36, 1; 48, 6-13). Est scil. hoc divinae providentiae aenigma, quod homi-

---

1. Vel an *S. Hier.* ad *Sym.* versionem μεταβούλευμα ὑμῶν respexit?

2. אם particula est interrogationis *generatim* et quae superiori ה ex aequo subsequatur; accedit altera determinata *quare*, cf. Ps. 94, 9*b*, nisi malueris *duo* quasi quaeri : num non irascar? et nonne merito, nonne ex aliqua causa irascar?

3. Est enim *abbreviari spiritum* ex locutione hebr. contrarium eius, quod האריך נפש *longum facere animum* (cf. μακρόθυμος) dicitur : utramque locutionem *Hier.* optime vertit Prov. 14, 29 : « *qui patiens est*, multa gubernatur prudentia ; *qui autem impatiens est*, exaltat stultitiam suam », et hanc quoque supra 6, 11 *ut patienter agam.*

nes quandoque exagitat christianos, pios, nedum turbaverit veteres illos! Non potestis, Iobus fere ait, impiorum prosperitatem saepe continuam negare, quae res est stupore et admiratione plena; unde v. 5 « *attendite me, et obstupescite et superponite digitum ori vestro* »! — gestus est illorum, qui prae stupore sibi silentium indicunt, cf. 29, 9; 39, 34; Prov. 30, 32; Sap. 8, 12; Eccli. 5, 12; quae locutio apud alios quoque obtinet (cf. « digito compesce labellum » apud Iuvenalem et aliorum exempla apud *Cord.*).

Deinde se quoque de hoc providentiae mysterio cogitantem timore et horrore quodam sacro concuti asserit, unde iterum rei gravitatem et difficultatem commendat: v. 6 « *et ego quando recordatus fuero, pertimesco, et concutit carnem meam tremor* »; — sunt etenim Dei consilia *abyssus multa* (Ps. 35, 7), et quod divus Paulus de vocatione ad fidem *efficaci* et de praedestinationis mysterio profatur, suo modo de fortunarum quoque et calamitatum hisce in terris distributione usurpari potest: *quam incomprehensibilia sunt iudicia eius et investigabiles viae eius* (Rom. 11, 33)! Apte *Cod.* adnotat: « omni tempore cogitatio illa viros pios exercitos habuit, quod plerumque concedat Deus improbis res secundiores. Ea est sanctorum vetus querela; in illo versatur argumento Ps. 73; hac Iobus non mediocri sollicitudine conflictatus est » (sim. *Vac. W. Zsch.*). Alii Iobum suae calamitatis sola recordatione concuti (cf. *Ol. Malv.*) volunt; alii timere, ne temere quid loquatur, ne in aliquo a veritate deficiat (*S. Thom. Pin. Cord.*). Utrumque minus ad rem; insuper prius valde superfluum, alterum parum ad verba adeo gravia aptum et, quia Iobus de ea re iam verba fecit et hucusque nullibi talem loquendi timorem prae se tulerat, etiam ab eius mente satis alienum esse videtur.

b) Impios saepe omni ex parte agere prospere 21, 7-15.

Bene *S. Thom.*: « praemissis sufficientibus ad attentionem excitandam procedit ad quaestionem. Et quia Sophar dixerat, quod prosperitates malorum, si quae sint, brevi tempore finiuntur et bona in malum eius vertuntur, ideo improbat dicens »: v. 7 « *Quare ergo impii vivunt, sublevati sunt, confortatique divitiis* »? — i. e. vivunt prospere et diu; « quasi dicat: si impius velut avis volans et velut visio nocturna cito transit, unde est, quod multi impii habent vitae diuturnitatem? Item, si hypocritae gaudium est ad instar puncti et eius ascensus cito deiicietur, *quare sublevati sunt*, i. e. in honoribus promoti? Item si divitias quas devoravit, evomit, *quare sublevati sunt confortatique divitiis*, i. e. quare eorum divitiae sunt eis confirmatae »

(*S. Thom.*)? In hebr. *cur impii vivunt, senescunt, et etiam valent opibus?* Similiter LXX et *vet. lat.*: « quare impii vivunt et senuerunt in divitiis [1] »?

Etiam filii eorum prospere agunt; « contra hoc quod dixerat : *filii eius atterentur egestate* (20, 10), dicit » (*S. Thom.*): v. 8 « *semen eorum permanet coram eis, propinquorum turba et nepotum in conspectu eorum* » ; — in hebr. *semen eorum firmum* (stabile est) *coram iis cum iis* (uti ipsi) [2] *et progenies eorum coram oculis eorum :* familia prospere crescit et stabili laetatur prosperitate longaque vita; quo adspectu impiis novae laetitiae causa praebetur. Longa vita tamquam virtutis merces promittebatur (Ex. 20, 12), itemque proles numerosa (cf. Ps. 127, 3-5); ergo eo magis mirum, si eadem impiis obtingunt. Id argumento a Baldad prolato (18, 19) opponit.

Praeterea a rebus adversis immunes sunt : v. 9 « *domus eorum securae sunt et pacatae et non est virga Dei super illos* » ; — « in originali est elegans hebraismus *domus eorum pax a timore* i. e. summa quaedam tranquillitas atque felicitas omnis timoris expers » (*Pin.*); tota familia et omnia quae ad illam pertinent pacis prosperitatem prae se ferunt; abest ab iis *virga* i. e. castigatio vel ultio divina (cf. Ps. 88, 33. Prov. 10, 13) vel non habent, cur timeant Deum iudicem. Ita contra Eliphaz 15, 21. Videntur enim quasi exempti a communi hominum sorte ; uti illud *in labore hominum non sunt et cum hominibus non flagellantur* (Ps. 72, 5; cf. *Cord.*).

Haec laeta prosperitas in eorum quoque armentorum fecunditate cernitur et partu felici. Et in hebr. quidem distincte : *taurus eorum init et non renuit* (i. e. non fastidit coitum, cf. *Cod. Malv.* VI. *Hitz.* vel, quod alii volunt *non abiicit* [3], frustra iacit *semen*, cf. *Mar. Hirz. W. Del. Zsch.*) ; *parit iuvenca eius nec abortat.* Neque tamen desunt, qui utrumque membrum de bubulca accipiunt (cf. *Ros. Le Hir*) et id quoque exprimere videtur *vulg.* v. 10 « *bos eorum concepit et non abortivit ; vacca peperit et non est privata foetu suo* » ; — id quod in priore membro cum *Pin.* ad taurum [4] trahere, sane violentum est ; est vero notum,

---

1. Alii חַיִל *vobur, vires* explicant, quibus impii aetate progrediente nihilominus polleant (cf. *Malv.* VIII, *Hirz. Del. Zsch.*). Sed ex 20, 18; 15, 29 aliisque locis interpretatio graeca et lat. iure praefertur, praecipue quia hoc loco vita corporis robore ac sanitate valens et senectus debilitate minime molesta iam *per se* intelligitur solo nomine *vivunt*, quod in oppositione ad *misere vivere* (quod Sophar voluit) a Iobo adhibetur.

2. Vel potius illos undique numerosa prole circumdari describitur, quasi : sunt coram eis, iuxta eos, cum eis (cf. *Malv.* II. *Hirz. W.*).

3. גָּעַל Lev. 26, 11. 15. 30. 43. 44 abominari, despicere ; idem Ier. 14, 19; Ez. 16, 45. Fortasse hiphil pro qal ponitur. *Aq.* habet οὐκ ἐξέβαλε.

4. *Chald.* עִבַּר reddit מַיְבְטִין (gravidans); unde priorem versus partem de tauro exposuit.

bovem esse generis epic. apud grammaticos ; similiter in graeco ἡ βοῦς et in *vet. lat.* : « vaccae eorum concipientes non abortant et foeta eorum salvavit et peperit »[1].

Cum vero tanta eis arrideat rerum omnium prosperitas, non mirum est illos vitam ducere genialem. Hanc, utpote aliud argumentum, prius in laeta simul ac numerosa sobole Iobus delineat ; v. 11 « *egrediuntur quasi greges parvuli eorum et infantes eorum exsultant lusibus* » ; — hebr. *emittunt sicut pecora parvulos suos* i. e. proles adest numerosa ; tamquam oves proficiunt, lusibus delectantur. Non abs re *Cord.* : « sicut tenera, inquit, pecudum soboles saltu ac lusu in prato lasciviens dominorum oculos oblectat, sic filiorum numerosa atque festiva soboles in plateis lusitat et cum parentum mirifica voluptate lascivit. Verba haec paraphrasin continent vitae liberioris, Dei timore minime coercitae et intemperantiae assuetae parumque pudicae educationis, qua impii liberis suis indulgent, quos lascivire sinunt ». Vitam non minus festivam adulti agunt : v. 12 « *tenent tympanum et citharam et gaudent ad sonitum organi* » ; — hebr. *attollunt* scil. vocem (cf. Is. 24, 14 ; 42, 11) i. e. cantant, iubilant *ad tympanum et citharam et laetantur ad sonum fistulae* i. e. festiva habent convivia cum musica (cf. Is. 5, 12) et saltationibus ; laetos ducunt dies.

Ad prosperitatis cumulum accedit, quod post vitam suavem ac diuturnam sine ulla molestia naturae debitum solvunt, subito sine morbo diuturno moriuntur v. 13 « *ducunt in bonis dies suos et in puncto ad inferna descendunt* » ; — hebr. *consumunt*, conterunt[2] *in bono dies suos*, placidam vitam et suavem senectutem vivunt, et ipsius mortis horrorem non percipiunt. Bene *Mar.* : « id auget eorum felicitatem, quod continuo peracta in bonis vita moriuntur. Iulius Caesar optimum genus mortis repentinum dicebat ; mors exspectatione, metu, morbis, quam ipsa est gravior » ; sim. in catena Nicetae (cf. *Pin.*), *S. Thom. Cord. Est. Cod. Vav. Sa, Malv. Men. Tir.* Quod quibusdam placuit, inferri sermonem de subitaneo ad *inferni tormenta* descensu (cf. *exp. in. Rup. Br. Le Hir)*, certe non est ad Iobi auctorisve mentem, sed *scheol* mortuorum habitaculum (neutiquam *sepulchrum*, uti alii volunt v. g. *Cod.) generatim* indicat.

Et — quod rei indignitatis culmen est — tanta potiuntur felicitate, quamvis Deo aperte nuntium remiserint, in Dei oblivione, contemptu, blasphemiis vivant. Id non sine indignatione Iobus effert, quare ube-

---

1. Hebr. תַּפְלִיטָה *facilem* partum significat.

2. i. e. usu deterunt ; neque opus est sequi alteram lectionem יכלו quam multi codd. habent ; cf. *de Rossi*.

riore sermone singula pertractat et recenset : v. 14 « *qui dixerunt Deo : recede a nobis et scientiam viarum tuarum nolumus !* v. 15 *quis est Omnipotens, ut serviamus ei, et quid nobis prodest, si oraverimus illum* »? — viae Domini dicuntur vel rationes et gubernandi modi, quibus ipse utitur, vel quibus nos incedere vel uti iubet i. e. mandata eius et leges; illi omnem Dei reverentiam plane abiiciunt, omnem Dei cognitionem funditus exstirpare nituntur; addunt v. 15 ludibria, quibus Dei maiestatem, potentiam, benignitatem proculcant. In hebr. maiori cum contemptu *quid Omnipotens....*

c) Raro impios statim puniri 21, 16-26.

Iobus cum ironia exclamat in textu hebr. v. 16 : *ecce, non (est) in manu eorum bonum eorum* i. e. videte, quantopere bonis *non* utantur! quid ergo oggeritis mihi ruinam malorum? Textus vero latinus intelligi potest de veris bonis, quibus cum omni prosperitate externa tamen carent (cf. *S. Thom. Pin. Vav. Cod. Cord.*), quare illorum consortium repudiat v. 16 « *Verumtamen quia non sunt in manu eorum bona sua, consilium impiorum longe sit a me* »; — i. e. haec non dico, quod aut existimem illos penes se habere auctoritatem in res suas aut quod animus meus in eiusmodi studium rapiatur (*Malv.*). Simul suum ab omni impietate alienum animum Iobus declarat.

Ex textu hebr. varius apud varios statuitur nexus : *ecce non (est) in eorum manu bonum eorum*. Alii enim legunt per interrogationem (potest enim ה omitti, cf. 2, 10 ; 14, 16 ?) i. e. nonne prosperitate pro lubitu utuntur ? ita, ut Iobus quasi colligat quae dixerat, et se sua contraria sorte non esse impium probet (cf. *Ros. Hirz. W.*). Alii legunt assertive, sed sensum varie efferunt : non in eorum manu, sed ex alieno arbitrio, *ex Deo*, pendet eorum felicitas, et haec est rei indignitas, quia *Deus* eos reddit felices (*Del. Zsch. P.*); vel bonum eorum non est firmum ac stabile, etsi ita videatur ; vel *vera* bona non possident. Ad hanc expositionem accedere videtur *vulg.* Alii demum, ut *Hitz.*, verba accipiunt quasi ex adversariorum mente et ore obiecta, quibus arguendi rationem Iobi enervare studeant et ad quae Iobus v. 17 et deinceps respondeat. Verum, cum Iobus impiorum felicitatem *usque ad mortem* notaverit v. 13, tali responsione vix ei poterunt obviam ire. Sed optimum censeo, Iobum *cum ironia* haec loqui, cum et antecedentibus et consequentibus maxime congruat : ecce revera, uti vos dicitis, bonis *non* fruuntur mali, *non* utuntur fortuna stabili ; huic expositioni consonus est textus LXX et *vet. lat.* : « erant autem in manibus eorum bona[1] » ; deinde

1. i. e. uti adnotat *S. Aug.* : « non tulit eis bona ipsa, cum haec dicerent ».

ne ex tali adversariorum irrisione et felicitatis impiorum praedicatione ipse impietati eorum videatur calculum adiicere, addit : mens et consilium impiorum longe a me abest (hebr.); vel ironice : ego certe pro conditione mea, utpote miserrimus, non impius sum.

Quod ironica negatione v. 16 hebr. asseruerat, iam ulterius ex iis, quae communiter contingunt, probat evertens amicorum placita de repentina et ineluctabili impiorum ruina. Neque enim sine acrimonia eos interrogat v. 17 « *quoties lucerna impiorum exstinguetur et superveniet eis inundatio et dolores dividet furoris sui* »? — i. e. rarissime impii poena plectuntur; primo membro alludit ad 18, 6; altero ad 18, 12 (cf. hebr.), tertio ad 20, 29. Cum emphasi in hebr. *quoties... venit super eos pernicies eorum* i. e. quam illis propriam esse ac deberi vos dicitis, quoties *dolores* [1] illis tamquam *partem admetitur in ira sua?* quoties revera eveniunt, quae vos semper accidere iactatis?

Eadem particula *quoties* etiam in sequenti v. subaudienda est (*Malv. Ros. Hirz. W. P. Zsch.*) vel sententia ibi enuntiata tamquam *consequens* adnectenda est ad superiora i. e. ita, ut sint quasi paleae (cf. *Del. Hitz.*). Prius quam facillime aptatur ad *vulg.* v. 18 « *erunt sicut paleae ante faciem venti et sicut favilla, quam turbo dispergit* »? — i. e. quando vel quoties id impiis accidit? quando subito et stirpitus demum delentur, nonne potius foventur, servantur, crescunt? Alluditur ad 20, 7-9; de phrasi cf. Ps. 1, 4; 82, 14. Is. 40, 24; 41, 2; 47, 14. Gradatio cernitur, quia *gluma* facilius quam *stramen* (hebr.) abripitur, *turbo* vero vehementius quam *ventus* dispellit.

Ex eadem oratione Sophar, ad quam modo allusit, obiectionis ansam capit quam sibi ipse opponat; dixerat enim Sophar : *filii eius atterentur egestate* (20, 10; cf. 5, 4); unde ex adversariorum mente, sin minus ipse impius, saltem filii eius luent poenas; et ita consistere autumant retributionis terrestris normam, quare v. 19 « *Deus servabit filiis illius dolorem patris; et cum reddiderit, tunc sciet* »; — bene *Vat.* et *Malv.* III. : « subaudienda nonnulla : tu dicebas : Deus puniet in filiis rapinam parentum; non sic fiat, sed potius *illi ipsi* retribuat Deus et cognoscat *ipse*, ipse sentiat poenam peccati sui », quem sensum etiam clarius textus hebr. exprimit : *retribuat ei et sciat* i. e. experiatur ipsemet. Verba *vulg.* innuere potius videntur :

---

1. חֲבָלִים explicant alii a חֶבֶל *funis* ad metiendum, *portio* fune et mensura attributa, *hereditas* (cf. Ps. 16, 6; ita iam *Chald. Hirz. W. P.*) i. e. quoties eis portiones in ira sua attribuit, scil. ea quae illis iure ac hereditate debentur; alii retenta significatione non translata : quoties illis laqueos attribuit, i. e. poenas, quibus capiantur et involuti pereant (*Del.*); at cum haec sortis attribuendae notio iam in verbo חָלַק innuatur, expositio, quam LXX (ὠδῖνες) *Syrus* (?) et *vulg.* sequuntur et cui etiam recentiores adstipulantur (cf. *Malv. Mar. Vav. Cod. Ros. Hitz. Zsch.*), utpote magis nervosa iure praefertur.

impium tum demum poenas in se experturum, cum Deus illas in filios devolverit.

At Iobus bene urget, ex amicorum de retributione doctrina id necessario consequi, ut *ipse* impius (iam hisce in terris) poenas luat; quare victoris in modum idem varie proponit : v. 20 « *videbunt oculi eius interfectionem suam, et de furore Omnipotentis bibet* » ; — melius apud LXX ἰδεῖν (v. ἴδεσαν) et *vet. lat.* : « videant oculi *eius* necem *suam* et a Domino non salvetur » (μὴ διασωθείη) i. e. ipsemet in se experiatur perniciem! Haec demum est vera et iusta, ut amici statuunt, retribuendi ratio; *ipse* igitur large bibat calicem furoris Domini i. e. pessime accipiatur a Deo irato et saeviente (*Vav.*), inebrietur et conturbetur effusis calamitatibus (*Malv.*). Nam si demum post impii mortem poena ingruit in filios, hoc non pertinet ad poenam patris, ut notat *S. Thom.* transitum ad sequentia (sim. *Pin. Vav.*); unde v. 21 « *quid enim ad eum pertinet de domo sua post se, et si numerus mensium eius dimidietur* »? — in hebr. *nam quid voluntatis* (curae) est *ei de domo sua post se et* (postquam) *numerus mensium eius truncatus est* [1] i. e. simul ac ipse e vita sublatus est (cf. *Malv. Cod.*), parum curat quid familiae suae in terris eveniat (cf. *Cord. Pin. Vav.* et supra ad 14, 21 ; Eccl. 9, 5. 6).

Iobus rem evicit : impios fortuna saepe florere. Aliud adversariorum doctrina postulat. Quare in eos invehitur, utpote qui praesumant Deo praescribere, quid et quomodo agere debeat, ut illa quam ipsi fingunt iustitia servetur. Volunt illi scil. suo dogmate unam tantum viam Deo assignare, unam legem ei praestituere, eum quasi docere, quomodo impios debeat adhibere. Unde v. 22 « *numquid Deum docebit quispiam scientiam, qui excelsos iudicat* »? — i. e. quantae est arrogantiae et absurditatis, Deo se magistrum obtrudere, quomodo debeat res mundanas administrare. Id autem faciunt, qui rerum experientia neglecta ex praeiudicata opinione Deum res prosperas et adversas secundum virtutis scelerisque solam normam distribuere debere contendunt. Quare apte Dei *sublimitatis* mentionem ingerit, ut intelligant Dei cogitationes nostris esse altiores, inscrutabilia ac varia eius iudicia. Deus enim *excelsos* i. e. angelos coelestes (cf. 4, 18 ; 5, 1 ; 15, 15) imperio suo atque iudicio regit ac continet, ipsa coelestia moderatur, quare impudens est, aliam exigere rerum humanarum administrationem, quam observatam videmus. Aliam vero illi expostulant, cum doctrinam propugnent ab experientia alienam.

---

1. חֻצָּץ varie exponunt et derivant, vel denominativum a חֵץ (sagitta), unde vel *sorte distribuere*, cum veteres sagittis uterentur ad sortes trahendas (cf. *Hirz. W.*), vel *currere, metam attingere* (*Hitz.*); alii = חצה.

Quare Iobus denuo effert, quam inaequali sorte homines utantur, idque gravi oppositione : v. 23 « *ille moritur robustus et sanus, dives et felix*; v. 24 *viscera eius plena sunt adipe et medullis ossa illius irrigantur* ; v. 25 *alius vero moritur in amaritudine animae absque ullis opibus*; v. 26 *et tamen simul in pulvere dormient et vermes operient eos* ». —

Hebr. ita ad verbum : *hic* (alius) *moritur in ipsa sua felicitate* (in vigore integritatis suae, in robore perfectionis suae, cf. *Mar. Malv. Cod.*) *totus tranquillus et quietus;* varie v. 24 a interpretantur : vel uti LXX, *Syrus, vulg. : intestina, latera, viscera eius repleta sunt adipe* — Ἀπ. λεγ. עֲטִין iure explicatur collata voce chaldaica et syriaca עטמא *latus, femur* et חֶלֶב vel latiore sensu accipitur, vel חֵלֶב legitur — haec expositio contextui et parallelismo optime congruit eamque sequendam esse duco (cf. *Cod. W. P. Zsch.*); vel (collata voce arabica) *pecorosa latifundia plena sunt lacte*, de gregum scil. ubertate (cf. *Ros. Hitz.*); vel (collata voce talmudica מועטן) *mulctra eius plena sunt lacte*, ad quam interpretationem cf. *Malv. Ges.* Thes. *Del. Hirz.* Alterum membrum v. 24 verte *et medulla ossium eius irrigatur ;* cf. Prov. 3, 8. Is. 58, 11 i. e. corpore gaudet vegeto et robusto, sanitate firmissima, membra eius perfunduntur succo vitali (cf. *Pin.*); *hic* (alius) *moritur cum anima amara* (moesta) *neque fruitus est bono ; una in pulvere cubant et putredo* (cf. 7, 5) *operit eos.*

Totius argumentationis tenore suadetur ista oppositione improbi piique fata, quae saepe eveniant, delineari, uti recte sentiunt *Ol. Cod. Hirz. W. Zsch.* Hisce igitur ita constitutis adversariorum doctrina prostrata iacet, utpote experientia teste iugulata, quam qui ultra sustinere conantur, iure audiunt illud v. 22 *numquid Deum docebit quispiam scientiam* et gubernandi rationem?

d) Immo impios saepe servari incolumes et honorari 21, 27-34.

Opportune praeoccupat obiectionem, quam ex ipsius Iobi sorte adversarii colligunt, scil. in Iobi demum ruina certo cerni vindictam divinam, quare verum esse, impium tandem iri deiectum, etsi longa prosperitate floruerit. Ita interlocutores revera censere Iobus facile pervidet; unde v. 27 « *Certe novi cogitationes vestras et sententias contra me iniquas;* v. 28 *dicitis enim : ubi est domus principis? et ubi tabernacula impiorum* »? — in hebr. *ecce scio cogitationes vestras et consilia* (quibus) *me opprimitis; ubi est domus principis?* scil. Iobi (*S. Thom. Malv. Sa, Men. Tir. W.*); vim et violentiam sibi inferri conqueritur Iobus, quia eum sine ulla ratione impiis accensent, putantes eius ruinam satis superque contra ipsum testari et vindicem iustitiam munere suo functam esse et fungi. Propterea Iobus iam ad hominum testimonium provocat, quo constat, impios non affligi sed prospere agere. Id autem testari posse et debere unumquemque.

Quare v. 29 « *interrogate quemlibet de viatoribus et haec eadem illum intelligere cognoscetis* » ; — non sine emphasi quadam in hebr. *annon praetereuntes viam interrogastis et signa* (indicia) *eorum non cognoscitis?* i. e. ii qui multorum hominum terrarumque mores explorarunt et utpote alienigenae non partium studio in me tenentur, vobis testabuntur, ita rem se habere, uti dixi. *Signa* i. e. exempla, documenta, argumenta, quibus ex omni terrae parte comprobare ea possunt, quae iam proponit, si quidem ex communi opinione vertimus hebr. *quia diei exitii subducitur malus et in die indignationum educuntur* [1] (eruuntur, liberi et servati egrediuntur ; cf. *Malv.* VII. *Cod. Vav. Caiet. W. Zsch. Hirz. Del.* etc.) i. e. a calamitatibus communibus improbos immunes esse, et minime tangi pervulgatum est et omnium terrarum experientia comprobatur [2].

In eundem sensum forte trahi potest, quod habet *vulg.* v. 30 « *quia in diem perditionis servatur malus et ad diem furoris ducetur* » ; — si scil. *vulg.* proprietatem attenderis, quae non uno in loco apparet, *in* cum accus. poni pro casu ablativo et vice versa [3].

At quominus hanc expositionem plane certam reputem cum plerisque, impedior phrasi eadem 38, 23 חָשַׂכְתִּי לְעֵת ... לְיוֹם *peperci* i. e. reservavi *in tempus, in diem* = pro die et versu statim sequenti 32; ita etiam [4] graecum εἰς (cf. *Ol.*), latinum *in diem* intelligendum esse videtur. Quod si probaveris, sententia v. 30 enuntiata aut cum ironia vel interrogationis voce est legenda (cf. v. 16), aut supplendum erit ex v. 28 *dicitis* et ex interlocutorum mente sententia repetita est, quae statim denuo (v. 31 et seq.) confoditur.

Pergit enim Iobus sortem depingere impii, qui tam prospero fortunae flatu utatur, ut nemo eum arguere audeat (*Cord.*), sed ut ipsum eius funus honorifica pompa deducatur, ut eius memoria sit admirationi. Dicit enim v. 31 « *quis arguet coram eo viam eius et quae fecit, quis reddet illi* » ? — optime tangit, quae inter homines accidere solent; quotus quisque est, qui flagitia *potentium* valeat vel audeat

---

1. Vel, quod alii vertere malunt : *in die, quo indignationum fluctus adducuntur*; verum יוּבַל est *salvari, pompa deduci* Is. 55, 12.

2. Et revera לְיוֹם potest significare *in die*, cf. Gen. 21, 2; 49, 27. Is. 10, 3 *(quid facietis in die visitationis)*; חַשָּׂךְ est *parcere*, cf. Ps. 19, 14; Gen. 22, 12. 16. Atque haec explicatio, cui etiam *Aquilae* interpretatio ὑπεξαιρεθήσεται (apud *Ol.*) suffragatur, a contextu minime est aliena et *vet. lat.* comprobatur : « quia in die perditionis salvatur malus ».

3. Cf. Ioan. 1, 43. Is. 7, 11; Iudith 8, 13; Act. 5, 25. — *Kaulen*, Handbuch z. Vulg. p. 207 — et saepius in versione N. T., praesertim in epistolis Paulinis.

4. De *Chald.* et *Syro* non audeo certam pronuntiare sententiam, quamvis ל in hanc secundam potius inclinare videatur. *Le Hir* vertit : l'impie est réservé pour le jour de la ruine.

reprehendere, *in faciem eius viam ipsius indicare* i. e. obiicere, palam castigare (hebr.)? vel quis ei debitam poenam facinorum rependet? Latius exsequitur Iobus, quod supra dixerat : *terra data est in manus impii* (9, 24), et hanc honoris significationem immo et funeri eius et sepulchro obtingere ; v. 32 « *ipse ad sepulchra ducetur et in congerie mortuorum vigilabit* » ; — bene *Men.* : « ingenti propinquorum, amicorum, clientum turba comitatus... *vigilabit* nobili sepulchro inclusus, epitaphio laudatus, addita etiam fortasse tantum non viva ac spirante defuncti statua marmorea aut aerea, quae omnia defunctorum memoriam intercidere non patiuntur, et cum exstincti sint, eos tamen viventes ac vigilantes nobis exhibent » (sim. *Pin. Malv. Calm. Hirz. W. Del. P. Zsch.*). Ita refutat, quod Baldad asseruerat 18, 17 impii memoriam esse perituram ; *impio* talem fortunam obtingere affirmat, qualem pio assignaverat Eliphaz (5, 26) immo maiorem ; minime vero calamitates illas, quas vaticinati sunt amici (cf. 8, 22 ; 11, 20 ; 15, 32 ; 18, 19 ; 20, 5 et seq.) ; honorari eius memoriam, superbo commendari mausoleo, ita ut inter ipsos mortuos emineat, ut non tam mortuus quam post ipsam mortem *vigilare*, sui memoriam commendare et hominibus adesse videatur.

Hebr. גְּדִישׁ 5, 26 de frugum acervo dicitur ; quare hic quoque aliqui ad illum locum alludi censent interpretari conantes : matura morte, ceu manipulum in aream, inferri in sepulchrum (cf. *Cod. Vav. Calm.*) ; sed communius et melius *tumulum, collem sepulcralem* exponunt ; alii quidem plerique, ut ipse mortuus dicatur vigilare, *Hitz.* vero : tumulo invigilabitur, ne qua corpori iniuria fiat ; at hoc sane frigidius, ne dicam ab arte poetica et viva illa prosopopoeia alienissimum.

Hanc cum ipso sepulchro iunctam impii fortunam magis depingit v. 33 in hebr. : *dulcescunt ei glebae vallis et post se omnem hominem trahit, et ante ipsum non (est) numerus* i. e. valet pro ipso illud veterum « sit tibi terra levis », suaviter in sepulchro quiescit (cf. *Vav. Cord. Sa, Malv. W.* etc.) ; habet et trahit post se admiratores multos (*W. Hitz.*), vel potius : habet et trahit post se imitatores multos, sicut ante ipsum iam multi improbi exstiterunt, qui eadem usi sint fortuna hisce in terris, vel aliis verbis : talia frequentissime et iam acciderunt et in posterum evenient [1]. Plerumque מָשַׁךְ intransitive explicant : *post eum omnes longo agmine ingrediuntur* (cf. *Malv. W. Hirz. Del. Zsch. P. Hitz. Le Hir*) idque Ex. 12, 21. Iud. 4, 6 ; 5, 14 ; 20, 37 confirmari potest et apud LXX et *vet. lat.* cernitur : « et post eum omnis homo sequitur » (ἀπελεύσεται) et in versione *syr.* exprimitur. Si vocem active sumas, habes, quod Ps. 72, 10 innuitur : prosperitate impii alios seduci, ut in scelere demum felicitatem capere velint ; idque, cum impii vim quandam et auctoritatem describat, magis ad sermonis contextum esse videtur, quippe qui totus in eo est, ut quantopere valeat improbus, ad oculum demonstret. S. *Hier.* נַחַל inferorum fluvium exponens liberius vertit.

1. Verba fere dicunt : so ging es und geht es noch heute.

Immo in ipsa mortis regione non caret felicitate ; nonne talis fuit et erit impiorum sors? v. 33 « *dulcis fuit glareis Cocyti et post se omnem hominem trahit et ante se innumerabiles* » ; — i. e. benigne ac comiter excipitur impius mortuus in mortis regione (cf. *Pin. Vav. Mar. Men.*) vel, ut *Cord.* explicat : « optime convenit ei cum sepulchro, nihil enim ibi mali sentit, sed in eo dulciter ac suaviter quiescit... vel certe significat, impium dulcem ac gratum esse ac placere illi regioni, quae figurate *glarea Cocyti* appellatur ». Ita scil. impium felicitate in ipso sepulchro non destitui Iobus contendit. LXX et *vet. lat.* : « dulces ei fuerunt lapides torrentis » et bene *Calm.* advertit : « Iobus qui in hoc libro nihil non anima et sensu donat, lapidibus quendam officii et obsequii sensum erga cadaver divitis tribuit ; mitescunt quodammodo lapides, ut mollius cadaver cubet ».

Cum talis deprehendatur impii fortuna, Iobus prostratis amicorum argumentis merito concludit hoc quasi epiphonemate v. 34 « *quomodo igitur consolamini me frustra, cum responsio vestra repugnare ostensa sit veritati* »? — i. e. vanis promissionibus eum consolantur, dum resipiscenti bona pollicentur ei, qui sibi pietatis constanter servatae conscius est ; et quod responsiones illorum attinet, *superest praevaricatio* (hebr.) i.e. convictae sunt mendacii, falsae doctrinae, pietatis et fidelitatis laesae, quia innocentem tamquam scelestum traducunt et hisce in terris sua virtuti praemia, castigationes sceleri ad amussim respondere pertinaciter affirmant (cf. *S. Thom. Malv. Pin. Cord. W.*). Iobus secundum cum amicis congressum acerba accusatione concludit : tantum abesse, ut consolationem ei afferant, ut perfidiam in eum malitiose committant et fraudem מַעַל, cf. Ios. 22, 16.31. 2 Chron. 29,19 etc.

TERTIUS DISPUTANTIUM CONGRESSUS

(Cap. 22-26).

I. DISCEPTATIO CUM ELIPHAZ. CAP. 22-24.

1. SERMO AB ELIPHAZ HABITUS. CAP. 22.

Arg. — Iobus *experientiam* testem invocaverat. Eliphaz e contra denuo rem *a priore* definire studet : Deum nulla sui utilitate, nullo incommodi timore in rerum administratione tangi; proinde illum ex una iustitiae norma poenas infligere, i.e. non punire nisi scelera (21, 2-5). Quare scelera in Iobo adesse contendit et varia eorum genera, quae Iobus admiserit, recenset : hisce dignas eum poenas luere (22,6-11). Haec negari non posse, nisi ab eo, qui divinam rerum administrationem neget et impietatem priscorum sceleratorum induerit, quos tamen iustum Dei iudicium abstulerit (22,12-20). Demum monet, ut resipiscat additis magnificis poenitentiae et ad Deum reditus promissionibus (22, 21-30).

Disputationis *progressus* in eo elucet; 1° quia Eliphaz suam de recompensatione doctrinam exclusis aliis causis, quibus Deus in agendo duci possit, quasi a priore probare conatur; 2° quia iam *certa* crimina ac *determinata* Iobo impingit; ita et accusationes priores auget et maiore acerbitate Iobi animum pungit; 3° quia vindictae divinae in impios exercitae *exemplo* prolato assertionem Iobi confodere studet.

a) Deum non tangi commodo vel incommodo 22,2-5.

Interrogationibus positis Eliphaz ostendere conatur, cur homo miseriis affligatur, non posse repeti nisi ex divina iustitia, ex peccatis hominis. In v. 2 discrimen inter hebr. et lat. ex interpretatione vocis סָכַל declaratur, de qua cf. 15, 2. Est enim in hebr. *num Deo proderit vir? sane sibi proderit intelligens* (cf. *Mar. Malv. Cod. Vat. Calm. W.* etc.)! i.e. qui agit tamquam homo sapiens, prudens, *pius* (nam uti peccatum est *stultitia* in sacris literis, ita vera *sapientia* pietas censetur), sibi ipsi utilitatem affert, non Deo.

In textu lat. Eliphaz primum arrogantiam eius arguit, qui praeter causam malorum a Deo assignatam aliam quaerat et de divina providentia conqueratur : v. 2 « *Numquid Deo potest comparari homo etiam cum perfectae fuerit scientiae* » [1]?— scil. cum Iobus doctrinae amicorum non acquiescat, Eliphaz cum ipsi Dei sapientiae, quippe quae in vera illa doctrina exprimatur, contumaciter repugnare censet. Ipse vero iam argumentatur in hunc modum (cf. *Ol. Pin. Men. W.*) : ex hominis operibus bonis nihil redundat commodi in Deum, quippe qui est sibi sufficientissimus ac omnino beatus, neque vero ex peccatis Deo aliquid incommodi accrescit : unde Deus in variis sortibus distribuendis non suo bono neque suo periculo movetur, ergo non remanet, nisi ut sola iustitia ex hominum meritis vel demeritis agat. *Amor* scil. boni proprii et *timor* incommodi fons est fecundissimus, ex quo hominis actiones promanant. Iam quia iste fons pro Deo adesse non potest, Deus hominem non affligit v. g. ut homo ad maiorem propellatur virtutem, ut plus boni praestet, vel, ne ad malum fiat proclivis, ut in recto tramite retineatur vel compescatur. Cur igitur hominem affligit? non, ut sibi aliquid boni procuret, non, ut a se periculum avertat; ergo tantum, quia homo id meritus est, quia ipsa notio iustitiae, Deo necessaria, ita exigit. Haec quidem est Eliphaz argumentatio; laudanda quidem, quia rem ex ipsa de Deo notione et divinae maiestatis sublimitate et independentia enucleare studet, at, proh dolor, manca et hiulca nimis!

Deo nihil boni accrescere ex hominis virtute urget v. 3 « *quid prodest Deo, si iustus fueris? aut quid ei confers si immaculata fuerit via tua* »? — sensum hebr. expressit interpres; proprie : *num oblectamentum... num lucrum, si integras servas vias tuas?* LXX τί γὰρ μέλει τῷ κυρίῳ; *vet. lat.* : « quid enim pertinet ad Dominum, si tu sis in operibus absque crimine »? Neque Deus exercet aerumnis, quasi hominem timeret, ne nocumentum Deo inferat; ita v. 4 « *numquid timens arguet te et veniet tecum in iudicium* »? — ita Eliphaz *omnem* afflictionis causam ex parte Dei excludere sibi videtur, quare non remanet, nisi ut propter scelera puniat; quod consequens enuntiat v. 5 « *et non propter malitiam tuam plurimam et infinitas iniquitates tuas* »? — i.e. in solo homine, in te, est cur exerceatis. In hebr. optime v. 4 explicatur cum nostro interprete : *num ex metu tui corripiet te* (cf. *Cod. Malv. Hirz. W.*), ita scil. exigente contextu logico, cum v. 3 de Dei emolumento sermo fuerit, quod emolumentum undique excludi oportet.

---

1. Ita *Chald.* fere et *Syrus* sensum exprimunt : ille « numquid Deum potest docere vir »... Hic : « num cum Deo dicis tu, te esse ei aequalem in sapientia »? LXX et *vet. lat.* « nonne Dominus est qui docet sensum et scientiam »?

Quare ieiunum est ac fere nimis subtile, quod aliis (*Del. Zsch. Hitz. P.* et iam meminit *Malv.*) placet : « num propter tuam religionem (pietatem, Dei timorem) te corripiet » ? Sed si verba ita concipiuntur, in argumentandi serie membrum aliquod deest ; nam statim quaeri potest : annon Deus etiam pium punit, ut a malo cohibeatur, ut impediatur et retrahatur a periculo, ne insurgat turgidus in Deum. Certe, cum semel sermonem intulerit Eliphaz de Dei emolumento, quod *nullo modo* in hominum suppliciis habeatur, etiam huius rei rationem habere debuit eo magis, quia Iobus illam haud obscure tetigisse videri poterat 7,12 : « numquid mare ego sum aut cetus, quia circumdedisti me carcere » ? cf. 13,27. Unde bene *Men.* : « si te vexat, non propterea vexat, quod aut utilitatem inde capiat aut quod aliquid sibi timeat incommodum ni faciat. Tota ergo ratio ex illius iustitia et tuis peccatis est petenda ».

b) Iobum esse reum variorum criminum 22, 6-11.

Iam Eliphaz magna cum acerbitate Iobum criminum insimulat et cum generali accusatione antea nihil effecerit, nunc ad particularia descendit Iobique conscientiam excutit varia scelera confingens. Bene *Ol.* notat : « quid ad haec (scil. Iobi argumenta cap. 21 prolata) respondeat, Eliphaz ambigit ; ad alias vero contumelias se convertit et crimina iusto obiiciens quae vix ab improbissimis hominum patrantur, inclementius illum conviciis proscindit ». In hac conscientiae examinatione ea seligit, quae homines possidendi et dominandi libidine capti patrare solent. Primum inhumanitatis, iniustitiae, feritatis documenta ab Iobo hypocrita edita esse contendit v. 6 « *Abstulisti enim pignus fratrum tuorum sine causa et nudos spoliasti vestibus* » ; — i. e. immerito, iniuste pigneratus est ; vel quia ab illis, quae nihil debebant, pignora exegit et vi abstulit, quasi essent debitores (*Ol.*), vel quia illos coegit pignora dare, quamvis opes ei essent multae, neque ullo pacto iis indigeret (*Malv.*), vel quia dure exegit, quod solvere non poterant, immo etiam necessaria abstulit, quae pro pignore auferre non decuit ; id altero membro indicatur ; nam Ex. 22, 26. 27 : *si pignus a proximo tuo acceperis vestimentum, ante solis occasum reddes ei ; ipsum enim est solum quo operitur* ... cf. Deut. 24, 6. 10. — Crudelitatis accusatio effertur nomine *fratrum*, i. e. qui ad eandem stirpem, tribum, gentem pertinent, et *nudorum* i. e. pauperum, iam rebus fere omnibus carentium (cf. 24, 7. 10. Iacob 2, 15).

Aliud immanis animi documentum : *hospitalitatis officia*, quae apud tribus orientales adeo aestimantur, penitus neglexit nulla miseratione tactus : v. 7 « *aquam lasso non dedisti et esurienti sub-*

praxisti panem » ; — i. e. ne minima quidem maxime indigentibus concessit; nullo humanitatis sensu ex aliorum miseria et inopia commotus est ditissimus ille, qui ex abundantia sua facillime subvenire poterat. Vide, in quantum crimina augeat Eliphaz! Immo tyrannica violentia avaritiam et dominandi libidinem explere studuit; ita v. 8 « *in fortitudine brachii tui possidebas terram et potentissimus obtinebas eam* » ; — in hebr. *vir brachii — ipsi terra et sublimis auctoritate habitat in ea* [1] i. e. violentia, oppressione usus sibi demum terram arripuit et potentia valens ita eam occupat, ut ille solus videatur habitare, reliquis vel expulsis vel spoliatis; cf. Is. 5, 8. Ita in tota regione ferae belluae in modum grassatur v. 9 « *viduas dimisisti vacuas et lacertos pupillorum comminuisti* » ; — opem non tulit, immo iniuriam intulit miserrimo illi miserorum generi, quod prae ceteris iure quodam nativo miserationem commovet, viduis scil. et orphanis ; illas rebus omnibus destitutas, iure quod postulabant, auxilio quod efflagitabant non impetrato dure abire iussit ; quae vero pupillis praesto erant iura, auxilia, facultates, quibus totidem quasi brachiis defendebantur et sustinebantur, ea omnia feroci inhumanitate delevit et contrivit. Notum est, legem multiplici ratione illis voluisse provideri, cf. Ex. 22, 21. Deut. 24, 17. 19; 27, 19. Fulcra et adiumenta et praesidia, vires dici *brachia*, in usu est positum ; cf. Ps. 36, 17. Ez. 30, 22 et praecipue in Arabum locutione proverbiali (cf. *Ges.* Thes s. v. גדע et זרוע). Quam falso haec ab Eliphaz iactentur, ex Iobi testimonio 31, 17 etc. patet.

In hebr. v. 6 et 7 tempus imperfectum adhibetur. Id de actione saepe repetita dicitur, nisi malueris illorum opinioni subscribere quam refert *Malc.* : « *pignus... acceperis*. Notant, quia harum criminationum status coniecturalis est et magis in praesumptionibus quam certis probationibus positus, futuro uti Eliphazum, quasi dicat : necesse est fatearis, te aut illud aut omnia commisisse » ; quod si adoptaveris, dicendum, sermonem v. 9 et 10 ita incaluisse accusandi fervore, ut eas criminationes fere iam sine ulla haesitatione proferret.

Horum igitur criminum iustissimas poenas luit Iobus ; v. 10 « *propterea circumdatus es laqueis et conturbat te formido subita* » ; — « laqueos appellat Eliphaz cruciatus, dolores, anxietates, infamiam omnia denique mala, quibus Iobus ut moestissimo carcere constrictus fuit » (*Cord.*), ita ut nullum ei pateat effugium. Poenarum descriptio etiam in sequenti v. cernitur secundum hebr. *vel tenebrae* [2] (ita, ut)

1. Ita etiam *Aq. Sym. Theod.* in cod. syr. hexapl. p. 333 (c.).

2. *B.* ex graeco textum hebr. emendat; legitur enim apud LXX et in *vet. lat.* « lumen tuum in tenebras conversum est » (ἀπεβη). Certe illud *vel* in hebr. friget et אוֹ vestigium esse potest relictum ex scriptura primaria אוֹרְךָ.

non videas et inundatio aquarum operit te (cf. *Malv. Pin. Vav. Ros. Hitz.*) i. e. undique circumfunduntur tibi tenebrae calamitatum, ut nihil prorsus lucis ac salutis videas [1].

Textus lat. v. 11 « *et putabas te tenebras non visurum, et impetu aquarum inundantium non oppressum iri* »? — indicat, ea Iobo tale quid ne suspicanti quidem sed incuria sopito accidisse. Frequens est aquarum metaphora pro calamitatibus; cf. Ps. 17, 17; 68, 2. Cantic. 8, 7..

c) Exemplum proponitur priscorum peccatorum 22, 12-20.

Talia autem peccatoribus rependi, Eliphaz ex summa Dei maiestate probat, cuius providentiam cum negaret Iobus in tam enormia scelera prolapsum eum esse satis innuit. Sententiam praemittit praeclaram de Dei sublimitate locoque excelso, ex quo quasi ex altissima specula mundi cursum resque omnes lustrat, et quidem in hebr. *nonne Deus* (est) *sublimitas coelorum;* i. e. tam celsus sicut coeli, *et vide caput stellarum, quia excelsae sunt* (cf. *Mar. Malv.* II. *Vav. W. Del.*) i. e. verticem stellarum, altissima stellarum agmina; hisce celsior est Deus. De Deo rerum omnium e loco sublimi inspectore haec dici, merito affirmant (cf. *Pin. Cod. Cord. Mar. Malv. Est. Tir.* etc.), idque iam LXX et *vet. lat.* exprimunt: « nonne qui in excelso manet, respicit »? et lat. textus innuit v. 12 « *Annon cogitas, quod Deus excelsior coelo sit et super stellarum verticem sublimetur* »? — nisi forte haec sententia iam ex sequenti sit interpretanda: nonne hac cogitatione, quasi Deus excelsior rebus humanis earum curam non habeat, te contra conscientiae stimulos munivisti? nonne ex hac ipsa Dei sublimitate ansam cepisti providam eius curam negandi? Haec enim in subsequentibus Eliphaz Iobo exprobrat v. 13 « *et dicis: quid enim novit Deus? et quasi per caliginem iudicat* »? — i. e. ex Dei habitaculo coelesti falso infers, eum contineri coeli ambitu, eum non moderari vel curare terrena neque *pone caliginem* (hebr.) i. e. pone nubes in sublimi illo et mortalibus inaccesso loco, in abditissima illa regione iudicium ferre vel occupari de reculis nostris. Idque etiam clarius: v. 14 « *nubes latibulum eius nec nostra considerat et circa cardines coeli perambulat* »; — i. e. orbem, circuitum coelorum obambulat; in coelorum fornice tantum versatur, circa sphaeram coelorum obambulat, « coelo se continet, humanis non prospicit » (*Pin.*). Similem errorem iugulat Is. 29, 15. Ier. 23, 23. Ez. 8, 12.

1. Minus placet, quod alii (*Mar. Del. W. Zsch.*) vertunt: *annon advertis tenebras et agmen aquarum, quod te operit?* nam postquam Iobus adeo de inenarrabili miseria conquestus est, quid tali interrogatione magis abs re esse poterit, nisi ironiam supponas?

Tali autem cogitandi ratione Iobus animos induit atque imitatur priscorum peccatorum, quorum ista erant dogmata ; unde v. 15 « *numquid semitam saeculorum custodire cupis, quam calcaverunt viri iniqui*, v. 16 *qui sublati sunt ante tempus suum et fluvius subvertit fundamentum eorum* »? — i. e. num semitam illam antiquissimi temporis terere vis? sermo videtur esse de impiis tempore diluvii (cf. *Phil. Sa, Cord. Malv. Men. Tir. Calm. W. Del. Hitz.*), qui morte immatura, antequam secundum consuetum naturae cursum vitae annos expleverint, interempti sunt. Alii de Sodomorum interitu (cf. *Phil. Caiet.*), alii de Aegyptiorum strage et demersione [1] in mari (*Pin.*), alii generatim de impiis intelligunt, quorum prosperitas quasi fluviorum impetu (*Ol.*) i. e. calamitatibus subito irrumpentibus vel ipsa rerum mundanarum mutabilitate (*S. Thom.*) ablata et subversa sit. Dicitur *fundamentum* eorum status florens, quippe qui stabilitus et firmis innixus fundamentis iis videbatur (*Ol. Vav.*) [2].

Iam impiorum mentes et voces explicat ; puniti enim sunt, quia ita sentiebant, uti Iobum sentire modo v. 13 dixerat v. 17 « *qui dicebant Deo : recede a nobis! et quasi nihil posset facere Omnipotens aestimabant eum*, v. 18 *cum ille implesset domos eorum bonis; quorum sententia sit procul a me* »! — optime Eliphaz gigantes illos, viros famosos a saeculo (Gen. 6, 4) et potentes superbia et impietate delineat. Voces quoque usurpat, quas ab impiis nefarie proferri Iobus supra declaravit (21, 14), sed eas ipsas proprie a Iobo foveri et adoptari, non sine acerbitate insinuat, sicut etiam peccatorum illorum conditionem florentem similem Iobo proponit : *Dei* bonis et favoribus erant ditati, at impii et ingrati cum contemptu eum irriserunt : *et quid eis* [3] *facere posset Omnipotens* (hebr.)? Non Iobum, sed *se* tandem ab eorum mente iniqua abhorrere profitetur (cf. 21, 16).

Horum exemplo simul Iobi de impiorum felicitate declamationem everti et refutari censet Eliphaz. Quare subdit, ita res providentiae cursu dirigi, ut iusti impiorum interitum cernentes laudibus Deo dictis exsultent ; v. 19 « *videbunt iusti et laetabuntur et innocens subsannabit eos* ; v. 20 *nonne succisa est erectio eorum et reliquias eorum devoravit ignis* »? — in hebr. *vere, excisus est adversarius noster et excellentiam eorum devoravit ignis*, vel abundantiam eorum. Eliphaz

---

1. De tali clade *Chald.* « in profundo fluminis effusum est corpus eorum » interpretatum esse, censet *Pin.* — *Barh.* explicat : « sicut fluvius venit super eos ira et impedivit eos ».

2. Hebraeum verte : *fluvius* (qui) *effunditur fundamentum eorum;* uti LXX ποταμὸς ἐπιῤῥέων οἱ θεμέλιοι αὐτῶν i. e. fortunae eorum et opes, quae stabiles et bene fundatae videbantur, factae sunt sicut aqua effusa, collapsae sunt et transierunt sicut fluvii decurrentes (cf. *Cod. Hirz. W. Del. Hitz. P.*).

3. *B.* cum graeco legit *nobis*, uti *Houbig.* quoque vult.

ad thema suum redit : impii demum pereunt, iusti vident improborum superbiam deiici et tandem laetantur et triumphos agunt.

d) Resipiscenti optima quaeque promittuntur 22, 21-30.

Cum igitur, ut Eliphaz denuo asseruit et suo modo probavit, calamitas poena sit improbitatis, admonitio subiungitur, ut Deo vindici acquiescat et ad eum ex animo redeat praeclaris promissionibus ostensis : v. 21 « *Acquiesce igitur ei et habeto pacem et per haec habebis fructus optimos* » ; — i. e. adiunge te illi, morem ei gere, te totum compone ad eius voluntatem.

סָכַן in hiphil *familiariter vivere, amicitiam inire, intime noscere* (cf. Ps. 139, 3) significare videtur. Varie reddunt שָׁלֵם : esto felix (*W.*), pacatus (*Ros.*), sincerus (*Hitz.*), habebis pacem (cf. *Malv. Del. P.*) i. e. saluti, paci, integritati restitueris. Sed praeferendum *habeto pacem* i. e. conserva te in quieta submissione sine murmuratione et tumultu et querelis ; « pax enim est voluntatis affectus, quo subiicimur Deo et in eo quod bonum est consentimus hominibus et voluntates et appetitiones nostras in uno virtutis desiderio coniungimus » (*Cord.*). Pergitur enim : *in his* (i. e. haec si feceris) *veniet* [1] *tibi bonum* i. e. salus.

Iam declarat, quid ei praestandum sit, ut ad talem animi dispositionem v. 21 descriptam perveniat ; debet scil. Eliphaz doctrinam amplecti ; ita v. 22 « *suscipe ex ore illius legem et pone sermones eius in corde tuo* »! — *suam* scil. institutionem Eliphaz tamquam ex Dei ore profectam venditat et se tamquam fidum Dei interpretem, quare suos sermones Dei sermones vocat ; vult igitur, ut Iobus fateatur se ut hominem improbum affligi. Unde eum adhortatur : v. 23 « *si reversus fueris ad Omnipotentem, aedificaberis et longe facies iniquitatem a tabernaculo tuo* » ; — supplet altero membro, qualem reditum intelligat, scil. si removeris iniquitatem a tabernaculo tuo [2].

Bene *aedificaberis* i. e. non solum « excisae res tuae et eversae funditus instaurabuntur ac resurgent » (*Vat.*) sed etiam ipse, corpus iam morbo destructum et sanie diffluens, denuo instaurabitur et quasi aedificabitur ; quo magis Iobi animum, uti opinatur, reluctantem vincat et ad sua consilia inflammet, redintegrationem illam magno cum splendore neque sine facundia amplificat. Et *primo*, ut illud « aedifi-

---

1. *Si* in hebr. forma verbalis agnoscenda est, cf. Ewald § 191 c. *B.* unice substantivum assumit *in his proventus tuus*. Cf. insuper *de Rossi*.

2. Quare ut fere in appositione particula *si* deesse potest, etsi haec ulterior determinatio post apodosin *aedificaberis* subiungatur, neque opus est cum *Hitz.* תִּבָּנֶה scribere (aut cum B. תֵּעָנֶה) et tria membra ad protasin (non sine tautologia : reverti et ad D. converti (referre.

caberis » illustret, maximas, immo inauditas promittit divitias, auri argentique thesauros immensos : ex hebr. *pone* (pones, ponere poteris — imperativus *certam* praedictionem enuntiat, cf. Ps. 22, 27; 128, 5. Is. 23, 1; 37, 30; 65, 18 etc.) *prae pulvere argentum* i. e. repones, habebis argentum maiore copia quam pulverem.

Ita עַל *magis quam* i. e. *super* pulverem coacervabis; בָּצָר (uti *Syrus* intellexit) significare *argentum*, probabile est [1] propter parallelismum et כֶּסֶף in versu sequenti (cf. *Ros. Hirz.* W.); alii *aurum* vel metalla argento aurove mixta interpretantur (cf. *Malv. Cod. Del. Hitz.*) — ; *et sicut saxum* (lapides, silices) *torrentum aurum Ophir* i. e. tam abundanter. Verte בְּצוּר (attende paronomasiam cum בָּצָר) *sicut saxum*, vel si placet, explica בְּ *essentiae* quod vocant, בְּ *in loco, pro*, vel כְּ legendum particula comparationis, uti LXX, *Chald. Syrus* legerunt et multi codd. cf. *de Rossi*.

Iam textus lat. v. 24 « *dabit pro terra silicem et pro silice torrentes aureos* »; — in priore membro satis obscurus, in altero eandem opum promissionem largissimam exprimit i. e. vel « unde excideris silices, erumpent tibi auri venae » (*Men.*) vel « ea copia qua petrae in torrentibus inveniuntur, dabit tibi aurum » (*Mar. Tir.*). Prius vero membrum forte non incommode ita explicabis : novo illi aedificio tuae felicitatis dabit Deus pro fundamento non terram, non labile aliquid, sed petram; erit enim felicitas, quae nulla ruina sit perturbanda (cf. *Pin. Men.*); vel : dabit pro infirmitate robur (*S. Greg. exp. in. Rup. Br. Cord. Sa, Mar. Tir.*) vel : dabit pro amissis maiora, « silex enim pretiosior est quam gleba terrae » (*S. Thom.*). — Veteres versiones [2] promissionem enuntiari hoc versu viderunt; idque iure merito; nam *promissio* demum post v. 23 iure exspectatur, eaque v. 25 augetur. At recentiores aliqui (*Hirz. Del. Zsch. Hitz. Renan*) admonitionem cernunt, ut omnem argenti aurique amorem abiiciat : vertunt scil. : « pone in pulvere argentum et subter silices rivorum aurum » abiice illud tamquam rem vilem proiice in pulverem, in rivos. Sed ad quid tale monitum Iobo daretur, qui rebus omnibus spoliatus sub dio sedet morbo confectus? Melius ad verum sensum *W.* : tantam copiam nancisceris, ut thesauros quasi res nullius valoris condas in pulvere, vel fere in torrentes abiicias.

Secundo opum promissionem auget, fontem immensum et inexhaustum commemorans, qui Iobo praesto sit futurus; nam in hebr. v.

---

1. *Chald.* vertit *urbem munitam*, veluti בְּצָרוֹן aut מִבְצָר — LXX legerunt in hoc membro iam בְּצוּר; *Hier.* vertit *silicem*; forte, ut *W.* opinatur, ex voce arabica *bisron* lapis subalbus.

2. Sensum optime attigit *Syrus* : « et colliges argentum sicut pulverem, et sicut arenam maris aurum Ophir »; minime vero LXX ῥήσεις ἐπὶ χώματος ἐν πέτρᾳ, καὶ ὡς πέτρα χειμάῤῥους Ὀφείρ.

25 *et erit Omnipotens argenta tua et argenti copiae tibi* (cf. *Malv. Vat. Cod. W. Hirz. Del. Hitz.*) [1].

S. Hier. in priore membro LXX secutus alterum ex sensu reddidit: v. 25 « *eritque Omnipotens contra hostes tuos et argentum coacervabitur tibi* »; — praeter divitias — et ex hebr. Deus ipse cum omnibus suis thesauris praesto est — divinam protectionem et *securam* illarum possessionem, quod in magno bono est habendum, pollicetur. *Tertio* insuper maximam quandam laetitiam, pacem, fiduciam quae a Deo in ipsum deriventur, promittit v. 26 « *tunc super Omnipotentem deliciis afflues et elevabis ad Deum faciem tuam* »; — quid enim sine animi gaudio et laetitia divitiae valent? Iobus de Deo tamquam qui nunc sit ipsius hostis conquestus erat; unde in rerum mutatione apte et psychologice Eliphaz commemorat immensam voluptatem ex Deo haustum iri; *elevare faciem* i. e. omni fiducia, alacritate, sine ullo timore cum Deo agere. Quare *quarto* hanc confidentiam a Deo praemiis affectum iri ait postulationibus benigne concessis : v. 27 « *rogabis eum et exaudiet te, et vota tua reddes* »; — scil. « in signum exauditionis » (*S. Thom.*) debebis vota persolvere, utpote re desiderata potitus.

Huic affine est, quod prosperum et optatum habebit rerum omnium successum : v. 28 « *decernes rem et veniet tibi et in viis tuis splendebit lumen* »; — i. e. quodcumque aggressus fueris, succedet; quocumque perrexeris aut in quocumque versatus fueris, affulgebit tibi Dei favor et felicitas. Ex textu lat. « rationem harum promissionum ostendit, subdens » (*S. Thom.*) : v. 29 « *qui enim humiliatus fuerit, erit in gloria, et qui inclinaverit oculos, salvabitur* » ; — i. e. qui Deo se submiserit omnemque fastum, contumaciam (quae *oculis elatis* [2] exprimuntur cf. Is. 2, 11; 3, 16) prorsus abiecerit, salutem et veram a Deo consequetur exaltationem, cf. Matth. 23, 12; Prov. 6, 16.17 *sex sunt, quae Dominus odit... oculos sublimes*. Versio *S. Hier.* ita explanari potest, ut dicatur sensum reddidisse textus hebr. qui ita verti potest : *si*

---

1. Vox enim בְּצָרֶיךָ commodissime ex v. antecedente usurpatur et ad dicendi elegantiam pertinet, ut eadem significatione retineatur. Facile quidem ex hac voce veterum explicationes intelliguntur : *Chald.* « et erit Omnipotens arx munitionis tuae » LXX βοηθὸς ἀπὸ ἐχθρῶν, Syrus « in auxilium tuum » — at si vocem v. 24 : *aurum* vel *argentum* exponi oportet, libenter *illam* in v. 25 retinebis. De הוֹעֲכוֹת cf. Ps. 95, 4 *altitudines*. Cf. arabicum יפע ascendere, adolescere; alii *splendorem* interpretantur : cf. Ez. 28,7 יִבְּעָה.

2. Bene *S. Greg.* notat : « quantum per membrorum ministerium deprehendi potest, primae superbiae ostensio esse in oculis solet... salvabitur, quia qui falsum superbiae verticem deserit, veritatis altitudinem ascendit ».

humiliaverunt, tunc dices[1] : *exaltatio* i. e. quando te humiliaverint vel affligere conati fuerint, tunc statim liberaberis et exaltaberis tam certo, — id igitur *quintum* commodum promittit — ut appropinquante periculo iam exaltationem mox futuram praedicere et annuntiare possis.

Non est dubium, גֵּיָה explanari posse *exaltatio* (cf. *Fürst* L., *Ges.* s. v. גְּאָוָה *elatio*, *Del.*). Et hoc sensu *Chald.* quoque et *Syrus* vocem intellexerunt. Frequentius tamen eam interpretantur, uti 33, 17 usurpatur, de superbia et petulantia (cf. Ier. 13, 17 LXX ὕβρις, *vulg.* superbia), uti iam LXX intellexisse videntur, vertunt enim ὅτι ἐταπείνωσάς σεαυτὸν καὶ ἐρεῖς Ὑπερηφανεύσατο et *vet. lat.* « quia humiliavit semetipsum et dices : elatus est in superbiam ». Unde hebr. explicant : *si (te) affligunt* (deprimunt) *et tu clamas, insolentia, submissum salvabit* (cf. *Malv.* I. *W. Hitz.*), vel alii : si depressae sint (viae tuae), tu dices, sursum (elatio) et ei qui demissis est oculis opem fert (cf. *Ros. Del. Zsch.*), i. e. quam primum de vi ac violentia tibi illata conquestus fueris, Deus te liberabit, quam primum in rebus arctis desiderium rerum secundarum et spem manifestaveris, omnia ex voto cedent. Sensus non adeo differt; assignat *quintum* commodum Eliphaz : protectionem Dei in omni impetu hostili.

Deinde epiphonemate concludit totum sermonis argumentum brevi complexus v. 30 « *salvabitur innocens, salvabitur autem in munditia manuum suarum* » ; — vel in hebr. *liberabit non-insontem*[2] (eum, qui non est sine culpa; sed conditio adiicitur, dummodo improbitatem a se removerit) *et liberabitur in puritate manuum tuarum*. Hac sententia legis fundamentalis Iobum admonet, unde, si eripi velit, improbitatem abiiciat. Ita ex textu lat., cum quo *Syrus* consentit. Verum, cum in hebr. legatur *liberabitur in puritate manuum tuarum*, quam lectionem LXX et *Chald.* quoque tuentur, indicare videtur Eliphaz *sextam* benedictionem quae Iobum consequetur, dummodo resipuerit, Deum scil. propter Iobi integritatem et iustitiam etiam aliis, qui non fuerint innocentes, misericordiam et gratiam largiturum; Iobum scil. in tantum valere apud Deum, ut ipso flagitante alios quoque servet et a poenis liberet; ita revera accidit, aliter utique quam Eliphaz exspectavit, cf. 42, 7-9; sic merito *Malv. Cod. Ros. W. Hirz. Del. Zsch. P.*, nam quod *Hitz.* vult et iam ante eum *Mar.*, subito mutari personam et apostrophen fieri ad Iobum, de quo iam in illo « liberabitur » sermo

---

1. *B.* lectionem hebr. sensu carere (?) asserit. Ipse textum mutat : (Deus) *humiliat cacumen superbiae* אֶת אֲבוּר.

2. Est enim אִי negationis particula, cf. 1 Sam. 4, 21 (uti iam apud *Malv.* notatur); quae adhuc in rabbinica dialecto superest. Eam rite expressit *Chald.*; omiserunt LXX et *S. Hier.*, vertit *Syrus* « liberabitur purus ubicumque fuerit, « unde אַיֵּה אִי = אִי ubi? accepisse videtur. — *B.* textum mutat « *non* salvabitur reus, sed salvabitur (quicumque salvatur) ob puritatem manuum *suarum* ».

sit, nimis durum atque ab omni loquendi consuetudine alienum esse videtur. Quodsi hoc dicere voluit, scribere debuit : « *liberaberis* in puritate manuum tuarum ».

2. RESPONSIO A IOBO DATA. CAP. 23. 24.

Arg. — Cum Eliphaz suam de origine calamitatum doctrinam denuo proposuerit et ut eam fulciat gravissimas in Iobum criminationes congesserit, Iobus talem consolatorem merito aegre ferens Dei iudicium instanter efflagitat, quo sua constet et agnoscatur integritas! Sed, proh dolor, frustra id a Domino se postulare sentit, cum Deus, qui conscius sit ipsius innocentiae, tamen eius vindicem et assertorem se sistere non dignetur (23, 1-10). Unde ipse contra crimina ab Eliphaz obiecta se defendit vitae suae cursu et virtutibus enarratis. Sed cum post talem vitam tamen suppliciis diris excrucietur ex Dei voluntate, haeret anxius et animo turbatus, quid consilii in hoc lateat non intelligens, quippe quod ab hominibus sit absconsum (23, 11-24, 1). Tum denuo miram hanc rerum gubernationem animo volvit, expendens, impios tyrannos impune grassari, pauperes miseria opprimi et egestate confici, pupillos et viduas vexari et spoliari, operarios mercede et victu destitui ab heris omni humanitate exutis; undique oppressorum audiri clamorem (24, 2-12); praeter istos, qui aperta vi omnia iura subvertunt et conculcant, alios in occulto crimina patrare : homicidas, adulteros, fures (24, 13-17); utique esse optandum, ut poenis debitis plectantur et omnium maledictione obruantur, quia enormia scelera patrarint! At nihilominus communi sorte et morte utuntur (24, 18-25).

Disceptationis *progressus* in eo merito agnosci potest, 1° quod incerto illo Dei consilio se magis affligi quam suppliciis fatetur, 2° quod criminibus obiectis ad Dei tribunal iterum iterumque fidentur provocat et *vitae suae rationem* explicat; 3° quod impios impune grassari, iam per varia hominum genera magis quam antea ad oculos quasi demonstrat et rei difficultatem vehementius urget simul ostendens, quam *nihil* amicorum declamationibus effectum sit. — Praeterea, cum Eliphaz tot enormia crimina commentus sit, aut (ut *Sanctius* loquitur) « potius daemon, qui talem mentem indidit Eliphaz, ut hominem innocentem sic urgeret ac premeret anguste, ut ad impatientiam aut ad desperationem adduceret », mirandus est Iobi animus quietus, calumniis minime oppressus, laudanda tanta in respondendo modestia, dignitas, patientia.

a) Deum vindicem non apparere Iobus conqueritur 23, 1-10.

Quid hominem cordatum magis pungit, quam ab amico criminum falso insimulari? et quid si criminationes istae ad dolorum omnium congeriem accedunt? Unde Eliphaz sermonem Iobus merito excipit hac querela: v. 2 « *Nunc quoque in amaritudine est sermo meus et manus plagae meae aggravata est super gemitum meum* »; — i. e. nihil solatii ex hoc sermone tuo mihi accessit, sed querela mea multum inde exacerbata est (*Cord.*); plaga mea quasi dura manu mihi incumbit et me affligit plus, quam ullus meus gemitus profert.

S. Hier. sensum textus hebr. optime assecutus verba hebr. *etiam hodie amaritudo querela mea, manus mea ingravescit super gemitum meum* circumlocutione expressit, nam *manus mea* explicari debet manus quae me premit, me punit, calamitas mihi immissa (cf. *Pin. Mar. Malv. W. Hirz. P.*), unde *Chald.* vertit *plaga mea; manum* pro plaga poni notum est (cf. Ps. 31, 4; 37, 3. 1 Reg. 5, 6), sed dubium, an *manus mea* esse possit plaga mea[1]. Quare alii interpretantur: manus mea retinet gemitum meum, premit gemitum meum (cf. *Hirz. Del. Zsch. Hitz.*), sed cum LXX et *Syrus* manum *eius* legant, in textu hebr. facile יְדוֹ correxeris. Cum מרי proprie sit *rebellio* et hoc significatu vox saepe occurrat, multi explicant h. l. *etiamnunc rebellio est querela mea* i. e. vel: tamquam rebellio et contumacia censetur a vobis querela mea (*Hirz. Hitz. Renan* et iam *Malv.* III), vel: querela mea adhuc est rebellis et contumax contra tales admonitiones, nondum victa cedit, adhuc resistit (*Cord. Del.*). At dubium vix esse potest, quin h. l. sit *amaritudo;* ita habent *Chald. Syrus, S. Hier.*; hoc suadetur ex 7, 11; 10, 1; neque radix מרר huic formationi obest (cf. *W. Del. Fürst* L. *Le Hir*).

Iobus iniquis amicorum sententiis pressus, denuo Deum iudicem et vindicem appellat et ut in ius venire coram Deo ei liceat expetit (cf. 10, 2; 13, 3; 16, 22); fuse hanc mentem nunc explicat: v. 3 « *quis mihi tribuat, ut cognoscam et inveniam illum, et veniam usque ad solium eius* »! — i. e. utinam cognoscerem, ubi eum invenirem! utinam accedere possem ad eius thronum! Praeclarum animi nullo scelere foedati testimonium. Quid coram Dei tribunali acturus sit, explanat v. 4 « *ponam coram eo iudicium et os meum replebo increpationibus* »; — clarius in hebr. *instruam* (instruerem) *coram eo causam et implebo os meum argumentis* scil. ad me defendendum; ius suum ordine exponeret (id proprie עָרַךְ) et argumentis probaret coram Deo (cf. *Cod. Mar. Malv. W. P.*). Id autem proponeret, ut demum disceret, cur a Deo tantis suppliciis obrueretur. Hoc desiderium, quo intime urgetur, graviter significat v. 5 « *ut sciam verba quae mihi*

1. Nam quae afferri possent exempla similia, v. *g. iniuria mea* i. e. mihi illata Gen. 16, 5. Ier. 51, 35; *maledictio mea* i. e. qua mihi maledicitur 2 Sam. 16, 12; *sagitta mea* i. e. quae mihi infigitur Iob. 34, 6, revera similia non sunt. *B.* textum ita mutat, ut sensus exsistat ironicus: iam probe scio miseriam meam a mea manu mihi esse inflictam manumque meam super gemitum meum esse aggravatam.

respondeat et intelligam, quid loquatur mihi »: — i. e. « hoc optabat Iobus scire, quid a se divinum illud ac durum examen exigeret, quo spectaret tam longa neque unquam intermissa severitas » (*Cord.*), brevi solutionem *aenigmatis* iam diu tractati omnibus votis efflagitat.

Iam uti supra 9, 34; 13, 20. 21 expetit, ne in tali lite instituenda Deus ipsum maiestatis suae splendore et potentiae pondere opprimat i. e. ut norma communi cum ipso agat et *iure ordinario* [1], neve pro summa sua potestate et iustitia summa in eum inquirat; v. 6 « *nolo multa fortitudine contendat mecum, nec magnitudinis suae mole me premat* »; — neque enim, uti h. l. *S. Thom.* adnotat, sufficit mihi ista responsio, ut solum contra me allegetur Dei potentia et magnitudo.

Sensus idem adest in hebr., quaerit enim, quid Deus sit facturus, Iobus secum rem perpendens : *num in multitudine roboris litigabit mecum? Non* (i. e. hoc minime exopto), *tantummodo ipse attendat ad me*, ponat cor suum ad me (ita יָשִׂים scil. לֵב, cf. infra 34, 23; 37, 15 et supra 4, 20; Iud. 19, 30; Is. 41, 20; plena phrasis v. 9. Is. 41, 22; Ex. 9, 21; 1 Sam. 9, 20 etc.) i. e. benigne audiat, quae pro me disceptaturus sim (cf. inter alia apud *Malv. Calm. W. Del. Hirz. Zsch. P.*), neque multum ab hoc sensu abest, quod *Hitz.* praefert : שִׂים בְּ esse *verbum militare, aggredi;* dein *ipse solus* deposita quasi maiestate, relicto terrore, mecum in arenam descendat, me in hac lite adoriatur! Eundem sensum exprimunt LXX et *vet. lat.* : « an in multa virtute diiudicabitur mecum? nequaquam ; tantum in terrore non abutatur me ».

Si Deus lege ordinaria cum ipso agat, Iobus scit se victorem fore; ita v. 7 in hebr. *tunc rectus* (iustus) *cum eo disceptabit* i. e. tamquam talis ab ipso agnoscar et admittar ad litem, *et evadam in perpetuum a iudice meo* (cf. *Malv. Cod. Vav. W. Hirz. Del. Zsch. P. Le Hir*), i. e. ab ipso absolvar et innocens declarabor. Idem prae se fert textus lat. ita tamen, ut iudicii instituendi conditio et norma distinctius proponatur : v. 7 « *proponat aequitatem contra me et perveniat ad victoriam iudicium meum* »; — i. e. si lege communi me iudicaverit, victor ero [2].

At gemebundus se illa iudicii opportunitate destitutum videt : Deus

---

1. De qua re vide quae h. l. et ad 13, 21 fuse *Cord.* tradit et *Pin.* ad 17, 9 et *Estius* ad 34, 5 et *Ol.* ad 9, 33.

2. *S. Hier.* in textu hebr. easdem fere consonantes legit : pro שֹׁם legit יָשִׁם; pro יֹשֶׁר יָשָׁר; pro נֹכֶה נוֹכָה; pro עִמִּי עִמּוֹ; pro מִשְׁפָּטִי מִשְׁפְּטִי; נצח apud LXX saepius *victoria* redditur ex voce scil. aramaica (chald. et syr.) נְצַח *vincere;* nostro hoc loco εἰς τέλος verterunt; demum יְפַלֵּט legisse videtur. Ad easdem consonantes etiam refertur textus graecus et *vet. lat.* « veritas enim et increpatio ab eo est; educet in finem iudicium meum ».

enim, quem iam saepius appellavit (9, 35 ; 13, 19), non dignatur descendere et coram amicis Iobi integritati testimonium reddere. Quare dolens exponit Iobus, se frustra meditari, ut Dei tribunali sistatur; v. 8 « *si ad orientem iero, non apparet; si ad occidentem, non intelligam eum ;* v. 9 *si ad sinistram, quid agam ? non apprehendam eum ; si me vertam ad dexteram, non videbo illum* »; — quattuor mundi plagas nominat : antrorsum, ad orientem — retrorsum, ad occidentem — ad sinistram, septentrionem versus — ad dexteram, meridiem versus [1]. « Frustra desidero Dei iudicium, quia lucem inhabitat inaccessibilem et excelsus ac invisibilis a me conveniri nequit, ut coram eo agam » (*Cord.*). Bene autem dixerat v. 2 *hodie* [2], idque de hoc etiam desiderio valet, quod utique « in novissimo » 19, 26, impletum iri confidit.

Tali vero desiderio sistendi se coram Deo tenetur, quia Deo mores suos probari scit; v. 10 « *ipse vero scit viam meam et probavit me quasi aurum, quod per ignem transit* »; — testimonio conscientiae confisus examen divinum subire gestit. In hebr. *si me probat, quasi aurum egrediar* [3]; cf. Prov. 17, 3. Zach. 13, 9. Ita criminationes Eliphaz compendio refutat.

b) Anxius haeret, cur innocens puniatur 23, 11-24, 1.

Iam « *viam suam* » latius, qualis fuerit, exponit simulque accusationes Eliphaz diluit; v. 11 « *Vestigia eius secutus est pes meus, viam eius custodivi et non declinavi ex ea ;* v. 12 *a mandatis labiorum eius non recessi, et in sinu meo abscondi verba oris mei* »; — in ultimo membro hebr. *prae statuto meo* (magis quam statutum meum, legem meam) *servavi verba oris eius* (cf. *Mar. Malv. Cod. Pin. W. Zsch.*); i. e. ut bene *Pin.* : « significat Iobus, nihil sibi magis consuetum, nihil magis fixum et constitutum, quam Dei legi suas consuetudines moresque inveteratos, qui sunt veluti natura altera, omnes vitae et politiae humanae leges et statuta posthabuisse » ; loquitur de « lege altera in membris », quam sedulo subiecit legi Dei [4]. Ceterum *in sinu* animi affectum dicit, ut bene *Ol.* : « in intimis mentis recessibus divina mandata recondita servavi, illa amplexatus cum maxima voluptate adim-

---

1. In hebr. v. 9 *ad sinistram dum operatur et non videbo* (i. e. ad verbum : operationem eius non cernam vel, ut *B.* textum emendat « ad sinistram quaero eum »); *vertit se ad dexteram et non conspiciam* (cf. *Cod. Del. Zsch. Le Hir*).
2. Quare *B.* illud *hodie* perperam reprehendit tamquam *absurdum*.
3. Et consentiunt *Aq. Sym. Theod.* cf. cod. syr. hexapl. p. 335 (d).
4. LXX et *S. Hier.* legerunt בְּחֵקִי *in sinu meo* idemque *B.* adoptat; *Chald.* hebraeum מֵחֻקִּי exprimit, idque certe optimum sensum praebet.

plevi... ». Apte idem monet : « mandata dicit non quae sub auditum caderent vel quae literis mandarentur (hic enim sanctus ante legem latam vixit), sed quae scriptis minime consignata, quae cum natura ipsa una sata essent et quae Deus in mentem insusurrasset ».

At nihilominus — et hic est animi stimulus et dolor, hoc vulnus Iobi — Deus immersit eum suppliciis immersumque tenet, in uno hoc decreto immobilis manet ; ita clare ex hebr. v. 13 *ipse in uno, et quis avertet eum? anima eius vult et facit* (cf. *Malv. Mar. Cod. Cord. Tir.*) i. e. ita semel statuit et id exsequitur. Eodem modo explicandus est textus lat., qui proxime ad hebr. accedit, praesertim si cum aliis (*Chald. Hitz.*) ב *essentiae* agnoscentes *ipse unus est* interpretabimur, i. e. idem semper et immutabilis ; v. 13 « *ipse enim solus est et nemo avertere potest cogitationem eius ; et anima eius quodcumque voluit, hoc fecit* » ; — *solus* scil. Dominus, independens, summa potestate instructus, a cuius voluntate et decreto ad alium superiorem iudicem non potest esse provocatio (*Pin.*), cuius consilium nemo inflectere possit, quique possit id quod libet (*Vav.*). Hanc Dei potentiam illimitatam, quam effugere nullo pacto potest, agnoscens sacro quodam timore corripitur ; unde v. 14 « *cum explevcrit in me voluntatem suam et alia multa similia praesto sunt ei,* v. 15 *et idcirco a facie eius turbatus sum et considerans eum timore sollicitor* » ; — in hebr. *nam* (vel cum gravi quadam assertione : vere) *perficit statutum meum* (i. e. ea, quae de me decrevit *Mar. Malv. Pin. Vav.* « atque in malam partem accipi debet ») *et sicut haec, multa cum illo* i. e. multas clades persimiles, quas in promptu habet, mihi potest inferre (*Cord.*). Quare se animo anxium haerere profitetur ; et dum haec animo volvit, timore tantae maiestatis percellitur. Quem horrorem sacrum de re impervia et incomprehenso divinae voluntatis arcano consilio, latius prosequitur v. 16 « *Deus mollivit cor meum, et Omnipotens conturbavit me* » ; — i. e. timiditatem et imbecillitatem attulit cordi (*Malv.*) vel animi nervos dissolvit (*Ol.*) « quasi liquefaciens cor firmitate securitatis sublata » (*S. Thom.*) ; nam « malleo tribulationum vires animi mei extenuavit » (*Tir.*). Et huius sacri terroris ratio et causa consternationis non tam sunt illa supplicia, quibus premitur, quam ipsa haec Dei consilii ignoratio : v. 17 « *non enim perii propter imminentes tenebras nec faciem meam operuit caligo* » ; — i. e. non concidi propter calamitates quae me undique obvolvunt luce spei et felicitatis prorsus exstincta, neque propter illas facies mea moerore et dolore est operta et oppleta, sed, ut dixit v. 16 *Omnipotens conturbavit me* et v. 15 *et considerans eum timore sollicitor* [1].

1. Hebr. optime vertes *et propter faciem meam quam operuit caligo*, sensu eodem.

Utique, subdit, Deo nota sunt omnia, quae temporis decursu fiunt, ille scit, cur ita fieri velit; at homines ignorant : 24, 1 « *ab Omnipotente non sunt abscondita tempora ; qui autem noverunt eum, ignorant dies illius* » ; — i. e. nos dies iudicii eius non videmus, nos ruinam et poenam impiorum, bonorum exaltationem non cernimus ; nos de arcanis Dei certiores non reddimur. Ita versum hunc satis ab interpretibus vexatum interpretandum esse cum *Vav. Pin. Men. Tir. Gord.* censemus ; addi potest cum *S. Thom. Cord.* Iobum simul obiectionem ab Eliphaz vel accusationem sibi factam (22, 13) diluere. In hebr. *cur ab Omnipotente non servantur tempora?* i. e. cur tempora iudicii non reservantur, *destinantur* impiis, ita ut iusti ea videant et de ultione Domini laetentur (cf. *Hirz. Del. Zsch. Hitz. P.*) [1].

c) Impios dominari, pauperes affligi 24, 2-12.

Iam miram hanc rerum gubernationem per exempla prosequitur : impios scil. impune grassari ; quam late scil. patet violentia, avaritia iniustitia ? v. 2 « *Alii terminos transtulerunt, diripuerunt greges et paverunt eos* » ; — hebr. *terminos transferunt, gregem rapiunt et pascunt ;* est locutio emphatica subiecto omisso [2] ; « magnum scelus alienas possessiones vindicare sibi et continuare suis limitibus motis » (*Vav.*) ; cf. Deut. 19, 14 ; 27, 17. Os. 5, 10 ; *pascunt* i. e. quae rapuerunt, secure iam et cum sua utilitate possident. Immo pupillos et viduas spoliant : v. 3 « *asinum pupillorum abegerunt et abstulerunt pro pignore bovem viduae* » ; — i. e. iis vitae sustentandae adminicula auferunt (*Ol.*) ; numerus singularis emphasin habet : etiam *unum* illum quem possident. « Immanis crudelitatis est genus illud hominum invadere, quod infirmum est et hominum misericordiae commendatum, quod vel ipso nomine animos emollit incitatos et appetentes vindictae ad lenitatem clementiamque traducit » (*Cord.*). Eadem

---

Perperam in priore membro aliqui נְצָבוֹתַי vertunt *silui* (*W. Hirz. Zsch.*) ; bene *S. Hier.* posuit *perii*, cf. 6, 17.

1. Ita verbum צָפַן 21, 19 cf. 15, 20 ; quae significatio magis apta h. l. est, quam *abscondere ;* nam quid est : *cur tempora non sunt abscondita a Domino?* vix, quod *Ros.* vult, interrogatio admirantis vel indignantis i. e. si laterent Deum ea quae fiunt, non haberent pii, quod quererentur ; alio sensu *W.* : cur Deus non abscondit mala tempora, ita ut pii ea non experiantur? sed id quod rei caput est, debet *suppleri*. Sensu exposito secundum hebr. versus optime agmen ducit descriptionis iam sequentis. LXX non habent negationem, unde *B.* negationem cum verbo delet, ita sensum declarans : cur ab O. (pendent) tempora (iudicii) et nihilominus cognoscentes eum non vident dies (retributionis eius)? At textus traditus optimum sensum praebet.

2. Quare frustra *B.* « impii » in textum inserit, neque metri ratio postulat, nisi quia v. 1 duas voces eiicit ; cf. *Gietmann* p. 44.

crudelitate opprimunt egenos et miseros : v. 4 « *subverterunt pauperum viam et oppresserunt pariter mansuetos terrae* » ; — i. e. infesti pauperibus sunt, eos vexant ac turbant, impedientes quominus quiete sua agant negotia (*Men.*), vel iis facultatem adimentes necessaria sibi procurandi (*S. Thom.*). In hebr. *abigunt pauperes a via, pariter abdunt se*[1] *humiles* (miseri) *terrae* i. e. non eos sinunt incedere sine vexatione, vel publice et ubique eos infestant (cf. *Vav. Mar.* H.), vel eos sine domo et iuris tutela vagari cogunt (*Del. Hitz.*) et tanta crudelitate et saevitia utuntur, ut homines inopes et a violentia alieni i. e. mansueti (utrosque enim vox hebr. significat) prae metu sese abscondant.

Iam cum in textu *vulg.* sequatur v. 5 *alii*, ratione habita v. 2 multi hos versus de aliorum genere tyrannorum, de *praedonibus* intelligunt, qui in desertis locis habitantes latrocinia exerceant, agros et vineas depopulentur (v. 6) et homines quos spoliaverint in extremam miseriam redigant (v. 7. 8 — cf. *Pin. Cord. Vav. Men. Tir.*). Etiam textum hebr., qui illud *alii* non habet, aliqui eodem modo explicant (cf. *Cod. Ros.*). Sed plerique explicationem sequuntur, quae ad antecedentia arcte adnectitur, depingi scil. vitam laboriosam summamque miseriam pauperum illorum (cf. *Malv. Calm. W. Del. Hirz. Hitz. P. Zsch.*). Et huic revera ipsa verba hebr. magis congruunt, hanc textus graecus exprimit et ipse *vulg.* textus haud invitus eo quoque trahi potest. Unde censemus, pauperum miseriam iniuste oppressorum describi, qua re impiorum et saevitia et securitas denuo illustratur. V. 5 « *alii quasi onagri in deserto egrediuntur ad opus suum, vigilantes ad praedam praeparant panem liberis* » ; — *alii* proxime ad v. 4 pertinet ; unde : propter oppressores alii se abdunt, alii vagi et timidi (timiditatem comparatio cum onagro et vagam vivendi rationem potius exhibet, quam latronum saevitiam ; cf. *W. Del.*) deserto se condunt « ad opus suum » i. e. ut ibi vitam tueantur ; ibique praedae undequaque capiendae ad se liberosque servandos intenti esse coguntur. In hebr. ecce *ut onagri in deserto... desertum ei*[2] *panis pro pueris* scil. est vel panem praebet, quia *sedulo vigilantes* (hebr) sunt ad praedam.

Quomodo illi vitam sustentent et quale genus praedae subinde capiant et appetant, declaratur v. 6 in hebr. *in agro farraginem eius metunt et vineam impii vindemiant* i. e. vilissima quaeque ex agro sibi pro alimentis furantur, item quae in vineis post vindemiam forte supersunt. Alii legunt בלי-לילה (LXX, *Chald. S. Hier.*)[3] ; unde *vulg.* v. 6

1. Consentiunt LXX, *Theod.* (cf. cod. syr. hexapl.) *Syrus, Chald.*
2. לו distributive pro *eis*, i. e. *singulis*, unicuique.
3. *B.* emendat cum *Houbig. noctu* metunt, LXX et vet. lat. « agrum *ante tempus* non suum demessuerunt » utramque lectionem coniungere videntur.

« *agrum non suum demetunt et vindemiam eius quem vi oppresserint vindemiant* » ; — qui versus ad impiorum descriptionem refertur. Hebr. *vineam impii;* cur S. Hier. vocem toties obviam רָשָׁע, quam LXX, *Chald. Syrus* tuentur, verterit *eius quem vi oppresserint* sane obscurum est ; forte quia v. 5 ad aliud tyrannorum genus describendum adhiberi censuit ; *Pin. Vav. Mar.* putant *impium* dici iudicio victum, vi oppressum, qui a iudice sententia iudiciali victus et impius sit declaratus. Pergit *vulg.* illorum tyrannidem describere : v. 7 « *nudos dimittunt homines, indumenta tollentes quibus non est operimentum in frigore,* v. 8 *quos imbres montium rigant et non habentes velamen amplexantur lapides* » ; — i. e. imbribus expositi sunt isti pauperes et spoliati omni alio refugio cavernas rupium ingrediuntur et in speluncis se abdunt (cf. *Pin. Vav. Cord. Sa, Mar. Men. Tir.*). Similiter LXX et *vet. lat.* Textus vero hebr. miseram pauperum conditionem depingit : *nudi pernoctant sine indumento et non est tegumentum in frigore ; ex imbre montium madefiunt, et cum non sit refugium, saxa amplexantur.* Descriptio haec pauperum longior (v. 5-8) eo facilius intelligitur, si cum recentioribus assumimus, poetam alludere ad oppressiones, quibus v. g. Horrhaei e suis sedibus expulsi et in speluncas montium edomiticorum abacti sunt (Deut. 2, 12. 22 ; cf. *Zsch.*).

Denuo alio modo iniustam oppressionem ob oculos ponit, ut quam late et impune valeat improbitas, ostendat ; v. 9 « *vim fecerunt depraedantes pupillos et vulgum pauperem* [1] *spoliaverunt ;* v. 10 *nudis et incedentibus absque vestitu et esurientibus tulerunt spicas* » ; — i. e. tantae immanitatis sunt saevi illi tyranni, ut nudis et famelicis etiam spicas eripiant, quas inediae levandae causa in divitum agris messe facta collegerant.

Ipsi vero tyranni v. 11 « *inter acervos eorum meridiati sunt qui calcatis torcularibus sitiunt* » ; — i. e. inter acervos pauperum, qui... sitiunt, illi impii et epulones quieti et somno indulgent in aestu diei (cf. *Phil. exp. in. Thom. Pin. Cord. Sa, Mar. Tir.*), seu feriantur (*Vav.*).

S. *Hier.* v. 9 vertit, ac si hebr. מֹשֵׁךְ derivaret a שָׁדַד violenter agere et in altero versu legeret הלכים... בעל vel potius הלכי. In hebr. *rapiunt ab ubere pupillum et a misero pignora sumunt* [2] ; *nudi incedunt absque vestitu et famelici portant mergites* (cf. *Mar. Malv. W. Hirz. Del. Hitz. Zsch. P. Le Hir*), ita ut v. 10 denuo sortem egenorum explicet : coguntur comportare mergites nec tamen licet eis famem gravis sedare. Quanta crudelitas, cum tamen Deus ne bovi quidem trituranti os alligar

1. *Vulgus* raro, uti hic, *gen. masc.*

2. חבל cum על alibi non invenitur ; at constructio est eadem ac חבוש 21, 27 (*Hitz.*) ; alii sensum augeri volunt (cf. *W.*), alii vertunt : id quod *super pauperem* est, sumunt i. e. pallium, quo operitur (*Malv.* III. *Zsch.*). *B.* removet difficultatem legendo עוּל : et infantem pauperis pro pignore sumunt.

voluerit! Similem prorsus pauperum miseriam depingit v. 11 in hebr. *intra septa eorum oleum exprimunt, torcularia calcant, sitiunt* (cf. *Cod. Mar. Malv. W. Del. Hirz. Hitz. Zsch. P.*) i. e. debent oppressi laborare inter septa et maceriem vinearum divitum improborum [1], torculare uvas, nec tamen sitim explere licet, sunt scil. in arcta quasi custodia. Verbum הִצְהִיר denominativum esse volunt a יִצְהָר *oleum;* at facile etiam explicari potest *sole uri*, cum צהר proprie sit *fervere* (cf. *Fürst* L.) et hanc significationem respexisse videtur S. *Hier.* v. 11.

Illi vero tyranni non tantum ruri in egenos furorem exercent, verum etiam urbes violentia et caede infestant, devastant; et ubi demum ultio eos apprehendit? Ita apte haec pars concluditur : v. 12 « *de civitatibus fecerunt viros gemere et anima vulneratorum clamavit. Et Deus inultum abire non patitur* »? — ultimum per interrogationem legi oportet [2] ut bene advertunt *Malv. Var.* Id enim omnino a sensu requiritur et argumenti ratione, i. e. nonne haec omnia fiunt impune? nonne sanguis occisorum frustra ad coelum clamat? vel. quomodo tu, Eliphaz, ais « Deus abire non patitur inultum »? id textus hebr. requirit : *et Deus non attendit* (non curat) *insipidum* (hoc) i. e. dissimulare videtur opera adeo prava, vel quam absonum sit, innocentes opprimi ab impiis (cf. *Mar. W.*)

In hebr. *ex urbe virorum gemunt* (*W. Hitz. P.*) vel certe melius (neglectis accentibus masor.) *ex urbe viri gemunt* (*Mar. Malv. Ros. Del. Le Hir*) i. e. tanta iniuriae vis illata, ut *viri* [3] suspiria emittant; vel ut habet *Syrus* et aliquae editiones hebr. מֵתִים (pro מִתִּים), i. e. morientes gemunt, caedis scil. et saevitiae illorum victimae (cf. *Hirz. Zsch.*); ad quod membrum parallelum non incongrue sequitur : *et anima percussorum clamat.* Neque ab hoc sensu [4] multum absunt LXX et vet. lat « de civitate et domibus (בתים pro בְּמוֹ) (vi) eiiciebantur; anima vero parvulorum (עוללים pro חללים) in gemitu valde; ipse autem Deus eorum curam non habuit » apud LXX αὐτὸς δὲ διατί τούτων ἐπισκοπὴν οὐ πεποίηται; quare interrogativus legendi modus pro *vulg.* confirmatur.

d) Multa in occulto patrari scelera 24, 13-17

Cum in subsequentibus scelera describantur, quae in tenebris patrentur, plerique haud immerito iam a v. 13 de illis lucifugis sermo-

---

1. *B.* ridet suffixum ם־ utpote absonum; ipse ex graeco ἀδίκως textui inserit רַע suffixo omisso.

2. Quare immerito *Cod.* censet, vulgatam hic reddere sensum plane repugnantem.

3. Quare abs re, quod *B.* vult : « viros gemere expressio nimis debilis et vaga; vexatio mulierum saeviorem immanitatem proderet » sed *mulieres* gemere, commune est; at si ipsi viri suspiria ducunt, cladis maior vis indicatur. Et propter tales rationes *B.* textum mutat דמו תם scribens, quamvis *viros gemere* etiam *Sym. Theod.* cum *S. Hier.* et *Chald.* exprimant.

4. *B.* scribit : « insipiditas est mira designatio caedium »; minime, sed tota rerum conditio descripta : improbos impune grassari etc. dicitur *absonum* quid. Sed *B.* legit

nem institui censent (cf. *Malv. W. Del. Zsch. P.*) et proinde de alio improborum genere dictum esse v. 13 « *Ipsi fuerunt rebelles lumini, nescierunt vias eius, nec reversi sunt per semitas eius* »; — in hebr. *illi sunt inter rebelles lumini* (illis adnumerandi vel beth essentiae) i. e. lucem fugiunt, odio habent; cum v. 14-17 saepius de fuga lucis et diei mentio fiat, *lumen* sensu eodem, i. e. proprio retinendum esse videtur (cf. *Mar. Pin. Vav. W.*)

Alii tamen metaphorice capiunt de lumine Dei, de lege et doctrina Dei, de lumine veritatis (cf. *Chald. S. Thom. Cord. Sa, Men. Tir.*), alii utramque significationem coniungunt et *lumen* amplissime dici volunt (cf. *Cod. P.*). Idem valet de membris subiunctis : vias lucis nescire i. e. facinora clam et in caligine patrare, apertam et rectam agendi rationem aversari, tenebris uti, mente et rebus revera gestis lucem abominari et obscura amplecti ; hebr. *non morantur in semitis eius.*

Iam tales describit v. 14 « *mane primo consurgit homicida, interficit egenum et pauperem, per noctem vero erit quasi fur* » ; — i. e. in crepusculo ; ita et hebr. לָאוֹר intelligunt *sub lucem* [1] (cf. *Malv. Mar. Hirz. W. Del. Zsch. P.*), idque satis ex v. 13 consequitur; dum adhuc crepusculum est, struit insidias et ex improviso caedem nihil suspicanti infert; nocte ad furandum abutitur [2]. Tenebras expetit *adulter;* ita v. 15 « *oculus adulteri observat caliginem, dicens : non me videbit oculus, et operiet vultum suum* »; — i. e. noctis caliginem praestolatur (cf. Prov. 7, 8.9) et ne agnoscatur *velamen faciei imponit* (hebr.). Tenebras opperiuntur *fures* (cf. v. 14) : v. 16 « *perfodit in tenebris domos, sicut in die condixerant sibi, et ignoraverunt lucem* » ; — in hebr. *interdiu sese abdunt*, quia scil. lucem abominantur qua flagitia prodantur. Alii (*Men. Vav.*) etiam hoc de adulteris explicant. Cur lucem aversentur, exponit v. 17 in hebr. *quia omnibus iis tempus matutinum est umbra mortis, quia norunt terrores umbrae mortis* i. e. lux matutina illis est umbra letifera, illis pericula affert et impedimenta [3]. et huius caliginis terrores iam experientia norunt. lucis pericula no-

---

cum *Syro* תְּכַלָּה : Deus non reponit orationem (oppressi exaudiendam). Perperam negat. שׂוּם habere cum seq. acc. significationem *curare;* verbum ellipticе ponitur pro שִׂים עַל לֵב ; exemplum habes Is. 41, 20 (et forte Ps. 50, 23; cf. *Ges.* Thes.).

1. *B.* legendum censet, ut hic sensus habeatur et metrum constet לְפְנֵי אוֹר ante lucem. Correctio sane opportuna sensu eam exigente post v. 13. — Aliud *Hitz.*, qui v. 13 ab Eliphaz obiectum et ad superiora referendum esse censet, cui Iobus respondeat sensum *luminis* proprium usurpans : immo et luce utuntur mali, simul cum luce surgit homicida.

2. *B.* unius literae mutatione legit יְהַלֵּךְ גַּנָּב in nocte perambulat fur. quae correctio utique textui tradito praestat; at LXX, *Chald. Syr. S. Hier.* textui mas. suffragantur.

3. *B.* tria verba textui inserens ita exponit : « quia simul *caligo* est lux matutina ipsis. et umbra mortis, haec est *lux eorum* ». Sed cur demum sententiam *uno* membro concinne expositam in duo membra discerpere?

runt, ideo diem exsecrantur (cf. *Mar. Malv. Hirz. W.*). Et huic facile concordat textus *vulg.* v. 17 « *si subito apparuerit aurora, arbitrantur umbram mortis, et sic in tenebris quasi in luce ambulant* » ; — i. e. tenebrae ipsis sunt familiares, ibi facinora sua exsequuntur; quare si lux supervenerit vel aurora, terrentur quasi mortis periculo subito apparente (cf. *Pin. Cord. Vav. Calm.*). Alii (cf. *Del. Zsch. P.*) exponunt : iis noctis umbra est et habetur pro luce, i e. nocte utuntur, sicut ceteri hominum die; unde nox est impiorum lux (cf. 38, 15).

e) Impios saepe non luere debitas poenas 24, 18-25.

Iam quid impiis istis rependitur? Certe maxima iis supplicia debentur et sane ordo iustitiae laesus exigit, ut dignas luant poenas. At quoties id revera videmus? Hanc sententiarum seriem, quae ad totum Iobi sermonis argumentum aptissima est, in textu graeco et latino facile deprehendimus. Nodus solum in hebr. est, cum valde sit dubium, num *modus optativus* ibi agnosci possit, cum v. g. v. 18 לֹא יִפְנֶה scribatur et non אַל. At cum sensus *optativus* optime nexui et tenori orationis conveniat, et insuper auctoritas textus graeci et latini (*et Syrus?*) accedat, facile suspicari licebit, in textu masor. hoc quoque loco uti saepius vitium subesse, eumque ad normam certam versionis gr. et lat. esse exigendum.

Hisce igitur expositis primo quaestionem ponit Iobus, num improbo ruina subito ingruat? Dein indignatione commotus ei imprecatur ea, quibus impium affligi oporteat. Ita v. 18 « *Levis est super faciem aquae? maledicta sit pars eius in terra, nec ambulet per viam vinearum* »! — primum *interrogative* leginus; metaphora haec est : uti aquarum impetu res leviusculae celerrime abripiuntur (*Ol.*), ita improbus ruina subito est auferendus; cf. Os. 10, 7 *transire fecit Samaria regem suum quasi spumam super faciem aquae*. Acriter scil. et ironice Iobus quaerit ex amicis, num id, quod fieri fas est et ex illorum doctrina revera semper hisce in terris fit, reipsa in rerum cursu cernatur? Et statim, ne ipse improbis assentiri videatur, iis dira imprecatur, hac quoque re suam integritatem et virtutis existimationem ostendens. Impii scil. possessio sit maledicto obnoxia; et fas est, ut improbus iam non incedat per suas vineas; utinam ne eis fruatur, ne iam habeat, quas adeat! In hebr. *non se convertet ad viam vinearum*, est fortasse proverbialis locutio, uti *habitare sub vite sua et sub ficu sua* (3 Reg. 4, 25. Mich. 4, 4. Zach. 3, 10. 1 Mach. 14, 12) i. e. « nullam habeat impius partem in agris locisque frugiferis, non experiatur viae et vitae iucunditatem, sed semper ambulet per loca arida et inaquosa » (*Pin.*).

Porro eum devovet in hebr. v. 19 *siccitas et calor rapiunt aquas nivium*, ita *infernus (eos rapiat) qui peccaverunt* [1] (cf. *Mar. Malv. W. Zsch. P.*); imprecatio similis est Ps. 67, 3 *sicut fluit cera a facie ignis, sic pereant peccatores a facie Dei* (cf. *Pin.*). Alio modo *vulg.* v. 19 « *ad nimium calorem transeat ab aquis nivium, et usque ad inferos peccatum illius* »; — i. e. ab una calamitate rapiatur in aliam eamque acerbiorem, et usque ad inferos comitetur eum poena peccati (cf. *Cord. Tir.*), vel : per omnia poenarum genera rapiatur, quae ignis et aquae metaphora designantur (*Malv.*). Atque, ait, istae poenae nulla misericordia mitigentur : v. 20 « *obliviscatur eius misericordia; dulcedo illius vermes; non sit in recordatione sed conteratur quasi lignum infructuosum* » ! — « est poetica prosopopoeia quasi dicat : nemo eius misereatur, adeo ut ipsa misericordia videatur eius oblita, illique esse immisericors » (*Cord.*) ; auferantur ab ipso omnia, voluptates, vita, etc. ita ut nihil nisi foeda sepulchri corruptio et vermes ei relinquantur (cf. 17, 14), vel vermes in sepulchro pro vitae dulcedine succedant eique sint deliciae (*Mar. Men.*) ; memoria autem eius omnino oblivione obruatur, exscindatur ut arbor inutilis. In hebr. *obliviscatur eius vulva* (i. e. ipsa mater [2]), *dulcedo* (edulia [3]) *eius vermes, non memorabitur, sed frangetur sicut arbor iniquitas.*

Iure autem hisce diris est devovendus ; v. 21 « *pavit enim sterilem quae non parit et viduae bene non fecit* » ; — i. e. depavit, depastus est, spoliavit steriles, ope scil. filiorum et defensione destitutas, viduasque afflixit (cf. *Cod. Pin. Cord. Vav. Tir.*), est enim etiam in sermone classico *pascere* et *pasci* quandoque vastare, depopulari [4].

Praeterea ipsis etiam potentibus iniustitiam et iniuriam intulit v. 22 « *detraxit fortes in fortitudine sua. Et cum steterit, non credet vitae suae* » ; — i. e. vi et violentia fortes deiecit ; et simulac improbus iste *surgit* (hebr.) vel insurrexit in aliquem, vel quamdiu stat, nemo vitae suae securitatem habet, nemo de vita bene sperare potest (cf. *Mar. Malv. I. Vat. Caiet.*). Haec interpretatio et contextui et verbis apta est ; nam *credet* vel in universum sumi (homines credunt,

---

1. Eandem explicationem affert *de Rossi* a R. Immanuel propositam.

2. רֶחֶם cf. 10, 18. Ex. 13, 12. Num. 3, 12. Is. 46, 3. Vocem *S. Hier.* sensu translat accepit, qui plurali רַחֲמִים inest.

3. Ita *Fürst* L., cf. מְתֹק, מְתֶק dulcedo. Alii a *verbo* מָתַק, vel : eum gustant (eo delectantur) vermes (*Hirz. W. Del. Zsch.*), vel : corruptio eum dissolvit (*Hitz.*). Alii : dulcis ei est vermis (*Chald. Ros. Malv.*). *Syrus : surit* eos tinea (vermis); Syris enim et Arabibus מתק est sorbere, absumere, bibere (ita *S. Ephr.* ad h. l. et cf. *Bernstein*, Lex. Syr.), quam significationem forte etiam voci hebr. vindicare debemus (cf. *W.*).

4. Hebr. רָעָה explicabis, uti Mich. 5, 5, eadem ratione (*W. Hirz. Del. Zsch. P.*), cf. 20, 26; vel, quod aliis praeplacet, = רָעַע confringere, conterere (*Chald. Malv. I. Ros. Hitz.*).

uti germanicum *man*) vel ex oppositione et sententiae nexu ad *adversarium* pertinere, in quem insurrexerit improbus, sane ab indole linguae hebr. et *vulg.* nullo modo est alienum (cf. *Kaulen*, Handbuch z. Vulg. p. 192). Sententia vero sic concepta magis *improbitatem* effert, id quod Iobus h. l. certe vult, quam si cum *Vav.* explicamus : tantae est temeritatis, ut cum suae ipsius vitae periculo alios aggredi non dubitet.

Ad eundem sensum textus hebr. facillime refertur; est enim מָשַׁךְ *prendere, capere* (cf. infra 40, 20. Ps. 10, 9), *rapere, abripere* ad perniciem, mortem (cf. Ps. 28, 3. Ez. 32, 20) uti LXX vertunt κατέστρεψαν. Quare minime opus est, cum recentioribus alio prorsus sensu vertere : at (Deus) diu sustinet violentos vi sua; (talis) surgit, etsi iam non de vita bene speraverit (cf. *W. Del. Hirz. Zsch. P.*) i. e. saepe improbus ex instanti periculo servatur, et divina protectione peculiari modo frui videtur.

Culpa vero eius augetur, quia felicitate a Deo concessa abutitur; ita v. 23 illum *sensum* exprimit, quem multi iam in v. 22 secundum hebr. cernere volunt; v. 23 in hebr. *dat ei securitatem et fulcitur et oculi eius super viam eorum* i. e. etsi impius iniuste agat, tamen fruitur prosperitate; Deus eum protegit ; oculis quasi in viam illorum intentis eos a calamitate servare videtur. Vetus scil. est Iobi querela, impios quasi sub peculiari Dei tutela prospere agere. Effert id animo aegro et non sine exaggeratione, provocatus et exacerbatus argumentatione Eliphaz; est enim acriter disputantium hyperbolis non parcere. *Vulg.* sensum hebraei textus generatim reddit, at eum magis ad impii culpam augendam inflectit.

Insuper longanimitate Dei in malum abutitur v. 23 « *dedit ei Deus locum poenitentiae et ille abutitur eo in superbiam; oculi autem eius sunt in viis illius* » ; — i. e. et nihilominus talem Dei oculi protegunt et servant a calamitate. Bene *Pin.* notat, benignitatem Dei, sub qua homo impune sinatur vivere, securitatem et confidentiam eleganter vocari in hebr., vulgatum vero interpretem id spectasse, hanc impunitatem et quasi inducias suae iustitiae Deum concedere propter poenitentiam agendam.

Et quali demum morte impii abripiuntur? Minime ruinis illis horrificis, quas Eliphaz vaticinatur, sed omnium aliorum sorte communi immo facili utuntur ; ita v. 24 « *elevati sunt ad modicum et non subsistent et humiliabuntur sicut omnia et auferentur et sicut summitates spicarum conterentur* » ; — i. e. hebr. lege et interpunge *elevati sunt; brevi et non sunt*, q. d. post vitam felicem sine morbi diuturnitate mortem obeunt (cf. 21, 13), *decidunt* i. e. morte abripiuntur sicut omnes alii ; *sicut capita spicarum abscinduntur*, ipsa comparatio mortem facilem, celerem post aetatem maturam et bene valentem indicat (cf. *W. Hirz. Del. Zsch. P.*). Rem acu tetigit *Vav.* contra aliorum interpretationes haec scribens : « si praeter rem Iobum nolumus locutum, debet hoc velle, ut florentes et fortunati, licet im-

probi, integro saepe et stabili statu sint tota vita : qui tamen, sicut ceteri, concidant ad extremum et occumbant leto.... quamdiu vivunt, secundum habent prosperitatis cursum et illam ipsam mortem exitumque felicitatis non praecipuum habent sed communem cum ceteris. Quod ait : *sicut summitates spicarum* sic explicare licet, ut illos ipsos impios et fortunatos confecto vitae curriculo dicat tamquam maturas segetes in acervum proiici, ut supra 5, 26 ». Ultimum hoc etiam rite *Cod.*

Disceptationi Iobus victor finem imponit, fidenter ex suis quaerens adversariis : v. 25 « *quod si non est ita? quis me poterit arguere esse mentitum et ponere ante Deum verba mea* »? — primum iam membrum interrogationem in se conclusam continet; nam אִם potest esse particula interrogationis et h. l. sensus necessario est : *annon ita est*, uti dixi? *quis me mendacii convincet?* Nam nequit esse sensus: etiamsi res non ita eveniant, uti ego affirmo, tamen nemo potest me refutare [1]. Ergo etiam lat. *si* interrogationis particula h. l. esse debet, uti revera in *vulg.* non uno in loco occurrit (cf. Matth. 12, 10. Luc. 22, 49. *Kaulen*, Handbuch z. V. p. 211); proinde scribendum : si non est ita? *ponere ante Deum* i. e. et quis potest verba mea ad Dei tribunal deferre eaque accusare ut vane et mendaciter prolata?

Ita textus lat. (cf. *Pin. Sa, Mar. Men. Tir.*); sim. *Syrus;* verum textus mas. et iam LXX et *Chald.* non legunt לְאֵל (ad Deum), verum לְאַל *ad nihilum* εἰς οὐδὲν i. e. quis verba mea ponet in nihilum, orationem meam confutat, inanem esse demonstrabit (cf. *Mar. Vav. Cod. Malv. W. Zsch. P. Le Hir*)?

Nota. Quae sententiae de 24, 18-25 ferantur, paucis explicandum est. *Primo* enim aliqui v. 18-21 ironice a Iobo dici et amicorum sententiam referri censent, quibus a v. 22 suam et veram sententiam opponat (cf. *Hirz.*). At certe nullum eiusmodi oppositionis vestigium apparet ; id quod iam ex eo elucet, quod *secundo* alii *omnia* a v. 17-24 a Iobo ex amicorum mente afferri et perstringi putent, quae dein v. 25 brevi sed vehementer ab ipso reiecta negentur (cf. *Hitz*). Alii *tertio* duplicem malorum sortem hoc loco a Iobo asseri volunt; Iobum scil. iam concedere, impios quandoque puniri (v. 18-21) ; attamen id unum urgere, eos *non semper* debitas luere poenas, verum etiam saepe a Deo protegi, longa vita et prosperitate donari (v. 22-25. cf. *Malv. W. Del. Zsch.*). Demum *B.* omnia, quae intra 24, 4-25 includuntur, solo v. 9 excepto, aliunde desumpta esse nec primitus ad librum Iob pertinuisse, ipso argumento probari censet ; nam « deserticolae nec tam mali sunt, ut exemplum peccatorum impunitorum praebeant, nec tam boni,

1. Nam certe argutius : « vera quidem sunt, quae protuli; ceterum etsi longius a veritate exsularent, nemo vestrum vel aliorum hominum posset verba mea falsitatis arguere et tamquam falsa in divinum rapere tribunal » (*Cord.*). Quare non? Et num Iobus adeo insolenter et arroganter loqui censendus est? Minime vero!

ut pro typo iustorum oppressorum haberi possint » etc., quare hos versus ex libro gnomico de rerum cursu depromptos et perperam cum libro Iob coniunctos esse coniicit. At gratuito. Nam omnia illa optime cum argumento a Iobo tractato cohaerere, ipsa expositio supra data ostendit; describit enim Iobus, in quantum improbi tyrannidem exercent et ad qualem miseriam alios redigant. Cur id alienum sit a libri argumento, haud facile dixeris; v. 9 neque cum antecedentibus neque cum sequentibus cohaerere *B.* asserit. Sed fallitur. Nam de improbis tyrannis eo in versu agi, ipsa res clamat. Iam vero quid mirum, si Iobus *afflictorum* sorte depicta denuo ad *affligentes* sermonem convertat et ulterius delineet, quibus iniuriis alios opprimant? Ceterum hos versus nullo pacto esse avellendos, iam ea probant, quae in *arg.* diximus et quibus disputationis *progressum* ostendimus. Hisce autem explicatio proposita per ipsam suam facilitatem et cohaerentiam commendatur et vindicatur. Quid enim magis ad Iobi contra amicos disputantis mentem, quam impios impune grassari, licet boni eorum punitionem exoptent? et quo argumento illorum doctrinam efficacius evertit?

II. DISCEPTATIO CUM BALDAD. Cap. 25. 26.

1. SERMO A BALDAD HABITUS. CAP. 25.

Arg. — Postquam Iobus *adeo explicite* ad oculum demonstravit, impios saepe impune grassari, bonos opprimi, amicorum doctrina de retributione terrestri refutata est, refutatum quoque, Iobum ipsa calamitate ostendi improbum. Sed manet quod quaerebatur, cur demum Iobus malis sit afflictus. Baldad iam non habet, quid Iobo opponat, nisi ea repetit, quae de divina maiestate, potentia, sanctitate iam sunt dicta, et neminem coram Deo peccati esse immunem.

Cum igitur Baldad solum dicta denuo repetat et cum ex eo, quod nemo coram Deo sit naevi vel noxae expers, non sequatur Iobum secundum iustitiae normam merito tot ac tantis suppliciis conteri, ipsa haec brevissima oratio documento est, amicos Iobi esse ad silentium adactos, impares suae sententiae ulterius defendendae, impotes, qui Iobi fata explicent. Et hisce disputationis *progressus* simul declaratur. Notat *Ol.* : « Baldad, cum Iobi sermones refutare non posset, apologiam alio transfert eumque tamquam contra Deum insolenter se efferret ac de sua pietate superbe nimis gloriaretur, insectatur, mirabiliter quidem de Deo disserens, humanam autem naturam extenuans nihilque eorum quae purissima sunt, si cum divina puritate comparetur, purum esse affirmans ».

Neminem coram Deo summo esse a culpa immunem. Cap. 25.

Baldad orationis parti respondet, qua Iobus usus erat et in qua contendebat a Deo fretus innocentia, ut sibi liceret causam apud eum agere (*Vac.*). A qua fiducia ut eum dimoveat, maiestatem Dei incomparabilem et terrorem commemorat (cf. *Pin. Cord. Cod. Vac.*) : v. 2 « *Potestas et terror apud eum est, qui facit concordiam in sublimibus suis* » ; — i. e. omnia quae sunt in coelis ad consiliorum suorum effectus componit (*Men.*), ita ut illa ne minimum quidem ei obsistere et repugnare audeant, sed omnia se ei promptissime submittant ; sublimes spiritus (4, 18 ; 15, 15) ei obsecundant, stellae ad eius nutum summa concordia motus et revolutiones coelestes exsequuntur (cf. *Pin. Est.*) — et Iobus cum tali Deo contendere audet, non se afflictioni

divinitus immissae humillime subdit, ius suum sibi negari asserit! Quare ulterius Dei maiestatem describit : v. 3 « *numquid est numerus militum eius et super quem non surget lumen illius* » ? — *turmae* Dei certe quam latissime sumantur oportet : omnia scil. quibus Deus ad sua consilia exsequenda vel ad sedem suam exornandam atque cingendam utitur : proin angeli, stellae, fulgura, tempestates (cf. Ps. 103, 4). Bene enim *Malv.* : « plerique restringunt ad turmas exercitus angelorum; sed satius est universe de omnibus rebus creatis accipere, quae in ordines et classes distributae Deo militant et velut in statione sunt » (sim. *Pin. W. Zsch. P.*). Et haec omnia provida et benefica cura a Deo reguntur, eiusque bonorum et beneficiorum fruitione donantur; cf. Matth. 5, 45 *qui solem suum oriri facit...* ita *Malv.* Iam si omnibus *lumen* i. e. favor eius et bonum, quo sunt, illucescit, qualis erit ipse Deus horum omnium fons inexhaustus?

In hebr. *faciens pacem ;* censet *Zsch.* respici h. l. illam angelorum apostatarum rebellionem devictam ac superatam; alium in finem haec dici *Pin.* putat : Deum summa pace et tranquillitate frui, quod tam terrificam maiestatem nemo audeat interpellare, nemo tam beatam quietem interturbare, nemo Deo iubenti reclamare; vel ut Baldad dicat : non opus esse, ut Iobus tentet venire usque ad excelsum Dei solium; nam sublimem illum locum non esse strepitu forensi complendum ; vel cum Deus sit pacis auctor, si quando inimicitias agat (uti nunc cum Iobo), eum iure ac merito id facere.

Coram tali autem Deo quis mundus ac purus esse potest? v. 4 « *numquid iustificari potest homo comparatus Deo, aut apparere mundus natus de muliere* » ? — cf. 4, 17; 15, 14 ; reprehendit Iobum, quod tali Deo, qui lumine suo omnia lustret, suam velit demonstrare innocentiam (cf. *Pin.*). Confirmat rem a simili, vel potius argumento ducto a maiori, v. 5 « *ecce, luna etiam non splendet et stellae non sunt mundae in conspectu eius* ; v. 6 *quanto magis homo, putredo, et filius hominis, vermis* » ! — i. e. luna et stellae ad maioris luminis exortum, ad solis praesentiam obscurantur, deficiunt; unde multo magis earum claritas quasi obscuritas quaedam est immensitati divini luminis comparata (*S. Thom. Cord.*) ; et si nihil quod effectum est, neque illa quae pulcherrima censentur, coram suo auctore puritatem suam possunt gloriose ostentare, quanto minus homo putredini et vermibus coniunctus atque cognatus (ita *Pin.*). Hominis statum mortalem, corruptionem haud incongrue affert, ut eum in innocentia deficere concludat; aptissime ex Gen. 3, 19.

Huic orationi adhuc ea addenda esse censet *B.*, quae 27, 8-10. 13-23 leguntur, quia sententiam amicorum defendant et particulae *quia* (כִּי) in 28, 1 rationem logicam auferant. Insuper, quae Iobus contra Baldad disputat

(26, 2-4), longiorem sermonem et sententiam amicorum denuo defensam supponere forte quis cum *B.* existimaverit. Coniectura haec aliquo modo suaderi potest; nam revera ab admiratione quadam non abest et ab interpretibus non satis explicatur, cur Iobus cap. 27 amicorum sententiam de impiorum ruina terrestri ambabus manibus subito amplectatur. Quae difficultas utique facillime diluitur, si cum *B.* versus illos huic sermoni Baldad adnectamus casu quodam a sua sede avulsos et perperam locis alienis adscriptos. At *coniectura* est; tentandum infra suo loco erit, utrum versus illi ex mente Iobi dicti sint necne; vel an saltem *a Iobo* dicti suum ibi locum rite occupent.

Interea vero versus illos eo relinquimus loco, quem textus traditi summa concordia illis assignant; idque eo libentius, quia responsio Iobi, quae sequitur, solum *hanc brevem* orationem respicere nobis videtur. Quare ex hoc iam capite impedimur, quominus coniecturam illam amplectamur.

2. RESPONSIO A IOBO DATA. Cap. 26.

Arg. — Acri cum ironia Baldad orationem *brevem* ridet, quasi paucis verbis et nova plane sapientia egregium se praestitisset consolatorem et doctorem (26, 2-4). Dein Iobus ostendit, se minime institutione Baldad indigere, ut recte ac magnifice sentiat de Dei potentia et maiestate eamque revereatur. Quare ipse multo sublimius de Dei magnificentia disserit, per totam rerum creatarum seriem percurrens et Dei potentiam miris modis ubique cerni docens; illam scil. inferi, mundi machina, nubes, firmamentum, maria, coelumque sidereum praedicant — tantae sublimitatis obscura quaedam lineamenta (26, 5-14).

Disceptationis *progressus* in eo potissimum cernitur, quod Iobus quid de Deo sentiat uberius quam antea disserens, et impietatis accusationem sibi impactam feliciter refellit, et simul declarat, se ad Deum tam fidenter provocasse, non quasi de Dei maiestate non sublimissima quaeque sentiret, sed quia suae integritatis sibi conscius sit. Unde haec quoque oratio nos reddit certiores, qua religione, qua animi sensuumque celsitudine Iobus fuerit, quanta igitur admiratione et veneratione dignus sit.

a) Iobus interlocutorem ridet 26, 2-4.

Exagitat interlocutorem Baldad, quam praeclare adiuvandi et consolandi partes obierit et quid tandem illa oratio sibi velit: v. 2 « *Cuius adiutor es? numquid imbecillis? et sustentas brachium eius qui non est*

fortis »? — latini interpretes ita saepe explicant, quasi Baldad dicatur *Dei* partes male defendisse, Deum scil. minime tali egere vindice et defensore (cf. 13, 7). Id revera textus *vulg.* v. 4 suadere videtur et certe exigunt LXX et *vet. lat.* : « cui ades vel quem adiuturus es? nonne eum, cui multa virtus est et brachium forte? cui tu das consilium? nonne cui omnis est sapientia? vel quem sequeris? nonne eum, cui magna est fortitudo » ? Verum cum in hebr. proprie habeatur : *quantopere adiuvisti impotentiam, auxiliatus es brachio invalido*, v. 3 *quam consuluisti insipientiae* (non sapientiae, uti v. 2 non fortitudinem) *et prudentiam* (cf. 5, 12) *abunde indicasti?* v. 4 *cui annuntiasti verba? et cuius spiritus exiit a te ?* — iam *Vat. Eugub. Malv. IV. V. Cod. Calm.* et recentiores sententias ad Iobum referunt, quem infirmum, ope et consilio destitutum tam egregie consolatus sit et docuerit. Ironia haec eo magis apta est et interlocutorem pungit, quo *brevior* eius sermo fuerit, et quo magis ea tantum paucis protulerit, quae Iobo optime iam nota sunt. Unde v. 3 « *cui dedisti consilium? forsitan illi, qui non habet sapientiam? et prudentiam ostendisti plurimam* »? — i. e. *copiose*, alludere certo videtur ad *pauca* verba prolata; accedit quod Iobus in sua responsione (v. 5-14) ea tantum tangit, quae cap. 25 a Baldad dicta legimus; nihil vero de sorte impiorum; quare satis certum est contra *B.*, nihil illi sermoni esse addendum. Acerbam allusionem etiam v. 4 in hebr. prae se fert et consentiunt LXX et *vet. lat.* : « cui annuntiasti sermones aut spiramen cuius est quod exit a te »? i. e. ex cuius tu inspiratione loqueris, quis te ad dicenda ista animavit? num etiam tu ex superna revelatione loqueris, uti 4, 12? Aliud vulg. v. 4 « *quem docere voluisti? nonne eum qui fecit spiramentum* »? — si hic sensus genuinus foret[1], in sermone Baldad pars illa de sorte impiorum forte supponenda foret; nam tunc demum *explicite* Baldad posset dici Deum rerum omnium creatorem edocere (cf. 21, 22), si, quali sorte impii puniendi essent, latius proponeret. Nam ea, quae nunc cap. 25 dicere perhibetur, ad Deum docendum non referuntur, nisi quatenus Baldad suam doctrinam erroneam se retinere sua responsione satis quidem, sed indirecte prodit.

b) Dei sublimitatem magnifice effert 26, 5-14.

« Cum haec ad eum per irrisionem locutus fuisset, ad Dei potentiam stilum orationis convertit et ostendens se illo de Dei potentia rectius sentire, dicit » (*Chrys.*, sim. *Ol.*) : v. 5 « *Ecce gigantes*

1. Nam nimis artificiose *Pin.* verba hebr. ad eundem sensum trahere conatur explicans : tu lo quens uteris spiramento a Deo tibi dato. — Potius concedendum erit, latinam versionem nec textui hebr. nec contextui congruere.

gemunt sub aquis et qui habitant cum eis ; v. 6 *nudus est infernus coram illo et nullum est operimentum perditioni* » ; — Baldad inceperat *a sublimibus* (25, 2) ; Iobus *ab inferis*, usque adeo scil. extendi Dei potentiam, cum maius videatur terrorem incutere usque ad ima, quam pacem facere in suo quasi habitaculo. רְפָאִים dicuntur tribus antiqua, olim Palaestinae incolae (cf. Gen. 14, 5 ; 15, 20. Deut. 3, 11. Ios. 12, 4 etc.) qui cum staturae procerae essent, sicut Emim, Zamzummim, facile *gigantes* nominari poterant ; sed idem de *mortuis* dicitur, v. g. Prov. 2, 18 quo in loco *vulg.* bene vertit *inferos;* illi autem רְפָאִים i. e. debiles, flaccidi, quieti nominantur, quia *Scheol* generatim tamquam regio quietis, oblivionis, otii describitur (cf. Ps. 93, 17 ; 113, 17 ; 87, 12. 13 [1]. Prov. 15, 11. Is. 38, 18). *Mortuos* h. l. intelligi in aperto est (cf. *Cod. Vav. Gord. W. Zsch. P. Le Hir*). Si retinere volueris *gigantes,* explica de terrore et horrore, quem manes incutere solent hominibus [2]. Dicuntur *gemere*, tremere, terrore concuti, Dei potentiam pertimescere ; *sub aquis*, in regione submarina, in ima terrae parte, ubi Scheol collocatur. In hebr. *gemunt sub aquis et habitatoribus earum* i. e. marium. Dei enim potentia inferorum locum intime pervadit ; hoc v. 6 docet : locum mortis et interitus scil. apertum iacere coram oculis Dei omni velamine ablato ; id scil. quod homini maxime est opertum, ignotum, remotum, notum est ac plane apertum Deo atque proximum.

Ab inferis Iobus nos ducit ad Dei potentiam admirandam in ipsa molis mundanae constitutione : v. 7 « *qui extendit aquilonem super vacuum et appendit terram super nihilum* » ; — i. e. qui extendit (cf. 9, 9) aquilonarem coeli partem, totum hemisphaerium nostrum, polum praecipue arcticum *super vacuum :* i. e. coelum septentrionale quod unum nos cernimus integrum, expansum est super capita nostra nullo innixum fundamento, sed Dei voluntate suffultum. De eo esse sermonem (cf. *Pin. Tir. Cord. Vav. Cod. Sa, Malv. Del. P.*), et non de terrae parte aquilonari elucet ex verbo *extendere*, cf. Ps. 103, 2. Is. 40, 22, et ex *terrae* in altero membro mentione, quia vix probabile est (quod alii volunt, cf. *W. Zsch. Hitz.*) totum globum terrestrem tum demum memorari, postquam partis aquilona-

---

1. Verbum רָפָא *sanare* miram illam versionem peperit, quam Ps. 87, 11 apud LXX et in *vulg.* legimus : nunquid mortuis facies mirabilia, aut *medici* suscitabunt et confitebuntur tibi ? pro : *inferorum incolae*. — Ex cod. syr. hexapl. apparet, *Aq.* vocem Ῥαφαείμ retinuisse ; *Sym.* vero θεομάχοι transtulisse ; ex qua versione forte etiam fluxit S. Hier. translatio *gigantes*.

2. Alii vel de gigantibus explicant tempore diluvii oppressis (*Ol. Barh. S. Thom. Cord. Tir.*), vel de belluis marinis (cf. *Pin. Men.*), vel de daemonibus (*Sa*).

ris eiusdem globi mentio facta sit. Terram dicit suis ponderibus appensam veluti nihilo niti, ut Dei potentia rebus stabile fundamentum praebentis et fulcrum illustrior cernatur et hebetes quoque mentes tantae molis libratione perculsae eam revereantur.

Postquam mundi machinae partes praecipuas, polum stelliferum et terram, insigne potentissimi Dei documentum in medium protulit, iam ex mole hac aliqua magis consideranda proponit, atque primo nubes : v. 8 « *qui ligat aquas in nubibus suis, ut non erumpant pariter deorsum* » : — aquas veluti in receptacula colligit easque nubibus veluti utribus includit, quae tanto pondere pressae tamen *non diffinduntur* (hebr.), sed aquas retinent, donec illas Dei iussu guttatim per pluvias salutares effundant; sunt enim *Dei* nubes (cf. Gen. 1, 6. 7), in quibus Dei providentiam cerni et potentiam saepius docemur (cf. Ps. 103, 3. Ier. 10, 13). Dein id quod supra nubes cernitur, firmamentum commemorat : v. 9 « *qui tenet vultum solii sui et expandit super illud nebulam suam* » ; — coelum Dei sedes est (Is. 66, 1), ut bene notat *S. Thom.*, unde vultus divini solii est coeli conspectus visibilis (cf. *Cord. Men.*), quasi frons et superficies coeli (*Vav.*); illud autem continet, firmat et in illa superficie pro lubitu nubes expandit. Splendor proinde firmamenti quasi relucentia quaedam est coelestis Dei throni proiecta in terram et veluti umbra veri Dei solii in coelorum penetralibus collocati. Immensam vero coeli superficiem de repente nubibus obtegi et involvi, ad Dei maiestatis reverentiam hominum animis incutiendam valet.

Aliud divinae providentiae documentum est, quod rebus suam cuique provinciam assignavit et intra suos quamque limites continet ; ita v. 10 in hebr. *limitem circinavit super faciem aquarum* (terminum descripsit, vel termino circumscripsit aquas), *usque ad summam perfectionem* (i. e. exactissime) *luci cum tenebris* (scil. limitem descripsit) i. e. aquas suo loco et ordine continet conclusas ; neque opus est cum plerisque veterum de solis aquis maris rem explicare, quibus legem ponebat, ne transirent fines suos (cf. Prov. 8, 29. Ier. 5, 22. Ps. 103, 9. Iob 38, 10. 22), sed aquae etiam *superiores* certa lege circumseptae intelliguntur (cf. Gen. 1, 6. 7). Ab hac aquarum discretione ascendit Iobus ad lucis et tenebrarum distinctionem (Gen. 1, 4. 5) et unicuique suos terminos accurate definitos esse affirmat ; miratur scil. noctis ac diei vicissitudinem certo ordine sine ulla perturbatione perpetuo succedentem [1]. .

Textus lat. v. 10 « *terminum circumdedit aquis, usque dum finian-*

1. De voce תַּכְלִית cf. 11, 7. 8.

tur lux et tenebrae »; — illam aquarum certa lege circumscriptionem perpetuam fore, quamdiu dies et nox circa terram suos agent giros, indicat (cf. *Cord. Mar. Pin.*) ; cf. Ier. 31, 35.

Iam haec mundi machina non tantum sua conditione certisque legibus Dei potentiam annuntiat, verum etiam alia ratione terroris divini praeco est : v. 11 « *columnae coeli contremiscunt et pavent ad nutum eius* » ; — hebr. *et horrent ab increpatione* [1] *eius* i. e. « firmamenta contremiscunt tonitruis, fulguribus et orbis concussione ; tum enim videntur columnae huius universi vacillare orbisque totus quasi loco commoveri atque subverti » (*Cord.*). Varie *columnas coeli* explicant, vel eam coeli vim, quae valido nexu omnia liget, contineat, servet, coelum igitur ipsum solidum ac stabile, vel montes tamquam sustinentes vel fulcientes coelum, quibus scil. inniti videatur (cf. *Pin. Cord. Malv. Men. Calm.*) ; ceterum bene monet *Cod.* non esse anxie quaerendum, quae sint, nam haec metaphorice esse dicta, atque (ut ait *Vav.*) ex vulgi opinione, a qua columnae coelo tamquam aedificio tribuuntur. Quod de *angelis* multi, h. l. abs re est.

Eandem Dei potentiam maria experiuntur : v. 12 « *in fortitudine illius maria congregata sunt et prudentia eius percussit superbum* » ; — in hebr. *concitat mare ;* apte prudentiae, sapientiae mentionem inserit, indicans Dei potentiam sapientia dirigi et ad prudentiae consilia exseri ; רָהַב cf. 9, 13 ; iure h. l. explicant : mare superbum ac tumens coercet, ferociam eius quasi frenis iniectis compescit (cf. *Cord. Cod. Mar. Sa, Malv. Men. Tir.*) [2]. Proinde *providam* ac benignam Dei potentiam designat. Hanc porro absolvit rediens ad *sublimia*, a quibus Baldad exorsus erat, imagine iucunda pulcherrimae maiestatis et magnificentiae : v. 13 « *spiritus eius ornavit coelos et obstetricante manu eius eductus est coluber tortuosus* » ; — opus designat quartae diei (cf. Gen. 1,14-19. *Pin.*). In hebr. *per spiritum suum* (i. e. vim illam ordinatricem, quae ferebatur super chaos et rudem molem ad ordinem et pulchritudinem formavit) *coeli* (sunt) *decus* [3], *formavit* [4] *manus eius serpentem fugacem* ; vel uti *vulg.*

---

1. Increpatio גַּעֲרָה de tonitru adhibetur (cf. Ps. 104, 7. Is. 50, 2. Nah. 1, 4).

2. *Sym.* συγχλᾷ ἀλαζονείαν. LXX κῆτος ; monstra igitur marina a sapiente Deo compesci, ne ferocia sua et viribus ingentibus perniciem mortalibus afferant.

3. i. e. שִׁפְרָה ut nomen (cf. Ex. 1, 15 ; *Fürst* L.) ; alii verbum in piel explicantes vel רוּחַ supplent *spiritus Dei ornavit coelos* (cf. *W.*) vel ex altero membro יָד *manus eius ornavit coelos.* Alii *splendorem* de coeli serenitate intelligunt, ieiune et post allusiones alias ad Gen. 1 satis frigide.

4. חִלָּלָה polel a חוּל parere, formare cf. Deut. 32, 18. Ps. 90, 2 ; quare *vulg.* sensum pulcherrime reddidit.

sensum optime expressit : natus est manu Domini agente officium obstetricis et extrahentis eum, utique ex nihilo. Draconem istum illustre esse coelorum ornamentum, lex membri paralleli omnino suadet. Iam qualis censenda sit *constellatio*, valde incertum est. Censet *Var.* ita vocari serpentem, qui ambas ursas amplectitur ; *Cod.* sententiae R. Levi Gersonitae subscribit : « est species serpentis quae videtur ambiens in sphaera stellarum estque *circulus lacteus* » ; alii zodiacum esse putant, qui obliquus est et illustribus distinguitur signis, vel sidus hydrae, quod est ingens et maxime tortuosum iuxta leonem (cf. *Cord.*). Recentiores sidus draconis iuxta ursam minorem et polum arcticum intelligunt (cf. *W. Zsch. P. Le Hir* et cum variis locis aliorum *Ros.*).

LXX et *Syrus* vertunt : *interfecit* manus eius (i. e. חֹלָלָה poel a חלל vulnerare, confodere), et hoc etiam recentiores multi sequuntur (cf. *Hirz. Del. Hitz.*), varia ex aliorum populorum opinionibus fabulantes de dracone coelesti, qui solem devorare conetur, sed a Deo vulnere inflicto, ut desistat, cogatur. At hae naeniae sunt, nulloque vestigio talia apud Hebraeos in vulgi opinione esse posita probari potest, quare prorsus immerito hoc loco explanationis gratia usurpantur. Obscurum est additamentum בָּרִחַ [1] *fugitivus, fugax;* fortasse epitheton est a serpente variis sinibus se movente desumptum et ad varios sideris meatus et sinus translatum; quem sensum optime exprimit *coluber tortuosus.* Nam quod alii volunt de fulguribus fieri mentionem (cf. *Pin.*), prorsus a contextu exsulare videtur.

Coeli ornatu et sidere lucidissimo Iobus Dei maiestatis descriptionem absolvit magnifice, etiam magnificentius subdit : v. 14 « *ecce haec ex parte dicta sunt viarum eius ; et cum vix parvam stillam sermonis eius audierimus, quis poterit tonitruum magnitudinis illius intueri* »? — i. e. haec quae attigi, parva quaedem lineamenta sunt et debilis quaedam adumbratio ; in hebr. *ecce haec extrema viarum eius* i. e. parvae particulae tantum sunt ab *extremis* Dei actionibus delibatae, ad *intimam* rerum divinarum scientiam penetrare non valemus (cf. *Cod.*). Opera illa grandia, quae delineavit, exilis tantum et tenuis quaedam vox, lenis quidam susurrus sunt. Iam si illa nos admiratione percellunt, quid demum censendum de divina potentia, quae comparatione instituta cum illis est veluti tonitruum fragor? [2].

Insigni sane modo se habere excellentiam Dei perspectam Iobus

---

1. *B.* ex metri ratione בָּרִיחַ legendum esse dicit, uti revera *Hier.* habet Is. 27, 1 serpentem *vectem*, et *Aq.* ὄφιν μόχλον ; *Sym.* ὄφιν συγκλείοντα.

2. In hebr. *et quam exiguum verbum quod audimus de eo* (cf. *Cod. Malv.*) vel *quam tenuis susurrus verbi, et tonitru roboris eius quis intelliget? Sym.* ψιθύρισμα τῶν λόγων αὐτοῦ.

hisce profitetur. Quid iam amici talem criminis convincere tentant proposita Dei potentia, quam ipse et sublimius describit et intime reveretur? Baldad post pauca verba obmutuit; Iobus argumentum sermonis contra se prolatum pro se arripit idque felicissime prosequitur, arma adversariis eripiens, victor egregius!

IV. IOBI EPINICION

Cap. 27-31.

Responsione data, « non est dubium, quin Iobus hic interquieverit paululum exspectaritque, quam mox Sophar, cuius erant eae partes, loqueretur ; qui cum obmutuisset omnino, perrexit Iobus aliquamdiu (hoc est duobus capitibus) loqui ac rursum moram interposuit aliquam, si quis forte trium responsi aliquid praeterea daret. Quod cum non obtinuisset, tribus capitibus orationem conclusit suam ac tandem peroravit » (*Vav.*).

Iam ex brevissima oratione Baldad (cap. 25) argumentique repetitione concludendum erat, triumvirorum disceptationem ultimum, ut ita dicam, halitum ducere. Penitus exspiravit, cum non habeant, quid respondeant. Invicte enim Iobus ostendit eorum doctrinam non uno vitio laborare, invicte probavit se non esse hominem improbum. Unde silentibus triumviris Iobus interea victor in arena consistit et praeclaro epinicio secum ipse meditans suam ulterius causam tuetur atque illustrat.

1. pars. cap. 27-28.

Arg. — Sollemni modo et graviter denuo suam affirmat innocentiam, innixus conscientiae testimonio et illa, quam in se experitur, Dei fiducia et sancta quadam alacritate ; talia enim impios minime comitari (27, 1-10). Dein amicos monendos atque dedocendos suscipit. Et primo quidem eos reprehendit, quod ad rerum cursum diiudicandum doctrinam proposuerint vanam, insufficientem, fallacem : quasi filiis orbari, spoliari fortunis, obrui calamitatibus eveniat *solis* et *omnibus* impiis (27,14-23). Tum homini deesse exponit illam sapientiam, quae ad rerum administrationem quae a Deo fiat rite diiudicandam necessaria sit : hominem quidem ingenio, arte, industria plurimum valere ; testes esse metallorum fodinas et miras illas viscerum terrestrium perscrutationes tanta cum sagacitate factas — (28,1-11) ; at haec omnia minime valere ad *veram sapientiam* attingendam ; quae in terra non inveniatur, nullo pretio soluto acquiratur, soli Deo per se suaque vi sit nota. Unum homini esse propositum, in quo totius vitae cardo vertatur : *Deum timere et recedere a malo* (28,12-28).

a) Se innocentem sollemniter protestatur 27, 1-10.

Adversariis tacentibus : v. 1 « *Addidit quoque Iob, assumens parabolam suam, et dixit* » ; — i. e. perrexit proferre sermonem sententiis gravibus, exemplis, apophthegmatis, figuris illustrem ; talem enim orationem viro sapiente dignam מָשָׁל significat ; hanc *attollere* dicitur, quasi maiore vi ac fiducia ac voce elata in aures aliorum infundere. Maiorem iam animi vigorem, immo et vocem victoria parta elatiorem sollemnis indicare videtur et iuramento confirmata protestatio : v. 2 « *vivit Deus, qui abstulit iudicium meum, et Omnipotens qui ad amaritudinem adduxit animam meam*, v. 3 *quia, donec superest halitus in me et spiritus Dei in naribus meis*, v. 4 *non loquentur labia mea iniquitatem nec lingua mea meditabitur mendacium* » ; — bene *Vav* : « auferre iudicium est nullam habere allegationum praesidiorumque rationem, quae quis pro causa sua adducat in medium, nec purgandi sui locum relinquere [1]. Quocirca *qui abstulit iudicium meum*, is est, qui meo me iure privavit, sive quod vexavit praeter meritum, sive quod locum mihi defensionis non dedit, sive quod gravissimis iustissimisque querelis meis nihil commotus est ». Audaciorem loquendi modum *Estius* censet (uti 10,3 ; 19,6) Iobumque propterea tandem reprehensum a Deo. In hebr. v. 3 *quia totus adhuc halitus in me*, sed sensus idem est, quem *vulg.* expressit [2], i. e. cum adhuc sim inter vivos et vitae munere fruar (cf. 2 Reg. 1,9), innocentiam meam denuo testatam volo ; nam timet, ne mox morte abreptus non possit ultra illam coram amicis defendere (cf. *Ol. S. Thom. Pin. W.*). *Spiritus Dei* i. e. spiraculum vitae (*Barh.*), a Deo datum cf. Gen. 2,7. Quod alii volunt, Iobum id dicere cum quadam insolentia, se satis virium et roboris habere, ut causam suam tueatur ; se nondum ita viribus destitutum, ut tacite animum submittat (cf. *Hirz. Hitz.*), gratuito asseritur, immo contra locutionem 2 Reg. 1, 9 usurpatam *adhuc tota anima in me est* i. e. adhuc vivo, quamvis mori cupiam. — Iam quod iuramenti religione — qua sollemnitate hucusque nondum usus erat — affirmat, primo in universum annuntiat : se semper veri iustique partes tueri : at quid speciatim iniquitate et mendacio quod exsecratur, intelligat, explicat v. 5 « *absit a me, ut iustos vos esse iudicem ; donec deficiam, non recedam ab innocentia mea* » ; — i. e. ut vestram sententiam approbem, me fatear sontem, nunquam committam : « est enim hoc iustos vos pronunciare, qui iudicastis, et suscipere crimen, agnoscere, confiteri, a quo ego

1. Sym. ὃς παρεῖδε τὴν κρίσιν μου.
2. *Sym.* etiam habet μέχρις οὗ ἡ ἀναπνοή μου ἐν ἐμοί.

longe absum; quare neque unquam assentiar vobis, neque ipse a sententia mea discedam, aut omnino causam meam tueri desistam » (*Vav.*). Idque denuo repetit conscientiae testimonio innixus; v. 6 « *iustificationem meam, quam coepi tenere, non deseram; neque enim reprehendit me cor meum in omni vita mea* »; — sensum bene expressit *vulg.*; in hebr. *iustitiam meam tenebo et non dimittam eam* i. e. nunquam fatebor culpam, in qua non sum (*Vav.*), nunquam meo silentio comprobabo, me integritati defuisse; *non reprehendit cor meum* (unum) *ex diebus meis*; ab eiusmodi sceleribus, quae Eliphaz obiecerat, se immunem scit. Idque confirmat v. 7 « *sit ut impius inimicus meus et adversarius meus quasi iniquus* »; — i. e. causa cadant in iudicio, qui contra me insurgunt, innocentiam meam oppugnantes; illi potius iniqui et iniuriae illatae condemnati habendi sunt, qui me impium calumniantur (cf. *S. Thom. Cord. Malv.*) vel, ut quis me impium pronuntiet, ipse potius impius sit oportet; nemo enim nisi impius mihi poterit adversari (*Vav. Del. Zsch.*).

Alii: sint inimici mei impii, ego saltem non sum (*Hirz.*); sed id satis frigidum. Melius, quod inter alia *Pin.* indicat: ego tam longe absum ab impietatis studio, ut neque mihi neque amicis meis, quibus bene velim, optem ullos impietatis fructus; hos certe percipiant hostes mei, quibus aliquid funestius quod imprecer non habeo (et approbat *Olshausen*).

Uti modo (v. 6) ad conscientiae testimonium provocavit, ita nunc hanc conscientiae integritatem cerni et manifestari asserit in ipsa illa summa confidentia, qua in Deum se ferri toties professus sit; quare adversarii ex eius agendi loquendique ratione et spe illa firma concludere debuerant, eum non esse impium. Bene ad sequentes versus gradum facit *Tir.*: « si impius fuissem, quomodo potuissem tam constanter in Deum sperare quod tamen me perpetuo fecisse, vos ipsi testes estis ». Ita v. 8 in hebr. *quae est enim spes impii, quando abscindit, quando extrahit Deus animam eius* (cf. *W. Zsch. P. Le Hir* et partim iam *Mar. Cord. Cod. Malv.*) i. e. si Deus vitam eius abscindet (cf. Is. 38,12 *praecisa est velut a texente vita mea*: *dum adhuc ordirer, succidit me*) et altera comparatione: si Deus animam quasi e vagina corporis extrahet (cf. Dan. 7,15 in chald. *contristatus est spiritus meus in medio vaginae*); utraque comparatio mortem violentam dicit; impius in flagitio a Deo vindice deprehensus et mulctatus, scelerum conscius et conscientiae terroribus agitatus, non potest tanta constantia in Deum sperare, uti Iobus sperat. Ad eundem sensum accedit *vulg.* [1].

1. Solum בָּצַע, quod 6, 9 optime transtulit *succidere* (idem Is. 38, 12), hoc loco cognata significatione, eaque frequenti, *abripere, diripere* accepit et ad impium transtulit; alterum membrum ad sensum expressit similem.

V. 8 « *quae est enim spes hypocritae, si avare rapiat et non liberet Deus animam eius* » ? — i. e. qui cum Deum infensum habeat, ab illo impendentis mali nullum obtinebit effugium (*Cord. Pin. Vav. Calm.*).

« Accidet enim illis, quod de Antiocho dicitur 2 Mach. 9,13 : *orabat scelestus Dominum, a quo non esset misericordiam consecuturus* ; nam impii timore tantum supplicii moventur, non odio sceleris quod amant » (*Men.*). Ita v. 9 « *numquid Deus audiet clamorem eius, cum venerit super eum angustia* ? v. 10 *aut poterit in Omnipotente delectari et invocare Deum omni tempore* »? — i. e. iusti sperant tempore necessitatis orationes exauditum iri ; ab hac spe excluduntur impii, iusti cum gaudio et delectatione Deum testem et vindicem invocant, Dei laude delectantur ; at impii ab ista delectatione longe absunt (cf. *S. Thom.*). Tali spe se fulciri iam 13, 16 ; 19, 26 indicaverat. Unde totus eius agendi modus talis est, qualis longissime absit ab omni improbitate. Hisce Iobus simul docet, *quomodo putet se versatum esse in suppliciis* : quare ista ad mores Iobi diiudicandos plurimum referunt, atque iterum erroris arguunt Iobi calumniatores.

b) Amicorum doctrinam esse mancam 27, 11-23.

Iam integritate sua asserta et probata amicos a falsa opinione retrahere studet ; unde v. 11 « *Docebo vos per manum Dei, quae Omnipotens habeat, nec abscondam* » ; — amicos scil. de rerum gubernatione divina valde anguste et falso iudicare indicat, quia unum dumtaxat modum a Deo adhiberi censent scil. recompensationis terrestris, qua miseria et culpa nexu intimo semper inter se colligentur. Quare ope Dei exponere vult, quae sint apud Omnipotentem (cf. *S. Thom. Cord. Mar. Men. Tir.*). Hebr. בְּיַד commode explicari potest *de manu Dei*, i. e. de actione, de modo agendi et gubernandi [1].

Et hoc fere modo habent LXX et *vet. lat.* : « annuntiabo vobis quid sit in manu Domini » i. e. quid disponat Deus (*Aug.*), quam ille agendi rationem servet (*Pin. Malv.*).

Unam scil. quam adversarii Deo semper adscripserint rationem illam non sufficere ad rerum cursum explanandum, in aperto est ; quare v. 12 « *ecce vos omnes nostis et quid sine causa vana loquimini* »? — ipsi id fateri debent, et Iobus satis rem evicit (cf. 9, 22 ; 12, 6 et seq. 13, 4 ; 16, 18 ; 19, 6 ; 21, 7 seq. 23, 13) ; « ideoque maiori reprehensione digni estis, quod haec scientes tam vana et falsa dogmata proponitis et prorsus evanescitis tam inique sentiendo et

1. Coniungitur enim הוֹרָה cum בְּ cf. Ps. 25, 8. 12 ; 32, 8. Prov. 4, 11 (cf. *Ros. Hirz. W. Del. Zsch. P.*). *Le Hir* vertit : je vous enseignerai les conduites de Dieu.

iudicando de mea miseria Deique providentia » (*Cord.*). In hebr. proprie est : *et ad quid hoc vanum vane loquimini?*

Iam quid sit *hoc vanum*, explicat a v. 13-23, referens adversariorum sententiam de sorte impiorum. Ita nexus facilis, obvius, ipsa illa interrogatione indicatus et optime cohaerens cum omnibus, quae hucusque ab utraque parte disputata sunt. Verum est paucos hunc nexum vel vidisse vel agnovisse. *Pin.* tamen scribit : « certe verisimile est ex aliorum sententia proferri, id quod nonnulli observarunt, ita ut, quae amici hucusque disseruerunt de temporalibus impiorum suppliciis, repetat Iob quasi nimium importune ab illis obiecta et inculcata ». Immo iam *exp. in.* idem indicare videtur : « ac si diceret haec quae sequuntur, impii et violenti *non modo* (uti adversarii volunt), sed in futuro iudicio ab omnipotente Deo percipient ». Etiam *Gord.* huius nexus mentionem iniicit : « existimant aliqui, Iobum hic loqui ex amicorum sententia »; approbat saltem ad v. 13 *Cod.* ex recentioribus *Hitz.* cum sequitur. Eundem nexum nos amplectimur, eo libentius, quia Iobus *ipsissimis amicorum verbis* orditur v. 13 « *haec est pars hominis impii apud Deum et hereditas violentorum, quam ab Omnipotente suscipient* »; — cf. 20, 29 sunt fere verba Sophar.

Iam hanc sortem delineat : orbatur impius posteritate, quae gladio, fame, peste interimetur; v. 14 « *si multiplicati fuerint filii eius, in gladio erunt, et nepotes eius non saturabuntur pane;* v. 15 *qui reliqui fuerint ex eo, sepelientur in interitu et viduae illius non plorabunt* »; — hebr. *si multiplicati fuerint...,* לְ[1] *gladium;* emphatice per aposiopesin, scil. destinati sunt; *sepelientur per mortem* i. e. peste interibunt (cf. Ier. 15, 2; 14, 12; 18, 21. *Pin. Malv. IV. Men. W. Hirz. Del. Zsch. P.*). Vim *Vat.* bene expendit : « mors illos sua sepeliet, nihil praeterea supremi honoris consecuturos. Vult enim eis mortem futuram pro sepultura, quasi qui inhumati proiicientur aut iaceant sane inopes et infleti, quorum interitum honore sepulturae affines, cognati, ipsae coniuges, qua necessitudine nullum coniunctionis arctius vinculum, carere patiantur » (sim. *Hitz.*). Aliter *Cod.* : « mortem illis esse sepulturam, quippe qui vel obruantur, vel mergantur, vel devorentur, vel absorbeantur; quamquam hic ex amicorum sententia loquatur vir sanctus »; verum iam *Chald. pesti* (בּוֹתָא), quae etiam Ap. 6, 8 θάνατος dicitur, calculum adiecit. Uxores eorum vel viduae non plorabunt, non lugebunt mortuos, quos vivos odio habebant; vel indicat mortem adeo fore infamem et ignominiosam (*Cod.*).

Porro bonis et fortunis non fruetur (v. 16-19), sed illa transferri con-

1. לְמוֹ proprium est huic libro; cf. 29, 21; 38, 40; 40, 4; est idem ac ל simplex.

spiciet in usum bonorum, ut male parta bene impendantur (*Cord.*). Ita v. 16 « *si comportaverit quasi terram argentum et sicut lutum praeparaverit vestimenta*; v. 17 *praeparabit quidem, sed iustus vestietur illis et argentum innocens dividet* »; — hebr. *si coacervaverit sicut pulverem argentum*, proverbialis est hyperbole, ut germanicum *steinreich*. Omnia demum sunt labilia, fragilia; v. 18 « *aedificavit sicut tinea domum suam et sicut custos fecit umbraculum* »; — cf. 4, 19; 13, 28; 8, 14. Bene *Var.* : « aedificium improborum non stabile atque certum, nec mansurum, quod similitudine ostenditur duplici. Primum, tinea domum sibi parat rodendo, quo nihil fragilius magisque ruinosum. Deinde custos sive gregis seu pomorum subitarium aliquid excitat servandi causa, ad breve exiguumque tempus duraturum, attegias, vel tugurium[1] ».

Fragilis illa impii domus ac possessio subito, inexspectato corruet; ita v. 19 in hebr. *dives decumbit et non aufertur* (aliquid; i. e. dum adhuc nulla careat re; cf. *W. Hitz. P.*); *oculos suos aperit et nihil adest*[2]. Simile quid ex versione vulg. colligitur : v. 19 « *dives cum dormierit, nihil secum auferet; aperiet oculos suos et nihil inveniet* »; — cf. Ps. 75, 6 *dormierunt somnum suum et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis;* etsi oculis et desiderio divitias suas devorare ac retinere anhelat, tamen fallaces et fugaces citissime elabuntur.

Tandem ipse variis suppliciis cruciabitur; v. 20 « *apprehendet eum quasi aqua inopia, nocte opprimet eum tempestas* ; v. 21 *tollet eum ventus urens et auferet et velut turbo rapiet eum de loco suo* »; — in hebr. *apprehendent eum sicut aquae terrores;* irruent, inundabunt super eum; *nocte* i. e. dum secure se quiescere putat, subito, insperato, et maiore cum formidine, quia tenebrae augent horrorem et timorem. In hebr. v. 21 *tollet eum ventus orientalis et peribit* (cf. 14, 20; 19, 20) קָדִים bene S. Hier. *ventum urentem* explicuit; est enim, ut LXX habent καύσων, ventus ille pestifer, quem Arabes *Samum* vocant (cf. *Bos. W.*).

---

1. Cum LXX habeant ὥσπερ σητός, ὥσπερ ἀράχνη, aliqui censent in textu hebr. pro עָשׁ esse rescribendum עַכָּבִישׁ *sicut aranea* (cf. *Hitz. B.* qui *absurde* tineam legi opinatur, cum tineae domus non aedificent; sed in rebus putridis et ruinosis habitant et facile excutiuntur, id quod ad similitudinem abunde sufficit; cf. *Pin. Cord. Cod.*).

2. Alii sequentes lectionem LXX et *Syri* יוֹסִיף = יֹאסֵף « dives decumbit et non iterum id faciet » (*Hirz. Del. Zsch.*); minime placet explicatio de *morte* impii, quam multi sequuntur (cf. *Pin. Malv. Mar.*), quia in subsequentibus variae calamitates quibus affligendus sit impius, enumerantur, hic ergo mentio mortis ordinem interturbat. *S. Heer.* legit יֹאסַף.

Et in hac procella Deus ipse tela sua super impium mittet : v. 22 « *et mittet super eum et non parcet; de manu eius fugiens fugiet* » ; — cf. 6, 4 ; Ps. 17, 15. Deus sine ulla misericordia addet flagella flagellis ; conabitur fugere sed non effugiet manum Dei percutientem ; vel huc illuc fuga dilabi et se proripere studebit ; vel optime : manu Dei percussus celerrime agitabitur vehementia ictuum propulsus (cf. *Pin. Vav. Cord. Mar. W. P.*).

Denique impium e sede et conditione deiectum irrisio et ignominia sequitur ; v. 23 « *stringet super eum manus suas et sibilabit super eum intuens locum eius* » ; — i. e. plaudunt et gaudent reliqui de interitu eius ; ita plerique (*S. Thom. Vav. Cod. Mar. Malv. Tir. Sa, W. Del. Hirz. Hitz. Zsch. P. Le Hir*). Alii tamen de Deo intelligunt, uti dicitur Prov. 1, 26 *ego quoque in interitu vestro ridebo et subsannabo* (cf. *Phil. Ol. Pin. Cord. Men.*) ; et ad hoc magis congruit [1] hebr. *exsibilat eum* (cum irrisione deturbat) *de loco suo* (*Malv. III.*).

Uti haec descriptio orditur a verbis Sophar, ita etiam haud pauca occurrunt, quae interlocutorum sermones plus minusve redolent, ita ut hac etiam re confirmetur Iobum e sententia amicorum loqui ; cf. 4, 9. 20. 21 ; 8, 4. 14. 18 ; 11, 16. 20 ; 15, 20-35 ; 18, 5-21 ; 20, 4-10. 15. 22. 24 ; 22, 19. 20.

Nota. De aliorum opinionibus haec sufficiant : 1° alii enim 27, 13-23 orationem Sophar, cuius ordo erat, existimant ; at obstat v. 11 ; neque cap. 28 est ad talem sermonem responsio ; 2° alii hos versus tamquam male interpolatos omnino resecant ; sed prorsus arbitrarie ; 3° alii haec ex Iobi sententia proferri volunt, ita ut Iobus, quia antea in universum negasset improbos unquam debitas luere poenas, iam nunc ex parte retractet et asserat quandoque ita fieri (cf. *Pin. Cord.*). Apte in hanc rem *Vav.* ad v. 12 : « hic et consecutis versibus videtur Iobus pugnantia loqui... sed existimat, improbis esse plerumque non modo impunita scelera sed etiam prosperam fortunam ; at usu quoque saepe venire, ut gravissimas poenas persolvant » (cf. *Ros. Hirz. W. Del. Zsch.*). Sed si haec est sententia Iobi, mirum videtur, id quod rei cardo est non distincte ac clare proferri, scil. impios non quidem semper, at *quandoque* talibus affligi suppliciis.

4° De sententia *B.* iam supra ad cap. 25 dictum est. Cum in explanatione ipsa iam rationes allatae sint, cur Iobus haec ex amicorum sententia dicere censendus sit, iterum apparet ea coniectura nos minime indigere.

c) Hominem arte quidem valere plurimum 28, 1-11.

Hucusque Iobus 27, 12 *quid sine causa vana loquimini ?* prosecutus

---

1. *B.* numerum *pluralem* exhibet ; *singularem* tamen LXX, *Chald. Sym. Syrus, S. Hier.* tuentur.

est. Iam id praestat quod 27, 11 se facturum promiserat : *docebo vos* : i. e. Dei sapientiam et proin gubernandi mundi rationem homini esse imperviam, inaccessibilem; hominem quidem arte et industria valere multiplici; id quod in priore parte proponit; v. 1 « *Habet argentum venarum suarum principia et auro locus est, in quo conflatur* »; — in hebr. *nam est argento scatebra et locus auro*, (quod) *conflant*. Illud כי in initio multos vexat. Iam *Synopsis*[1] septem modos explanationis indicat. In nostra explanatione nexus est valde obvius et facilis ; explicuit Iobus, quae sint vana; nunc rationem reddit, cur multi *vanis* istis inhaereant, *quia* scil. vera sapientia illis est abscondita. Optime id exponit *Malv.* : « frustra vos estis amici, qui administrationem Dei in bonis et malis proborum et improborum ex infinita eius sapientia prodeuntem ex vestro sensu et ratione aestimare ac metiri conamini ».

Alii regrediendum esse censent ad 27, 12 (cf. *Hirz.*). Alii ea supplent, quibus illud כי praeparatur ; v. g. quia peccatores pereunt, propterea non quicumque perit, impius est, *nam* Dei sapientia est inscrutabilis (cf. *Nicetas* apud *Pin. W.*) vel : impios male perire, inde explicari, *quia* vera sapientia humanis viribus non attingatur (*Zsch. Del.*). Alii demum assertive vertunt : *vere, profecto* (*Mar. Malv. II. Hitz. P.*). Monet *Fürst* L. adhiberi particulam ad orationem directam introducendam ; id quod etiam h. l. accipi posset, quia Iobus in antecedentibus ex aliorum opinione aliena protulit.

Homo igitur fodinas investigat et novit, qua ratione metalla excoquantur et liquescant. In hebr. proprie *egressio*, *exitus* i. e. locus unde exit, quo gignitur, unde vena divite fluat. Habebat Aegyptus et regio sinaitica fodinas (cf. praeter ea, quae *Del.* affert, *Zeitschrift für aegypt. Spr.* 1870 p. 137 et seq. et *Ausland* 1870 N. 63), unde poeta haec hausisse censeri potest.

Alio modo artem fodiendi et fundendi metalla proponit v. 2 « *ferrum de terra tollitur et lapis solutus calore in aes vertitur* »; — i. e. ex lapide metallico in fornacem iniecto vi caloris aes eliquatur vel cuprum. Eandem locutionem apud Plinium inveniri *Malv.* monet : « igne lapides in aes solvuntur... aes fit ex lapide aeroso, quem vocant cadmiam,... fit etiam ex alio lapide, quem chalciten vocant in Cypro » (36,34; 34,1). Porro miratur hanc hominum industriam, qua terrae viscera perscrutantur et quae ibi sepulta iacent ad lucem attollunt : v. 3 *in hebr. finem ponunt tenebris et ad omnem perfectionem perscrutantur lapides caliginis et umbrae mortis* i. e. homo intima et obscura terrae viscera rimatur et pervestigat, ita lucem afferens tenebris illis, obscura illa ad lucem vehens, ideoque finem ponens tenebris; lapides dicit in

1. Cf. Cursus S. Script. completus, ed. Migne ad h. l.

abditis terrae recessibus latitantes (cf. *Ol. Var. Pin. Cord. Men. Tir. W.*). Eodem modo textus lat. v. 3 « *tempus posuit tenebris et universorum finem ipse considerat, lapidem quoque caliginis et umbram mortis* »; — i. e. tempus statuit, quo illa ex tenebris emergant, quo tenebrae illae cessent; omnia altissime et profundissime investigare homo vult, obscurissima quaeque in terrae visceribus, quae aeterna caligine [1] sepulta videantur [2].

Hisce in universum praemissis iam rationem accuratius delineat, qua ad metalla fodienda pervenitur. De fodinis enim fieri sermonem, et antecedentia et subsequentia plane ad oculum demonstrant. Quare נַחַל h. l. non proprie erit *torrens*, vel *vallis* torrente irrigua, sed quod quam maxime cognatum est, *cuniculus*, puteus metallicus (*Schacht*, *Stollen*), cuniculus, qui a fossoribus in terrae viscera agitur. Ita iure-merito recentiores. Unde versum 4 valde implicatum sic ex hebr. vertimus : *agunt* (vi rumpunt, excavant) *cuniculum longe ab habitatore; derelicti a pede pendent, haud similiter atque homines librantur* (sese librant) i. e. longe ab incola terrae superioris; cum funibus demittantur et funibus penduli librentur, *pedibus* ad descendendum non utuntur, quare poetice dicitur pes illos oblivioni dedisse [3], vel illos esse oblivioni datos, destitutos a pede, quippe qui in itinere illo subterraneo officium suum solitum praestare nequeat (cf. *Hirz. Hitz.*).

Nam quod alii volunt, fossores *a pede* i. e. ab hominibus supra ambulantibus esse oblivioni datos (cf. *W. Del. Zsch. P.*), nimis coactum est, cum *pes* et hominum *memoria* tamen nihil commune habeant. Hebr. מֵאֱנוֹשׁ *ab homine*, longe ab homine explicamus cum *Hitz.* : aliter atque homines solent, non humano more. Usus praepositionis מִן huic explanationi favet, cum saepius usurpetur pro מִהְיוֹת (*ne sis*) v. g. 1 Sam. 15, 23. Is. 52, 14. Ier. 48, 2 et alias (cf. *Ges.* Thes. מִן 6.). Et accedit, quod alia significatio, quam plerumque sequuntur (*W. Hirz. Del. Zsch. P. Renan*), *procul ab hominibus* propter repetitionem languida videtur. *S. Hier.* legisse videtur עִם *populus* et דַּל *miser, egens;* (pro עִם et דַּלּוּ cf. *Mar.*).

Ad eundem sensum accommodandus erit textus latinus v. 4 « *dividit*

---

1. *Lapidem caliginis et umbram mortis* quidam, sane sagaciores, volunt esse periphrasin *materiae primae*, de qua peripatetici (cf. *Malv.*). Aptius allegari potest, quod *Plinius* dicit (33 prooem.) : « in sede manium opes quaerimus », vel quod *Ovidius* (Metam. l. I) : « itum est in viscera terrae stygiisque admoverat umbris » (cf. *P.*).

2. תַּכְלִית cf. 26, 10; alii interpretantur : omnem perfectionem homo ipse pervestigat (cf. *Malv.* III), sed propter particulam לְ praestat לְכָל־ת' explicare ad modum adverbialem, uti לְכַלֵּה, לִמְאֹד etc. i. e. *absolute, consummate, perfectissime.*

3. שָׁכַח est negligere, destituere; dein etiam sensu praegnanti officio suo deesse, cf. Ps. 137, 5 : *si tui obliviscar Ierusalem, obliviscatur dextera mea* officium suum; me destituat officio, fiat arida, *obrigescat.* — *B.* censet scribendum esse « ab habitatore *lucis* ».

torrens a populo peregrinante eos quos oblitus est pes egentis hominis, et invios » ; — ultimum membrum explicat hebr. *non ut homines sese librant*, sese movent, i. e. hominum viis non utuntur. Versum hunc, quem aenigma pene indissolubile *Calm.* vocat et qui miras ac multiplices interpretationes tulit, iam haud ita difficile ad textum hebr. referre licet, dummodo *torrentem* eodem modo quo נַחַל intelligamus : dividit cuniculus in viscera terrae actus a populo perambulante in superficie terrae fossores, quos pes, alias homini misero adeo utilis et necessarius, officio suo privat et destituit, qui ibi incedere conantur, ubi non sunt viae. Apte ita fossores metallorum describi nemo negabit ; hunc sensum vero ex verbis latinis erui posse *praelucente explicatione hebraica*, quis negare ausus fuerit?

De aliorum variis interpretationibus pauca addam, ne absurda illa congerie legentibus fastidium afferam. *Tir.* haec habet : « *torrens* aquarum ebulliens *dividit* quaesita et optata metalla a fossoribus, qui plerumque peregrinis ac pauperibus constant. Hic ergo torrens facit, ut *pes egentis hominis*, fossioni incumbentis, *obliviscatur eos*, i. e. non sequatur votum aut desiderium illorum, i. e. ut non possint ulterius fodiendo transire ». Ceteris eo praestat, quod saltem contextum de fodinis servare studet. Alii de inundatione accipiunt ; alicubi torrens separat incolas a peregrinis facitque terram inviam, ita ut egentes et mendici, qui omnia pervagantur, eo non transeant (*Cord.* cf. *Pin. Men.*). Alii de fluminibus subito erumpentibus (cf. *Cod. Vav.*) etc. et alii alia, potius portenta, quam interpretationes proponunt.

Via et ratione descripta v. 4 qua in terrae viscera descendunt, iam fossorum labores adumbrat, quibus ipsam terram quasi ignis incendio et vastatione evertunt ac suffodiunt[1] ; ita v. 5 « *terra, de qua oriebatur panis, igni subversa est* » ; — homo tam sagax est, ut frugibus terrae non contentus a superficie in eius interiora penetret et multiplicem utilitatem capiat. Quod alii in verbis cernunt, terram adeo *benignam*, quippe quae victum ac cibum suppeditet, *crudeliter* ab homine secari, subverti, excavari, quasi talem ferat largitatis suae mercedem (cf. *Hirz. Hitz.*), id modernorum cogitandi sentiendique modum plus aequo redolet[2].

Cur vero tales labores exantlentur, explicat v. 6 « *locus sapphiri lapides eius et glebae illius aurum* » ; — scil. sapphirus saepe invenitur

1. Compara quae *Plinius* habet (33, prooem.) : « persequimur omnes eius (terrae) fibras, vivimusque super excavatam. Imus in viscera eius et in sede manium opes quaerimus, tamquam parum benigna fertilique, quaqua calcatur ».

2. Hebr. כְּמוֹ־אֵשׁ *ut igne* lectione LXX, *Chald.* et *Syri* defenditur ; alii cum *vulg.* בְּמוֹ praeferunt. Iguem enim et acetum ad rupes perrumpendas veteres adhibebant.

ibi, ubi terrae lapides in eius sinu effodiuntur; similiter glebae adsunt in terrae visceribus auro mixtae. Sapphirum primo loco profert, ut ex illa tamquam ex gemmarum praestantissima reliquas intelligeremus (*Pin.*). Ita sane apud veteres (cf. Ex. 28, 18; 39, 11).

Alterum membrum in hebr. aliqui vertunt *et pulveres auri ei* scil. sapphiro, et intelligunt illud sapphiri genus, quod, ut ait *Plinius*, aureis punctis collucet (cf. *Pin. Malv. Hirz. Hitz.*). Sed certe melius est, quod *vulg.* indicat, magisque ad labores illos explicandos confert, *duo* afferri pretiosa, sapphirum *et* aurum; unde hebr. verte : *et glebae auri ei* (sunt, scil. vel homini ex v. 4 vel ei loco; sed cum idem locus vix apte et sapphiri et auri dicatur, melius *ei terrae* intelligitur לֹו, et אֶרֶץ revera pluries *mascul.* invenitur, cf. Gen. 13, 6. Is. 9, 18; 18, 2; 26, 18; 66, 8 *Fürst* L.).

Denuo hominis industriam miratur, qua ad inaccessa illa loca accessus pateat; v. 7 « *semitam ignoravit avis, nec intuitus est eam oculus vulturis*; v. 8 *non calcaverunt illam filii institorum, nec pertransivit per eam leaena* »; — illuc scil. homo penetrat, quo nec acerrimus avium visus pertingit, nec bestiae latibula et cavernas quaerentes penetrant, nec *filii institorum* i. e. mercatores, hominum genus avidissimum, cui nihil impervium est.

Quomodo illam viam homo efficiat, describit v. 9 « *ad silicem extendit manum suam, subvertit a radicibus montes*; v. 10 *in petris rivos excidit et omne pretiosum vidit oculus eius* » ; — i. e. ut ad gemmarum aurique sedem perveniat, rupes durissimas perfodit et ad montium ima cuniculos agit, ita ut ipsos montes subvertere videatur; quo in labore si aquae irrumpunt in terrae cavernis collectae, illas per canales in rupibus excisos e fodina educit. His transactis demum praemium operis nanciscitur : laetus thesauros aspicit in terrae sinu reconditos (cf. *Mar. Malv. Pin. Cod. Vat.* partim; *W. Hitz. Le Hir*).

Demum homo nihil relinquit intentatum; uti terram, ita flumina quoque (et maria?) perscrutatur v. 11 « *profunda quoque fluviorum scrutatus est et abscondita in lucem produxit* »; — i. e. « nihil non investigatum reliquit, sed propter magnam eius et sedulam diligentiam vel potius sapientiam a Deo ipsi concessam etiam ea quae sub aquis mersa latent, ei cognita erant » (*Ol.*). Quo magis Iobus hominum sagacitatem et artem extollit, eo illustriora praeparat verae sapientiae sublimitatis praeconia, ad quae iam transit.

In hebr. v. 7 aves rapaces commemorantur, aquila, accipiter vel in universum omne vulturum [1] genus (cf. *Furst* C.) et avium rapacium, quarum acies oculorum acutissima est; *filii superbiae* vel *ferociae* v. 8 bestiae sunt rapaces et truces (cf.

1. Cf. LXX γύψ et Lev. 11, 14. Deut. 14, 13. *Barh.* explicat *bumo* i. e. strix bubo (Uhu) quippe qui diu noctuque videre possit.

Mar. Malv. Calm. W. Del. Zsch. P. Le Hir); etiam S. *Hier.* infra 41, 25 בְּנֵי־שָׁחַץ vertit *filios superbiae* et LXX nostro loco υἱοὶ ἀλαζόνων i. e. ut *Ol.* explicat μεγάλα θηρία. Cur S. *Hier.* hoc loco verterit *filii institorum* i. e. mercatores, vix divinari poteris. Certe medius inter bestias mercatoribus non est locus assignandus; neque scio, num bene dicatur, illas regiones explorari ab *homine*, quo ne mercatores quidem penetrent, hominum genus sane in regionibus perlustrandis sagacissimum. — Generatim sententiam ad antecedentia referunt : talis locus est auri tamque absconditus, cuius semitam ignorant aves... Sed iam *Cod.* haud male trahit ad sequentia : « ut via illa, quam ne milvus quidem nec ferae viderint, sit quam homo sibi aperit evertens montes et marmora caedens », vel, ut *Hitz.* : per viam illam... homo extendit ad silicem manus.

In v. 10 alii יְאֹרִים ipsos cuniculos intelligunt, in quibus metalla fodiuntur (*le D. Zsch.*); vix recte; nam יְאֹרִים veri nominis *rivi* semper dicuntur, atque haec significatio h. l. optimum praebet sensum. Neque enim veteres fossores aquas illas irrumpentes ignorare poterant; cur igitur illarum mentionem clare h. l. expressam non agnosceremus, cum tamen periculum illud avertere etiam pro illis necessarium esset, idque humanae industriae atque sagacitati esset commendationi? Ea vero, quae ad hanc laudem spectant, Iobus h. l. non sine facundia colligit [1].

Huic suppar est industria cohibendi aquas e parietibus continuo stillantes. Eam describere videtur v. 11 in hebr. *a fletu fluvios cohibet et abscondita ad lucem educit* i. e. ligat et obturat rimas, per quas aquarum venae vel scaturigines (נְהָרוֹת) in cuniculos et fodinas influunt (cf. *Pin. Malv.* II. IV. W. *Hirz. Del. Hitz. Zsch. P.*); sunt enim rimae illae quasi vulnera fodinarum quae fasciare et obligare (חָבַשׁ cf. Is. 1, 6) oportet. Alii vertunt : *fluxum fluviorum sistit*, quibus scil. siccatis vel alio diductis appareant et deprehendantur quae intus lateant (cf. *Vav. Cod. Calm.*); at non bene id cohaeret cum antecedentibus, ubi continenter sermo est de fodinis. Sed viam forte praebet ad id, quod LXX habent : καὶ βάθη ποταμῶν ἀνεκάλυψεν; idem *S. Hier.* exprimit referens omnino *Theodotionis* versionem, qui teste *Ol.* ἐξηρεύνησεν habet; proinde litera transposita חשב sane legerit, vel quod *Houbig.* vult. חפשׂ.

d) At veram sapientiam soli Deo esse notam 28, 12-28.

Terrae viscera homo perlustrat et reconditis thesauris potitur mira arte et sagacitate! At quam impar est sapientiae investigandae! Id pulcherrima oppositione Iobus iam exsequitur [2]; v. 12 « *Sapientia vero ubi invenitur et quis est locus intelligentiae* »? — Sapientia in sacris literis, praecipue in libris sapientialibus, multa complectitur; in universum quidem rerum cognitionem dicit amplissimam, sed eam,

---

1. Ad hos versus illustrandos varios locos e *Plinio* afferunt *Pin. Malv. Ros. Del. Hitz.* Sed cum hi loci pro fodinis et arte metallurgica Aegypti et regionis sinaiticae illius temporis, de quo sacer auctor scribit, tamen nullum praebere possint testimonium, illos similesque potius omittendos esse censeo. Atque certe de *corrugis* h. l. minime erit cogitandum.

2. Omnino comparandus est Baruch 3, 14-38, qui hoc Iobi caput insiguiter imitatione expressit.

qua res singulae ad Deum auctorem et gubernatorem referuntur. Magis proprie est rerum cognitio divinitus data vel inspirata, qua res ex norma divina rite perspectae et apte explicentur et ordine atque consilio ad usum adhibeantur. Proponitur tamquam quaedam sapientiae et scientiae divinae participatio a Deo ipso subministrata, qua amicos suos reddit insignes. Intelligentia (בִּינָה) vi vocis eam partem sapientiae potissimum designat, qua sine ulla dec^{ept}ione res ipsas discernimus et a fallaci specie et fuco tuti reddimur, qua prudentiam maxime adhibemus (cf. quae scripsi ad Is. 11, 3). Hoc vero loco ex ipso disputationis argumento pronum est concludere, sapientiam intelligi cognitionem divini consilii in rerum cursu et gubernatione (cf. infra v. 23 et seq.). Ipsa interrogandi ratio respicit v. 1 et demonstrat, hominem hanc suis viribus minime invenire posse. Idem vario modo in sequentibus inculcatur; v. 13 « *nescit homo pretium eius, nec invenitur in terra suaviter viventium* »; — i. e. nihil quod homo cognoscat, est sufficiens sapientiae pretium (*S. Thom.*); non agitur de valore interno, sed de pretio quo emi et acquiri possit. Nulla vero re terrestri coemi potest, quia ipsa non est *de terra;* unde additur in hebr. *neque invenitur in terra viventium* i. e. uti LXX et vet. lat. habent « in hominibus »; terra sedes est auri et argenti, at sapientia terrae hominisque conditionem longe superat. S. Hier. addidit *suaviter* viventium, « ut innuat virtutem veramque sapientiam non nisi labore comparari neque a Deo communicari hominibus qui in deliciis agunt; vel forte ut sensum propositionis contrahat, cuius litera nimis late patere et excludere omnes omnino homines a tanti boni possessione videtur » (*Calm.*). Simile quid *Chald.* dicere voluit: « non invenitur in terra superborum, qui peccant in vita sua »; sed optime carere possumus tali *additamento;* nam sacer auctor efferre vult, sapientiam illam *homini*, suis tantum viribus relicto scil. et rerum naturalium indagatione instructo, esse imperviam, quippe quae rebus creatis non sit adumbrata et expressa. Vel, ut cum theologis scholae terminis utar, sapientiam describit *supernaturalem*, cognitionem illam divinorum consiliorum ex rebus creatis solis hauriri minime posse asserit, quia illa Dei mysteria in opere creationis non sunt manifestata, unde vere *in regione vivorum* non inveniuntur. Providentiae igitur *supernaturalis* abdita consilia sacer auctor attingit. — Minime spernenda, immo praeferenda est lectio LXX et *vet. lat.* « ignorat homo *viam* eius » (i. e. דַּרְכָּהּ pro עֶרְכָּהּ)[1]; nam h. l. ubique de regione et sede sapientiae, quam homo ignoret, sermo est; de *pretio* demum v. 15 et seq. mentio

1. ד et ע saepius inter se commutata esse critici observant, cf. *Hitz. Reinke*, Beiträge VII. p. 65.

fit; quare concinnitas sermonis et ordo et allusio v. 23 facta omnino lectionem graecam exigunt, quam *Houbig.* *B.* iuremerito adoptant.

Porro illam esse *supernaturalem*, ita amplificat, ut asserat v. 14 « *abyssus dicit : non est in me; et mare loquitur : non est mecum* »; — i. e. neque si quis omnia perlustret et investiget, ita ut mare et quidquid in maris profundo sinu contineatur cognoscat, ne ex tali quidem scientia enascitur illa sapientia. Neque omnes thesauri, quibus homo potiri potest, illam coemere valent; quare alio modo, illam esse *supranaturalem* demonstrat; v. 15 « *non dabitur aurum obrizum pro ea, nec appendetur argentum in commutatione eius;* v. 16 *non conferetur tinctis Indiae coloribus, nec lapidi sardonycho pretiosissimo vel sapphiro* »; — i. e. non potest dari pro ea, ita ut coematur; aliis verbis : homini ea plene desunt, quibus illam acquirat, unde simul, quanti sit aestimanda, delineat; cf. Prov. 3, 14; 8, 11. Sap. 7, 8. — Aurum *obryzum* χρυσίον ὄβρυζον est purgatum, probatissimum [1]. *Tinctos Indiae colores* vel gemmas variis coloribus vernantes intelligunt, vel ea, quibus pretiosa ornamenta tingantur vel inficiantur, vel vestes picturatas (cf. *Pin.* *Vav.* *Men.*).

Hebr. כֶּתֶם אוֹפִיר *aurum Ophir* communiter interpretantur. LXX vocem varie reddunt : ter χρυσίον, bis λίθος πολυτελής, semel ἀργύριον, etiam ἱματισμὸς διάχρυσος (cf. *Calm.* *Ges.* Thes.); *Ophir* Indiam interpretatus est *S.* *Hier.*; alii speciatim regionem ad mare sitam *Abhira* intelligunt (cf. Ebers, Aegypten und die Bücher Mose p. 33), alii Arabiae partem et emporium mercium indicarum; nuperrime *Delitzsch* insulam vel regionem esse litoralem in sinu persico versus meridionalem Arabiae partem sitam ex Gen. 10, 29 concludi asseruit (cf. Wo lag das Paradies? p. 99).

Lapis sardonychus, vel sardonyx, vel onyx (LXX et *vet.* *lat.*); hebr. שֹׁהַם praeterea etiam *beryllum* (W.), *smaragdum* (*Hitz.*) interpretantur. LXX variis in locis mire variant et ultra has significationes, quas modo attuli, etiam *sardium* et *sapphirum* explicant. Iosephus sardonychem intellexit (cf. *Ges.* Thes. s. v.). Proinde dicit : sapientiam non appendi, compensari (hebr.) gemmis vel margaritis.

Idem amplificat v. 17 « *non adaequabitur ei aurum vel vitrum, nec commutabuntur pro ea vasa auri* »; — vitrum apud veteres maximi aestimabatur (cf. *Pin.* *W.* *Hirz.*); ita vertunt LXX, *Syr.*; *Sym.* crystallum, alii gemmas pretiosas intelligunt (cf. *Ros.* *Cod* *Vav.*). Sa-

---

1. Cf. 2 Chron. 3, 5 in hebr. זָהָב טוֹב; gr. χρυσίῳ καθάρῳ; *vulg.* aurum obrizum. Hebr. סְגוֹר (cf. 1 Reg. 6, 20; 10, 21 זָהָב סָגוּר proprie *aurum clausum* i. e. bene custoditum (?), ergo valde pretiosum (?), vel secundum *Chald.* *colatum;* *vulg.* aurum purissimum; *Ges.* aurum purum sincerum, opponitur vulgari, adulterato) *Chald.* *Syrus* rite aurum interpretantur, quos reliqui sequuntur, fere *purum*, *sincerum* explicantes Unus *Hitz.* ex 1 Reg. 10, 21 concludi vult, esse deterius, argento mixtum; סְגוֹר vertit *Bronze.*

pientiae pretium ulterius commendatur v. 18 « *excelsa et eminentia non memorabuntur comparatione eius; trahitur autem sapientia de occultis* »? — ultimum membrum per interrogationem legendum erit : num vero de occultis protrahitur? Nam sapientiam de occultis Dei sedibus acquiri, hoc loco praepostere ingeritur, cum in antecedentibus et sequentibus hoc unum tractetur, illam studio vel pretio humano *non* acquiri. Idem quoque enuntiatur v. 19 « *non adaequabitur ei topazius de Aethiopia nec tincturae mundissimae componetur* »; — exstitisse topazium in Aethiopia etiam *Plinius* (6, 29. 34. 27, 32 — cf. *Malv. Pin.*) et *Diodorus* Siculus testantur (cf. *W.*). Magnifica enumeratione per omnia, quae apud homines maximo in pretio habentur, percurrit Iobus neque quidquam ad illius possessionem iuvare ostendit. Ita *maximi* illam aestimandam esse eiusque *coelestem* originem demonstrat.

De textu hebr. haec nota : in v. 17 *Hitz.* et *B.* alterum membrum delent; sed sine ratione sufficiente, ut mihi videtur; nam adest in versionibus antiquis, neque iis difficultatibus grammaticis premitur, quas *Hitz.* fingit; sermonis vero ubertate quis demum hac in parte iure offendatur? Ea in sequentibus quoque cernitur. Verte v. 18 *corallium* (cf. *Ros. W. Hitz. Zsch. P. Le Hir, Fürst* L.; alii *gemmas* intelligunt cf. *Mar. Malv. Cod. Vav.*) *et crystallus non memorabuntur et acquisitio sapientiae* (*est*) *prae margaritis* i. e. multo praestantior est (cf. *Malv. Cod. Calm. W. Hirz. Hitz. P.*); alii פְּנִינִים *corallia* vertunt (cf. *Del.* et varias vett. interpretationes *Cod. Calm.*). Fortasse מְשֹׁךְ *extractio* alludit ad margaritarum e mari extractionem; illas ait facilius acquiri quam sapientiam (cf. *Malv. Men. Calm.*). *S. Hier.* priora nomina cum LXX partim et *Sym.* (cf. *Ol.* et cod. syr. hexapl.) ad etymologicam quandam similitudinem expressit cf. גבישׁ, ראם (vel גבע, גבה?); in ultimo membro probabiliter פְּנִינִים una litera mutata legit, uti LXX τὰ ἐσώτατα; nam vocem hebr. Prov. 3, 15 *opes* transtulit, Prov. 20, 15 *gemmas*; Prov. 8, 11 *pretiosissima;* Lament. 4, 7 *ebur* (?) Hebr. v. 19 *non compensabitur puro auro* כֶּתֶם cf. v. 16. — De topazio cf. Ex. 28, 17; 39, 10; nomen hebr. פִּטְדָה idem est ac τοπάζιον (duabus literis primis inter se permutatis; ד fieri ך et vice versa in dialectis semiticis et alibi frequenter videmus), quare *smaragdi* et *carbunculi* (*Hitz.*) interpretatione carere possumus.

Post tam longam enumerationem, optime et magna cum emphasi et oratorio plane modo [1] redit prior illa interrogatio v. 20 « *unde ergo sapientia venit et quis est locus intelligentiae* »? — vult scil. denuo inculcare illam homini suis viribus utenti esse imperviam et inaccessam; quare, quod hucusque dixerat illam non inveniri in terra, non pretio comparari, nunc auget asserens : illam abscondi et latere omnes :

1. *B.* hunc versum delet, « qui quaestionem falso repetendo nexum sententiarum et constructionem molestissime interrumpit ». Minime gentium!

v. 21 « *abscondita est ab oculis omnium viventium, volucres quoque coeli latet* »; — i. e. etsi quis acie acutissima uteretur et coelorum nubiumque spatia lustraret, sapientiam (cf. Eccli. 6, 22) nullibi inveniret; organa proinde vel sensus hominis quam maxime exculta et tota mundi machina (etiam coelestis, homini quae sit impervia) pervestigata illam nullatenus adducunt. Quod alii de coeli avibus tamquam auguralibus, vel de angelis, vel de hominibus contemplationi deditis disserunt, sine ullo dispendio mittimus.

Hisce in terris non invenitur; at v. 22 « *perditio et mors dixerunt: auribus nostris audivimus famam eius* »; — i. e. inferorum regio, Scheol. Expositio sapientiam esse longe a nobis dissitam et habitare quodammodo in remotissimis locis (*Men.*), verbis non satisfacit; melior est haec, ut nullus non sit locus quem laus et nominis sapientiae gloria non compleverit, quam innuere videntur LXX et *vet. lat.*: « audivimus eius *gloriam* » (κλέος), et quam *Nicetas* (apud *Pin.*) et *Cord.* approbant. Ab ea non longe abest, quae recentioribus probatur : infernum fando audivisse a descendentibus, esse et exsistere sapientiam, ipsam vero minime cognoscere (cf. *W. Del. Zsch. Hirz.*). At fortasse praeferenda est illa, quam etiam *Cord.* innuit, homines vita functos et in inferno vel limbo constitutos revera aliquam sapientiae notitiam percipere, dum scil. de vera rerum terrestrium aestimatione plus iam intelligant et ex rerum divinarum oblivione, qua in terris saepe obruti sepultique iaceant, certe emergant. Quod *Cord.* de peccatoribus solis dicit : « videtur insipientia peccatorum et per consequens contraria sapientia quasi umbra tenus cognoscitur », id facile ad omnes accommodatur.

Demum exponit ubi sit et a quo detur; v. 23 « *Deus intelligit viam eius et ipse novit locum illius* »; — emphatice, sine ulla coniunctionis vel oppositionis particula *Deus* initio ponitur, cum ictu et pondere vocis effertur : i. e. *Deus solus*. Verba conformantur ad v. 12 et 13, in quo ex LXX lectio « homo nescit viam eius » praeferenda est (cf. supra); scil. Deus scit [1], qua via ad sapientiae possessionem perveniatur, ipse novit, ubinam consistat. Ratio est, quia Deus *omnia* novit : v. 24 « *ipse enim fines mundi intuetur et omnia quae sub coelo sunt respicit* »; — eandem rationem affert Baruch 3, 31. 32 *non est qui possit scire vias eius... sed qui scit universa, novit eam*. Altera ratio est, quia Deus omnia condidit et omnia moderatur; ita v. 25 « *qui fecit ventis pondus et aquas appendit in mensura* »; — eodem modo Baruch allegata Dei rerum omnium cognitione pergit : *qui praeparavit*

1. Quare lectio hebr. הבין omnino retinenda est. LXX et aliqui codd. hebr. legunt הכין (cf. *de Rossi*); sed id ad v. 27 demum apte dicitur.

terram... et replevit eam... qui emittit lumen (3, 32. 33). In ipsa rerum conditione Deus scil. usus est sapientia quasi exemplari et prototypo, ad cuius normam omnia exigeret. Sapientiam enim i. e. sapientem rerum omnium dispositionem adesse probatur illis ipsis, quae maxime sine ulla norma esse videri possent : in ventis et aquis ; ventorum vim, propensionem, impetum, cursum, quantum et quo tempore flarent, ipse tribuit, illos certa regula moderatur (cf. *Cord. Mar. W. Del. P.*), eorumque ad reliquam mundi machinam habitudinem definivit; similes leges aquis praescripsit : aquis superioribus i. e. nubibus et imbribus, aquis marium, fluviorum, fontium : quas omnes quasi statera et mensura determinavit, ut ordine et proportione debita ad rerum omnium usum et conservationem inservirent (cf. Sap. 11, 21 : omnia in mensura et numero et pondere disposuisti; Prov. 8, 28, 29. *Pin. W.*) [1].

Deum rerum moderatorem sapientia potiri, porro declarat v. 26 « *quando ponebat pluviis legem et viam procellis sonantibus* ; v. 27 *tunc* « *vidit illam et enarravit et praeparavit et investigavit* » ;— hebr. *et viam coruscationi tonitruum* (cf. *Mar. Malc. W. Del. Hitz. P. Le Hir*); i.e. in ipso rerum exordio, cum Deus et imbribus et tempestatibus certas praefigeret leges certosque terminos (et ita, quae maxime videri possent solutis habenis ad arbitrium furere, suo subdi nutui et suo imperio ac providentia regi monstraret), *contemplatus* est *sapientiam* tamquam rerum ordinandarum normam, eam *enarravit* declarando et communicando (*Cord.*), cum in eius operibus rerumque dispositione reluceat, uti exempla allata ostendunt, quatenus apta rerum creatarum dispositio Dei providentiam naturalem commendet et insuper ostendat, Deum in hominum gubernatione naturali et supernaturali non minore uti sapientia : eam *stabilivit* (hebr.), stabili lege constare voluit et rerum cursui adesse, eam *perscrutatus est*, intimos eius sinus ac recessus perspectos habet ; Deo igitur in mundi conditione sapientia astitit eaque usus est moderatrice (cf. Prov. 8, 27. Sap. 9,9. Eccli. 24,6). Proinde ex aptissima illa rerum omnium dispositione, quam homo non potest non admiratione prosequi, discere debet summam in omnibus Dei relucere sapientiam, etsi ipsius ratio ac via homini non sit obvia.

---

1. In hebr. לַעֲשׂוֹת *ad faciendum*, quae constructio in membro parallelo in verbum finitum תִּכֵּן transit, quare ל non *intentionis* est particula, sed, uti subsequens ב v. 26 *temporis*, potestque iam v. 25, uti 26, referri ad *tunc* אָז v. 27. Negant talem ל significationem *Hitz. B.* qui propterea v. 25 ב rescribendum esse censet. At illam affirmant *Hirz. W. Zsch.* et pro hac significatione temporali allegari possunt Gen. 24, 63; 49, 27 etc. (cf. *Ges.* Thes. s. v.); *Del.* infinitivum per modum *gerundivi* explicat; perficiendo = cum perficeret; quod demum ad idem recidit.

Sicut enim *homo* neque fines intuetur mundi (v. 24), neque ventorum pondus et vim novit, neque aquarum et procellarum legem perspectam habet, ita in humanarum rerum gubernatione cum plurima fugiunt ; at quemadmodum illa, ita haec quoque sapientissime a Deo disponi sibi persuadere debet. Quam persuasionem quo firmius et alacrius animo insculpat, Iobus eum ad Dei opera sapientissime condita amandat.

Iam declarat, quaenam sapientiae pars homini contigerit, vel in qua demum re sapientiae divinae possessio ac imitatio pro homine consistat ; v. 28 « *et dixit homini : ecce timor Domini ipsa est sapientia, et recedere a malo intelligentia* » ; — cf. v. 12 ; *timor Dei* i.e. religio, Dei cultus et adoratio et inde consequens divinae voluntatis observatio. Deum igitur in omnibus revereri semperque a malo abstinere : haec est vera illa sapientia, quam homo retinere debet, etsi Dei consilia in rerum hominumque gubernatione non attingat. Id vero quam maxime ad disputationis materiam confert. Docet igitur Iobus : quidquid contingat (etsi quis malis obruatur, quorum causam nescit), homo sapiens Dei cultum malique propulsionem firmiter et constanter debet opere exprimere, etsi Dei consilia non perspiciat ; nam cum Dei sapientia abdita sit et sublimis, mirum non est, si homo de mundi gubernatione et fortunarum calamitatumque distributione non possit certum semper ferre iudicium ; satis est, ut retineat Dei timorem, qui in peccati vitatione exerceatur. Hisce vero Iobus et animi sui praeclaros sensus pandit et qua in re amici deficiant, qui Dei sapientiam una illa humana norma metiri aggressi sint, dilucide exponit.

Hucusque igitur a Iobo *propositi problematis solutio* data est ex infinita et investigabili Dei sapientia, quam homo revereri debeat animo submisso eamque adesse sibi persuadere, etsi non intellexerit vel eius rationem non perspexerit. Quantus in hac Iobi disceptatione *progressus* contineatur, per se liquet. Illud adhuc notare iuvat, Iobum victis amicis non insultare, sed admonere et edocere.

Sed quae est humana fragilitas, in ipso heroe patientiae conspicua, Iobus in sequentibus denuo a perfectionis regula quam hic delineat, recedit, dum hac cognitione quam modo exposuit non obstante, denuo ad querelas et investigationem nimis curiosam delabatur, quare etiam Dei reprehensionem in fine non plane effugit.

2. PARS. CAP. 29-31.

Carminis auctor, uti per decursum disputationis Iobi sermonibus et querelis nobis morbum eius calamitatesque retulit simulque Iobi animi varios motus depinxit, ita nunc amicorum silentio, quo ulterior

loquendi opportunitas Iobo conceditur, eum utitur in modum, ut Iobi imaginem moresque plane absolvat. Facile porro et animi quadam necessitate fit, ut Iobus amicis tacentibus et quid reponant nescientibus novam causae suae demonstrationem aggressus querelas et contestationes, quas supra extulerat, legitimas esse contendat. *Tria* ei quasi sua sponte obversantur : quanta olim in prosperitate fuerit (cap. 29), quot et quantis iam immersus sit calamitatibus (cap. 30), et quomodo hanc ruinam expertus sit vita innocentissime et iustissime ad omnem virtutis normam transacta (cap. 31).

Hisce igitur Iobi vita moresque plane exprimuntur et perficiuntur. Simul novis querelis Iobus ostendit — id quod ad animi humani indolem factum natumque est — se solutione data tamen non plene acquiescere, illam homini non sufficere, sed unumquemque stimulari, ut praeter rationem illam generalem a Dei sapientia petitam inquirat, *cur* ipse malis subiiciatur. *Alios* utique admonemus, illos Dei sapientia et providentia proposita consolamur; sed quotusquisque est, qui, si *ipse* affligatur, non iterum iterumque mente volvat ac secum miretur, *cur* tandem talia a Deo sibi mittantur? Quare haec quoque capita *psychologice* fluunt ex Iobi animo simulque disputationis *progressum* exhibent 1° vitam et mores Iobi ulterius describendo, 2° ostendendo, responsionem cap. 28 datam non sufficere, 3° ita novam disceptationem aliamque solutionem pleniorem praeparando. Praeterea capp. 29,31 quam maxime ostendunt, qualis pietatis species iustorum animis in V.T. insederit; cernimus enim V.T. minime in externa rituum legumque observatione fuisse conclusum, verum *internam* sanctitatem mentisque puritatem Deique amorem etiam ibi requiri. Quod in Deuteronomio de *spiritu legis interno* paucis innuitur, id in Iobi vita, uti hic delineatur, ad vivum expressum cognoscimus [1].

Arg. — Iobus dolens atque moerens amissam prioris vitae felicitatem, Dei favorem, abundantiam bonorum, honorem auctoritatemque recolit (29,1-11), simulque, quia vitam ad omnem iustitiam pietatemque exegerit, et illum apud alios honorem se meruisse profitetur et spem optimam, quam de vitae cursu conceperit, exponit (29, 12-20). Sed qualis subito mutatio! olim apud omnes in auctoritate, reverentia, honore, quasi rex — nunc a vilissimo homuncionum genere deridetur, opprobriis repletur, suppliciis afficitur (29, 21-30, 14), immo ab ipso Deo sine misericordia diris cruciatibus exercetur, quare dolorem

1. Cf. *Ol.* « Deus haec ad nostram aedificationem fieri disponit, ut vitas sanctorum tamquam virtutum imagines affabre politas, prae oculis habentes et intuitu diligenti eas contemplantes, vitam nostram dirigere possimus ».

querelis et lacrimis effundit (30, 15-31). Et talia sustinet is, qui castitatem et iustitiam omni studio coluit (31, 1-15), qui multiplici misericordia in pauperes, viduas, orphanos usus ab omni avaritia et superstitioso cultu se immunem servavit (31, 16-28), qui ipsis etiam inimicis, peregrinis beneficia praestitit et in vitae ratione ab omni simulatione alienus fuit. Quorum omnium testis est Deus, apud quem maxima cum alacritate causam suam agere desiderat, quippe qui nullius iniustitiae, oppressionis, violentiae sibi sit conscius (31, 29-40).

a) Vitae prioris cursum proponit 29, 1-20.

Uti sacer auctor indicat, scribens : v. 1 « *Addidit quoque Iob, assumens parabolam suam et dixit* » ; — cf. 27, 1 ; Iobus aliquantum substitit concessa amicis respondendi opportunitate. Illis quid opponant non habentibus (*Ol.*) ipse felicitatis anteactae recordationem dolens repetit ; est enim animi moerentis lactos illos cum gemitu et lamentatione recolere dies ; quare v. 2 « *quis mihi tribuat ut sim iuxta menses pristinos, secundum dies quibus Deus custodiebat me* » ? — incipit a *generali* desiderio ; קֶדֶם tempus antiquum, maxime remotum dicit, unde tempus calamitatis sibi iam maxime diuturnum videri (uti verissime tempus tarde trahitur misero) significat (*W.*). Illos expetit dies, quibus Deus cura et studio tamquam custos et pastor eum protexit ac vallavit (cf. 1, 10) et eum promovendo direxit ad bona (*S. Thom.*), simulque indicat, se illam prosperitatem non fortunae neque suis viribus, sed divino attribuere auxilio (*S. Thom.*). Nunc vero Deus eum oppugnat tamquam inimicum (6, 4 etc.). Pristinum Dei favorem non sine suavi recordatione et voluptate describit v. 3 « *quando splendebat lucerna eius super caput meum, et ad lumen eius ambulabam in tenebris* » ; — in hebr. *quando splendebat*[1] *... ad lumen eius ambulabam per tenebras ;* Dei favor *lucis* metaphora apte exprimitur ; ad huius solis fulgorem « inter calamitates et perplexitates caliginosae huius vitae inoffensus incedebat » (*Cord.*), Dei benignitate recreatus eiusque donis ditatus ; ita v. 4 « *sicut fui in diebus adolescentiae meae, quando secreto Deus erat in tabernaculo meo* » ; — i. e. tempore pristino, quando Deus familiariter mecum agebat (*Vav. Men. Tir.*) vel ego eius praesentiam et favorem sentiebam (*S. Thom.*), dum maiora in me ex arcano contulit, quam exterius apparerent (*Mar.*).

---

1. בְּהִלּוֹ alii explicant inf. qal (cf. LXX ; *vulg. W. Hirz. Del. Zsch.*), alii inf. hiphil (*Chald. Hitz.*), ut sit contractum ex בַּהֲהִלּוֹ (dum faceret splendere) quam formam alii (cf. *Olshausen*) rescribendam esse censent.

Hebr. *sicut fui in diebus autumni mei* [1] *in Dei familiaritate super tentorium meum* i. e. dum חֹרֶף aestati soleat opponi, ea anni tempestate, qua agricolae laborum suorum fructibus et ubertate messis ac vindemiae laetantur (*Calm. Malv.* IV. *Vat. Cod.*). Quia vero annus *oeconomicus* autumno, i. e. a satione *incipit*, ideo autumnus anni primum tempus et proin metaphora ad vitam translata *adolescentia* intelligi potest, uti pluvia autumnalis dicitur *prima*, vernalis *serotina* [2]; quare interpretatio *Sym.* (cf. *Ol.*) et S. *Hier.* facile explicatur (cf. *Ros. Cod.* W. *Zsch. Le Hir*).

Dei autem familiaritatem olim expertus est in florenti familiae conditione (v. 5), in fortunarum abundantia (v. 6), in honore, quo apud omnes habebatur (v. 7 seq.). Unde v. 5 « *quando erat Omnipotens mecum et in circuitu meo pueri mei* »; — cf. 1, 13. 17; signum favoris Dei, quando membris cum capite concordia est, ministris et domesticis cum hero (*Mar.* sim. *W.*); alii de filiis intelligunt (*S. Thom.*), alii de filiis famulisque (*Pin. Malv. Men.*); ad pacem domesticam largamque familiam opportune opum abundantia accessit, v. 6 « *quando lavabam pedes meos butyro et petra fundebat mihi rivos olei* »; — i. e. ubicumque incessit, possessio eius quasi lacte et butyro manabat; figurato utitur sermone ad summam opum abundantiam significandam (*Est.*); non solum *fecunda* terra, sed et sterilis et petrosa magnam olivarum et olei copiam mihi afferebat (*Cord. Sa, Men.*); melius tamen locutio intelligitur *proverbialis* (*Cod. Vat. Calm.*), cf. Gen. 49, 11. 12. Ex. 3, 8. Deut. 32, 13 *ut sugeret mel de petra oleumque de saxo durissimo*, 32, 24 *tingere in oleo pedem;* eo aptius *petrae* mentio fit, cum olivarum torcularia in petra exscinderentur.

Praeterea maxima apud omnes pollebat auctoritate : v. 7 « *quando procedebam ad portam civitatis et in platea parabant cathedram mihi*, v. 8 *videbant me iuvenes et abscondebantur et senes assurgentes stabant* »; — hebr. *quando procedebam per portam ad civitatem et in foro meam sedem parabam*, ergo in coetibus publicis *iuniores* et *senes*, quando conventus, comitia, iudicia celebrabantur, ei honorem exhibebant; illi modeste cedebant, prae metu sese abdebant, ne forte Iobus vitia iuvenilia acrius perstringeret (*Ol. S. Thom. Pin.*); hi cum tamquam parentem venerabantur assurgentes coram ipso et stantes, donec ipse prior consedisset. Praeterea v. 9 « *principes cessabant loqui et digitum superponebant ori suo*; v. 10 *vocem suam cohibebant duces et lingua eorum gutturi suo adhaerebat* »; — i. e. primores ei primas sententiae dicendae partes facile et omnino cedebant et cum maximae reve-

---

1. חֹרֶף a S. Hier. recte vertitur *hiems* Gen. 8, 22. Ier. 36, 22. Amos 3, 15. Zach. 14, 8; *frigus* Prov. 20, 4. LXX vertunt ἔαρ cf. Ps. 73, 17 *ver*, χειμερινός.

2. Mira est ad h. l. hallucinatio viri critici *Hitz.*, qui ex eo deprehendit Iobum loqui diu post Israelis interitum.

rentiae et admirationis significatione eius sententiam et verba exspectabant; *manum* (hebr.) *ori superponere* gestus est admirantis et obstupescentis, cf. 21, 5. Quando autem ipse dixerat, ipsi principes iam nihil addiderunt; lingua haesit palato i. e. quasi muti et elingues facti sunt, cum nescirent, quid Iobi sententiae addendum, vel quod consilium melius sit dandum[1]. Ita omnium plausu et approbatione sententiae eius excipiebantur; v. 11 « *auris audiens beatificavit me et oculus videns testimonium reddebat mihi* »; — tantus erat in omnium opinione, ut quicumque de eo aliquid fama perlatum *audiret*, eum statim beatum praedicaret; qui eum *videbant* non poterant non summi honoris testificationem ei exhibere (cf. *S. Thom. Mar. Vav. W. Hirz. Del.*).

Haec vero antiqua nominis claritas non erat vane conflata, sed ab egregiis virtutibus, misericordiae praesertim et iustitiae actibus exorta (*Cord.*); ita in sequentibus; v. 12 « *eo quod liberassem pauperem vociferantem et pupillum cui non esset adiutor* »; — in hebr. et apud *Chald.* tres ordines recensentur, scil. *et* eum, cui non erat adiutor, LXX et *Syrus* legunt, ut *vulg.* Apte monet *Calm.* : « animadversum est superius, Eliphazum exprobrasse Iobo potestatis abusum, negatumque pauperi, viduae, orphano patrocinium et iniquam personarum acceptationem in iudiciis. Innocentiam suam his Iobus defendens alteram post alteram accusationem refellit ». Unde pergit v. 13 « *benedictio perituri super me veniebat et cor viduae consolatus sum* »; — ille, qui iam omni abiecta spe interitum proxime opperiebatur (אֹבֵד[2] cf. Prov. 31, 6), mea ope liberatus mihi benedicebat; in hebr. *cor viduae feci iubilare*, uti *Theod.* καρδίαν χήρας εὔφρανα (*Ol.*), in tantum eam iuvit, defendit.

Porro insignis erat eius iustitia; v. 14 « *iustitia indutus sum et vestivi me sicut vestimento et diademate iudicio meo* »; — in hebr. : *iustitiam indui et ipsa me induit*; *tamquam toga et tiara iudicium meum* (i. e. ius, aequitas); ad rationem imaginis cf. Is. 11, 5; 59, 17. Ps. 131, 9 etc. i. e. iustitia in actionibus eius et iudiciis omni ex parte apparebat et eminebat, nunquam ab eo recedebat; intime ei adhaerebat : haec erat forma, hic habitus, quo omnibus innotescebat (cf. *Mar. Men. Malv. Cord.*), hoc quasi ornatu fulgebat, hoc ornamento totus circumdabatur. Ipsa quoque iustitia eum quasi elegit, per quem se proderet, per quem hominibus se sisteret. *Ius meum* i. e. ius quod propugnare et defendere et stabilire studui et administrare (*Pin.*). Quam continuo illam administraverit,

---

1. Unde v. 10 non plane abundat, neque tautologiam continet; quare *Hitz.* immerito eum delet. De constructione hebr. cf. Is. 60, 5. Gen. 4, 10. 1 Reg. 1, 41; 14, 6, et supra 15, 20; 21, 21; 22, 12; verbum genitivo arctius adiungitur. Alii explicant : quod vocem attinet nobilium, comprimebantur (cf. *W. Del. Hirz.*).

2. *Barh.* explicat vocem : quando servabam eum ab interitu.

declarat v. 15 « *oculus fui caeco et pes claudo*; v. 16 *pater eram pauperum et causam quam nesciebam, diligentissime investigabam* »; — i. e. ita exacte et perfecte eorum defectum supplebat, ut oculos et pedes ipsis carentibus restituere videretur (*Cord.*); vel, ut aliis placet, iis qui ignorantia sibi ipsi consulere non poterant, quique in suo negotio procedere non valebant, iis consilio aderam, eos opibus iuvabam (cf. *S. Thom. Men. Tir. Cord.*), vel quod *Pin.*, illos qui ius suum in iudicio non prosequi poterant, tamquam patronus promovebat (*Vac.*). Huic intime cohaeret, quod v. 16 sequitur *causam investigabam* i. e. si quid gravioris indaginis afferebatur, intricatum, non temere iudicavi, nec levi examine contentus eram (*Ol. S. Thom. Men. Vac.*). Id verba sonant.[1]

Uti pauperibus pater erat et protector, ita oppressores et tyrannos fortiter contrivit, quae est efficax iuris administratio superatis iuris impedimentis vel oppugnatoribus; unde v. 17 « *conterebam molas iniqui et de dentibus illius auferebam praedam* »; — i. e. impium bestiae rapaci comparat; dentes molares, violentiam illorum comprimebat et quos iam devorare gestiebant, hos eripuit (cf. Ps. 3, 8; 57, 7); oppressores coegit, ut rapinam restituerent (*S. Thom.*). Bene ac oratorie hos versus 14-17 explanat *Chrys.*

Ex harum virtutum exercitio optimam concepit spem prosperae ac diuturnae fortunae : v. 18 « *dicebamque : in nidulo meo moriar et sicut palma multiplicabo dies* »; — i. e. domi meae, non a patrio solo expulsus, sed inter meos liberos in cara domo avita aevum transigam, consenescam, et dierum plenus in summa senectute mortem obibo (cf. *Cord.*). Et revera in veteri lege talis virtutum merces promittebatur, exspectabatur (cf. Ex. 20, 12. Deut. 5, 16. Ps. 127 etc.). *Palma* arbor est maxime annosa, caesa facile germinat (ut iam Plinius notat 13, 4) et ad miraculum usque fecunda (*Calm.* dissert. in h. l.). « Senectus mea longos dies ac laetos ducet, tam firma vegetaque ad extremum uti palma in coelum assurgens, tam dulcibus perfruetur virtutum bonarum fructibus, sicut palma praedulces expandit dactylos » (*Cord.*).

Eodem modo LXX et *vet. lat.* « sicut arbor palmae (στέλεχος φοίνικος truncus palmae) multo vivam tempore ». In hebr. legitur כחול : חול vox est 22 vicibus in sacris literis obvia significatione *arenae*, cf. Gen. 22, 17; 32, 13; 41, 49 etc. et supra 6, 3; unde h. l. *et sicut arenam multiplicabo dies;* cui locutioni non

---

1. Subtilius alii : diligenter causas discebam, quae ad me non deferebantur, ne quid iniuriae paterentur innocentes et pauperes (*Chrys. Pin. Cord. Calm.*). Verum iam *Malv.* notat quosdam hebr. vertere : *et litem eius quem non cognoveram pervestigabam*, i. e. nulla erat apud me personarum acceptio; notis et ignotis ius ex aequo dicebam, et ita communiter recentiores (cf. *Hirz. Del. Hitz. Zsch. P. Le Hir, Renan*); *W.* vertit ut *vulg.*

est absimilis illa : multiplicabo semen tuum sicut arenam (Gen. 22, 17; cf. Is. 10, 22. Ier. 33, 22 etc.). Hanc sequuntur *Chald. Syrus ;* eam proponunt *Vav. Cord.* « plerique nostrorum », ut ait *Malv.*, *Mar. Calm.* etc. Verum iidem, aliique (*Pin. Tir. Men. Cod. Vat.*) et recentiores multi (cf. *Ros. W. Hirz. Del. Hitz. Zsch. P.*) *phoenicem* interpretantur, quam explicationem ipsa graeca versio φοίνιξ (quae certe primaria censenda est et postmodum addito στέλεχος φοίνικος propter vocis graecae ambiguitatem clarius ex mente interpretis determinata et ad *palmam* restricta) suadere videtur, quae vox et *palmam* et avem illam apud veteres celebrem significat. Iam interpretes graecos *palmam* voluisse exprimere, vix credibile est, cum *palma* תָּמָר sit et ita a LXX explicetur (cf. Ps. 91, 13. Cant. 7, 8. 9. Ioel 1, 12 etc.), nunquam vero חוֹל. Cum igitur hanc vocem adeo notam singulari prorsus ratione φοίνιξ expresserint, vix traditioni illi rabbinicae [1] hoc Iobi loco avem illam intelligi omnis fides erit deneganda. Aptum est in hunc sensum prius membrum : *in nidulo meo* (hebr. *cum nido meo*) *moriar ;* vitam igitur longaevam, qualis patriarchis concessa erat, eamque vegetam florentemque speraverat. At *Le Hir*, *Renan* significationem *arenae* retinent.

Aliam subdit felicitatis imaginem v. 19 « *radix mea aperta est secus aquas et ros morabitur in messione mea* »; — arbori plantatae ad aquarum cursus (Ps. 1) sese comparat, cuius radix exposita est aperta aquis, ut irriguum humorem assidue exsugat. Ad alterum membrum notat *Men.* : « aer roridus messi commodus est ; nimia siccitas adversa, tum enim grana e spicis facilius cadunt » ; verum aptius ad prius membrum vertitur : *et ros pernoctabit in ramis meis* (cf. *Cod. Vav. Mar. Malv. W.* etc.), nam קָצִיר 14, 9 recte vertit *S. Hier. comam* scil. arboris. Unde arborem describit, quae omnibus prosperitatis conditionibus potiatur : humorem radicibus haurit, ramis accipit rorem. Idem iam sermone proprio effert v. 20 « *gloria mea semper innovabitur et arcus meus in manu mea instaurabitur* » : — simul cum

---

1. Cf. *Cod. Ros. Hirz. Del. Hitz. Le Hir* ; huius traditionis vestigia haec sunt : Talmud (Sanhedrin fol. 108) avem illam nostro Iobi loco commemorari asserit ; veteres rabbinorum commentatores (*Iarchi* etc.) id communiter sentiunt ; ipsa *Masora* חוֹל in duplici significatione inveniri adnotat ; inde lectio exorta חוּל pro nostro loco, quam vocem apud rabbinos phoenicem exprimere *Buxtorfius* in L. probat (cf. *Fürst* C. et L.). Veterum de hac ave sententias recenset *Calm.* in peculiari dissertatione, referunt *Pin. Cord. Tir.* Notatu dignum, Tertullianum (de resurr. c. cp. 13) Psalmi verba legere : *et florebit velut phoenix* (ad quem Tertull. locum cf. notam amplissimam editoris Lud. *de la Cerda* t. II. p. 569 et seq. qui veterum scriptorum et S. Patrum effata de *phoenice* late affert). Avem hanc revera חוֹל vel *Koli* nominatam fuisse apud Aegyptios, G. Seyffarth ex hieroglyphicis probare studuit (cf. Zeitschrift der deutsch-morgenl. Ges. III. p. 64). Ephraem legit non *in nido*, sed *sicut calamus* (qanjo) ; eadem lectio supponitur explicatione *Barh.* « diu durabunt dies mei », eadem versione arabica. Eandem lectionem *B.* restituit legens *qanaj*, quam formam dicit archaicam pro קָנֶה et imaginem a planta sumi, non ab ave, versu sequenti probari censet. — At *in nido meo* agnoscit *Chald.* (cf. pro voce chald. Targum Ps. 84, 4; Iob 39, 30) et *Sym.* μετὰ τῆς νοσσιᾶς μου γηράσειν.

fama et auctoritate vigor vitae et robur permanebit et florebit : unde *virum* se fore plenum *virtute* sperasse dicit; est enim *arcus* roboris symbolum (cf. Gen. 49, 24. Ier. 49, 35. 1 Reg. 2, 4; תַּחֲלִיף cf. 14, 7. Is. 40, 31 ; 41, 1).

b) **Olim honore, iam ignominiis se affectum profitetur 29, 21-30, 14.**

Mentione facta *gloriae* ad eam delineandam revertitur, ut, quanta fruitus sit et quantis nunc opprobriis repleatur (30, 1 et seq.), ad dolorem suum declarandum exponat. Spes, quam professus est, pristinae felicitati intime erat coniuncta; illi accedebat auctoritas, quam ipsi iustitiae ac prudentiae summa laus peperit; v. 21 « *Qui me audiebant, exspectabant sententiam et intenti tacebant ad consilium meum* » ; — hebr. *me audiebant et exspectabant* i. e. cum desiderio eum audierunt, neque loquentem interrumpebant, sed avide eius sententiam praestolabantur, excipiebant cum silentio et reverentia; plane ipsius prudentiae acquiescebant eam longe maiorem agnoscentes ; v. 22 « *verbis meis addere nihil audebant et super illos stillabat eloquium meum* » ; — hebr. *post verba mea non regerebant* i. e. iis meo sermone plane satisfactum erat, nam uti ros, ita eloquium meum eos recreabat, refocillabat, cf. Deut. 32, 2; *stillare* etiam de sermone prophetarum dicitur Ez. 21, 2. Amos 7, 16. Mich. 2. 11. Cum igitur Iobi sermo adeo gratus illorum animis illaberetur, v. 22 « *exspectabant me sicuti pluviam et os suum aperiebant quasi ad imbrem serotinum* » ; — i. e. magno desiderio consilia et consolationem a me expetebant eaque sibi fore salutaria maxime confidebant. Dicendi quadam ubertate gaudet poeta orientalis; hic vero genus hyperbolicum eo magis et recte adhibetur, quo maior appareat calamitas praesens. Imber *serotinus* maturandis frugibus necessarius avide exspectabatur; *os aperire* est magno desiderio suspirare, anhelare (cf. Ps. 118, 131); ita revera facere solent qui attente et avide audiunt (*Men.*) ; vel « elegantissima metaphora petita a terra quae aestatis torridae solibus siccata rimas agit videturque pluviam expetere » (*Cod.*).

Praeterea Iobus desperantes erigebat, ipse semper laetus et hilaris : ita v. 24 in hebr. *arridebam iis, (qui) non confidebant; lumen vultus mei non deiecerunt* i. e. meam fiduciam, securitatem, hilaritatem (cf. Prov. 16, 15) non poterant turbare; illorum timiditas et pavor et diffidentia me non a firma mentis securitate deiecit (cf. *W. Zsch. Del. Hirz. Hitz. P.* et pro ultimo membro *Malv. Cod.*). Ad quam explicationem optime adiungitur v. 25 in hebr. *elegi viam eorum et sedi princeps et commoratus sum quasi rex in exercitu, quasi qui afflictos consolatur* i. e. vel ad eos me contuli ; vel (quod omnino praeferen-

dum) pro eis elegi viam, eos docui, qua ratione e difficultate emergere possint. Ad id autem *auctoritate* valebat, quam principis (*capitis*, hebr.) et regis ducisve bellici nomine illustrat; hanc vero dignitatem humanitate, comitate temperans moerentium exstitit consolator, quippe qui prudentia, opibus, benignitate (tribus hisce afflictorum consolatio facile efficitur) eminebat.

Non adeo difficile ad eundem fere modum textus *vulg.* concipi potest v. 24 « *si quando ridebam ad eos, non credebant, et lux vultus mei non cadebat in terram* »; — i. e. quando hilari vultu moestos consolabar, illi autem ita erant afflicti, ut spem iam nullam se concipere posse putarent, tamen favor a me illis praestitus non erat inanis, illos (spe quasi contra spem) erigebat, fovebat, sustentabat. Pertinet enim ad ipsam viri potentis felicitatem, ut auxilium ab eo exhibitum successu non careat, fine suo minime frustretur.

Alii ita: etsi illis arriderem, tanta tamen eorum erat reverentia, ut talem familiaritatem in me adesse sibi non persuaderent (*Cord. Men.*) vel : non credebant me ridere, sed aliquid serii vel tentamenti in risu meo latere arbitrabantur (cf. *Ol. Pin. Sa, Tir.*); quare tali comitate nihil auctoritati meae deperibat (*Mar. Men. Tir. Sa*), me ridentem et iocantem non sperneηnba (*Malv. Vav.*). Sunt, qui etiam textum hebr. eadem ratione explicent (*Ros.; de Wette, Schlottmann* apud *Del.*); sed *lumen vultus non cadebat* non de auctoritate dicitur, sed ex usu biblico, uti iam notant *S. Thom. Pin.*, lux vultus hilaritatem, vultum placidum atque benevolum designat; dein explicatio illa de Iobo ridente, quem revera ridere alii non credant, habet nescio quid languidi et putidi; neque ad alterum membrum accommodari potest, cum *vultum in terram deiicere* moestitiam describat (cf. Gen. 4, 5). Id potius sonat *lux vultus mei*... ego illorum diffidentia minime turbabar; animi hilaritatem, benignitatem in miseros retinebam.

Ad Iobi auctoritatem spectat v. 25 « *si voluissem ire ad eos, sedebam primus; cumque sederem tamquam rex circumstante exercitu, eram tamen moerentium consolator* »; — i. e. ubique ei prima honoris sedes concedebatur; maiestatem eius et reverentiam temperabat benevolentia. Ita olim quidem.

At nunc, heu quantum mutatus ab illo! Id gemebundus proponit 30, 1 « *nunc autem derident me iuniores tempore, quorum non dignabar patres ponere cum canibus gregis mei* »; — grave est et molestum, senem a iunioribus irrideri, et a quibus? sunt ex infima faece plebis, quorum scil. patres noluisset cum canibus ad greges custodiendos, i. e. ad officium canum, adhibere; in tantum erant vel infidi vel rapaces [1]. A quam vili puerorum turba despiciatur, ulterius prosequitur v. 2

1. *Ponere cum canibus* est illos eo numero et loco habere, quo canes pastoritii haben-

« *quorum virtus manuum mihi erat pro nihilo et vita ipsa putabantur indigni* »; — homines igitur plane inepti et abiecti. Cum emphasi in hebr. *etiam virtus manuum eorum ad quid mihi? ipsis periit aetas matura* vel plena, consummata; cf. כֹּלַח 5, 26 i. e. ad talem aetatem non pervenerunt prae debilitate, fame, egestate, defectu necessariorum (*Pin.*); idem *vulg.* prae se fert versione ad sensum facta; idem *Ol.* : « ego vero interpretationi *Sym.* accedens ἀπώλετο αὐτοῖς πᾶν τὸ πρὸς ζωήν, per συντέλειαν (ita LXX) omnia quae ad vitam pertinent intelligo, quorum penuria laborabant, qui Iobo infensi erant » [1].

Iam a v. 2-8 miserrimam aeque ac vilissimam eorum conditionem late exponit. Est enim animi vehementer commoti, res easdem varia repetitione recolere, et « tanto aliquis gravatur super alicuius contemptum, quantum fuerit persona contemnentis abiectior; unde et ostendit eos, a quibus contemnebatur, esse abiectos *multipliciter* » (*S. Thom.*). Quare immerito *B.* audacia critica, quae nexum psychologicum spernit vel animi commotionem paucissimis verbis exhauriri censet, hos versus e libro Iobi expungit.

Ad explanationem datam v. 2 arcte adnectitur v. 3 « *egestate et fame steriles, qui rodebant in solitudine, squalentes calamitate et miseria* »; — i. e. egestate emortui, impotes, « fructificare non valentes » (*S. Thom.*), nullam afferentes utilitatem, metaphora a locis desertis et incultis translata (*Var.*), rodentes arborum cortices et radices herbarum et miseria squalidi et horridi; in hebr. *rodentes solitudinem, obscuram vastitate et desolatione* [2], rodunt i. e. humi cubantes illam lingere videntur, et inde tenuem victum carpere conantur. Quomodo, describit v. 4 « *et mandebant herbas et arborum cortices, et radix iuniperorum erat cibus eorum* ». — Et cibum adeo vilem aviditate maxima miseri arripiunt v. 5 « *qui de convallibus ista rapientes, cum singula reperissent, ad ea cum clamore currebant* »; — i. e. si qua conspexissent, ad ea certatim inter se cum clamoribus properabant; « miseriae extremae exaggeratio » (*Mar.*).

Ab omnibus expulsi ipso habitationis loco miseriam ac vilitatem produnt v. 6 « *in desertis habitabant torrentium et in cavernis terrae vel super glaream* »; — i. e. super terram lapidosam; in nuda humo et

---

tur (cf. *Vav. Sanchez, Malv. W. Hirz. Hitz. Del. P. Le Hir*), neque vero canibus praeficere, ut eorum curam gerant (*Chrys. S. Thom. Cod.*) quod עַל exprimi debuit. *Ol.* illos canibus egentiores fuisse explanat.

1. Quare cum *B.* textum mutare : « in ipsis fallitur quaevis confidentia » non necessarium est.

2. Alii אֱמֶשׁ (*heri*) de tempore diuturno explicant : solitudinem, quae iam dudum vastitas est.

sabulosa habitant, pernoctant; v. 7 « *qui inter huiusmodi laetabantur et esse sub sentibus delicias computabant*, v. 8 *filii stultorum et ignobilium et in terra penitus non parentes* » ; — prae paupertate has miserias delicias [1], putant, quippe qui nobiliorem cultum victumque prae stupiditate nesciant (cf. *Cord.*); « vix attollentes caput, nulla in re conspicui; et forte alludit ad illorum habitationem in cavernis subterraneis, qua se hominum aspectui subducebant » *(Pin.)*. Omnem eorum vilitatem simul colligit. *Tales* igitur eum, virum adeo nobilem, nunc opprobriis obruunt; ii, quibus nihil horridum est, eum horrent; ii qui abiecto et foedo vitae genere [2] assueti sunt, eum fastidiunt, abominantur. Qualis proinde Iobi afflicti morboque foedati depingitur imago?

In hebr. v. 4 *carpentes halimum* (cf. LXX ἅλιμα; planta est salsuginosa; est enim מֶלַח sal — *Mar. Malv. Vav. Ges.* Thes. *Le Hir*) *super (ad) arbustum et radix genistarum panis eorum.* Genista erit chamaerops humilis, cuius species quaedam ad victum tenuem pertinet (cf. *Del. W.*). Quod iam apud *Malv.* proponitur et *Ges.* sequitur, esse לַחְמָם interpretandum *ad calefaciendum* (cf. Is. 47, 14) i. e. genistis illos uti veluti ligno ad ignem nutriendum, et parallelismo et versionibus vett. contradicit (cf. LXX; et *Aq. Sym.* in cod. syr. hexapl.). — In v. 5 *S. Hier.* legisse videtur גַּי — uti revera habet unus cod. apud *de Rossi* — pro גֵּו et גָּרַשׁ accepisse significatione aramaica *rapere* (vel uti גֶּרֶשׁ Deut. 33, 14?). Hisce enim suppositis versio eius sat commode fluit. Textum hebr. verte : *de medio pelluntur, clamant super eos sicut (super) furem* (cf. *Mar. Malv. Cod. Vav. Calm. W. Del. Hitz. Zsch. P.*) i. e. a consortio et societate hominum expelluntur; si vero alicubi conspiciuntur, iis tamquam furibus occlamitatur. Et expelluntur v. 6 *ad habitandum in horrore convallium* (in vallibus horridis), *in cavernis terrae et saxorum;* v. 7 *inter arbusta rudunt; sub sentibus* (sub urticis, carduis) *se congregant* (contrahunt), *filii stultorum, homines absque nomine* (ignominiosi) *e terra propelluntur.*

Redit ad v. 1 v. 9 « *nunc in eorum canticum versus sum et factus sum eis in proverbium;* v. 10 *abominantur me et longe fugiunt a me, et faciem meam conspuere non verentur* » ; — i. e. de me edunt cantilenas, dicteria; me tamquam exemplum calamitatis ad imprecationes adhibent. Nauseabundi se retrahunt me conspecto; vel si cum fastidio accedant, a facie mea non cohibent sputum (hebr.), maxima contumelia me afficiunt (cf. Ps. 68, 13. Lament. 3. 14. 62). In seq. textus vulg.

---

1. נהק *S. Hier.* 6, 5 bene vertit *rugire;* LXX 6, 5 κράζειν; h. l. βοᾶν. Cur hic *laetari* verterit, non liquet. סָפַח vertit *adhaerere* (Is. 14, 1); *habitare* (1 Sam. 26, 19); *dimittere* (1 Sam. 2, 36); h. l. libenter habitare = delicias computare esse sub...?

2. In ea descriptione aliqui deprehendere sibi videntur *Chorraeos* in monte Seir (cf. Gen. 14, 6. 36, 20. Deut. 2, 12. 22. — *Hirz. Hitz.*), alii incolas *Auran* (חוּרָן Ez. 47, 16. 18) regionis circa Bosram (*Del.*). Troglodytas v. 6 certe ob oculos habet sacer auctor. — Peculiarem gentis stirpem intelligi, iam autumavit *Pin.*, qui Troglodytarum vitae genus e veteribus scriptoribus illustrat.

duplice imagine Deum affligentem describit, simulque rationem reddit, cur Iobus ludibrio habeatur : v. 11 « *pharetram enim suam aperuit et afflixit me et frenum posuit in os meum* » ; — i. e. sagittis Iobum transfixit, eumque sicut equum ferocem freno compescuit ; et quem Deus percussit, quid mirum si etiam homines eum persequentur et conculcabunt? Deus enim illos suo quasi exemplo incitat (*Vav.*).

Textus hebr. varie accipitur. LXX et S. *Hier.* יִתְרוֹ (Kethib) legentes יֶתֶר de fune, nervo arcus intellexisse videntur, uti Ps. 11, 2 ; unde *funem suum solvit* i. e. soluto et laxato nervo sagittas suas in me emisit (cf. *Malv. Vav. Pin.*), vel, *funem suum*, quo illos hostes meos constrictos tenui, *solvit*, habenas laxavit, quo liberius in me irruerent (*Cod.*). Alii etiam hoc membrum de aggressoribus intelligunt, uti certe in hebr. alterum membrum accipi debet : *sed funem* (frenum) *suum solvunt et me affligunt, habenas coram me laxant* i. e. omni insolentia maximo cum impetu me probris onerant (cf. *W. Hitz. P. Le Hir, Renan* ; alii de verberibus fune impactis explicant (*Malv. X. Hirz.*). Qui *qeri* sequuntur (יִתְרִי cum *Chald.* at contra LXX et *vulg.*) : *funem meum* vel vim et vigorem vitalem Iobi explanant et robur, quod Deus dissolverit (cf. Ier. 10, 20. Eccl. 12, 6. — *Mar. Malv.* IV. *Del. Zsch.*), vel vinculum illud timoris ac reverentiae, quo olim Iobus alios in officio continuit (*Malv.* II).

Illorum insolentiam ulterius proponit v. 12 in hebr. *ad dexteram impudenter consurgunt, pedes meos propellunt et muniunt contra me vias pernicici suae* ; versus non una difficultate premitur, ut rite eum transferas translatumque explices. פִּרְחָה a plerisque *proles* bestiarum explicatur et cum contemptu de vilissimis illis dici perhibetur (cf. *Malv.* VI. *Ges.* Thes. *W. Hirz. Del. Zsch. P. Le Hir*), neque ab hoc abest, quod habent LXX ἐπὶ δεξιῶν τοῦ βλαστοῦ et S. *Hier. ad dexteram orientis*. At *Chald.* vocem explicat *cum impudentia* [1] ; quam interpretationem sequuntur *Cod.* qui omnes alios interpretes praeter *Chald.* in hac voce caecutiisse affirmat, et *Hitz.* qui eam ex arabico illustrat. Porro *ad dexteram surgere* plerisque est *accusare* (cf. Ps. 108, 6. Zach. 3, 1) ; apte quidem, quia maxima est Iobi molestia a talibus criminum insimulari. Forte simplicius : ad me accedunt, me petulanter propellunt, de statione et sede deiiciunt, et variis rationibus mihi exitium inferre student, vias sibi parant et muniunt, quibus me molestant.

Maior fere difficultas superest in textu lat. v. 12 « *ad dexteram orientis calamitates*[2] *meae illico surrexerunt, pedes meos subverterunt et oppresserunt quasi fluctibus semitis suis*[3] » ; —

---

1. Vel cum addat : « filii eorum insurrexerunt » potius *duplicem* unius vocis interpretationem tentare videtur.

2. Haec lectio sane difficilis est. *Lucas Brug.* triplicem ait huius loci lectionem in codicibus inveniri : orientes calamitates meae surrexerunt ; vel : orientis calamitatis, et quae nunc in *vulg.* fertur. Duae priores facile explicantur ; secundam *Lucas Brug.* censet probabiliorem, quod libris graecis sit conformior et a manuscriptis latinis prorsus non exsulet. Sensus eius aptus est : statim ut orta est calamitas mea, insurrexerunt afflictores mei.

Hanc lectionem tamquam veram defendit *Pin.*

3. Primum membrum explicatiore modo proponit interpretationem פִּרְחָה ; in ultimo *S. Hier.* legit גַּלִּים forte pro עֲלֵי, vel אֵידָם liberius reddidit.

Verbum *orientis* varie referunt : vel ad Iobi morbum i. e. simul cum oriente morbo meo adfuerunt etiam aliae calamitates; vel ad Deum i. e. cum in me exortus est Deus, statim turba calamitatum oppressus sum (cf. *Cord.*); dein *semitis* calamitatum i. e. serie et ordine illarum quasi fluctibus se oppressum conqueritur. Alii aliter (cf. *Vav. Pin. Tir. Calm.*).

Quantopere illi adversarii Iobi ruinam augeant, prosequitur v. 13 « *dissipaverunt itinera mea, insidiati sunt mihi et praevaluerunt, et non fuit qui ferret auxilium* »; — vias, quibus incedere vult, evertunt; studia, instituta, rationes eius turbant, convellunt; nullum adest effugium; diruunt, occludunt viam. Eum agmine facto impetunt. Concludit descriptionem omnem illorum impetum apta imagine depingens v. 14 « *quasi rupto muro et aperta ianua irruerunt super me et ad meas miserias devoluti sunt* » ; — « metaphora est a re militari, ab irruptione quae fit effractis moenibus » (*Cod.*), catervatim, magno cum furore in eum invehuntur eiusque miseriis insultant.

In hebr. v. 13 ad infortunium meum proficiunt illud omni studio promovent; proprie : ad illud utiles sunt cf. *Mar. Malv. Vav. Cod. Le Hir*), *non auxiliator eis* i. e. licet ipsi sint ope destituti, tamen ad eum vexandum satis strenui inveniuntur. Denuo effert, a miserrima plebecula se conculcari. Quare hoc membrum non adeo languidum est, ut correctione opus sit, quamvis textus *vulg.* praeferri possit, Iobum conqueri, quod sine ulla ope iis prodatur et eorum ludibriis expositus sit (cf. *B.*). Verte hebr. v. 14 : quasi (per) rupturam latam irruunt (cf. *Mar. Malv. Del. Hirz. Le Hir, Renan, Zsch.*) vel *quasi ruina lata irruunt* (*Cod.*). Alii פֶּרֶץ *torrentem* interpretantur : *ut torrens magnus veniunt et cum strepitu devolvuntur* (cf. *W. Hitz. P.*); at 2 Sam. 5, 20. Is. 28, 21; 30,13 non constat eam esse vocis significationem (cf. 16, 14).

c) Se cruciatibus tabescere 30, 15-31.

Praeter ea, quae ab istis hostibus ei inferuntur, ipse intimis cruciatibus et terroribus concutitur (v. 15-17) et ab ipso Deo diris cruciatibus exercetur (v. 18 et seq.). Unde conqueritur v. 15 in hebr. *versi sunt contra me terrores; dispellunt quasi ventus sublimitatem meam et sicut nubes pertransiit salus mea; vulg.* bene sensum reddidit v. 15 « *Redactus sum in nihilum, abstulisti quasi ventus desiderium meum et velut nubes perstransiit salus mea* »; — nube enim dissoluta quid inanius, quid magis vacuum? ita, dicit, disparuit, abiit prosperitas mea, ac si ventus nubem dispellat [1].

Quare moerore et moestitia immergitur; v. 16 « *nunc autem in me-*

1. תְּרַדֵּף 3 p. f. propter רוּחַ S. Hier. 2 p. m. explicuit.

metipso marcescit anima mea et possident me dies afflictionis »; — in hebr. *et nunc effunditur in me anima mea* vel effundit se super me i. e. moerore et tristitia demergitur et querelis sese effundit et dolore super me consumitur, vel pene sum exanimatus (*Mar. Malv.* : « nam cum quis moritur, veluti effluit anima » — « vel anima mea non potest se sustinere, labascit, atque in meipsum relabitur » *Cod.*) *et arripuerunt me dies afflictionis*. Hanc afflictionem iam oculis subiicit ; v. 17 « *nocte os meum perforatur doloribus et qui me comedunt, non dormiunt* »; — in hebr. magis ad poesim et vigorem oratorium : *nox ossa mea perfo-ravit* (cf 3, 2 hebr. — et frusta proiicit) *a me et rodentes me non dor-miunt* i. e. nox, quae ceteris mortalibus gratissima illabitur, mihi nullam requiei partem concedit, ossa mea acutis doloribus penetrat, ea quasi confringit, nam dolores, vermes, lepra, quae me rodunt ac devorant, nunquam cessant (cf. 7, 3. 5. *Pin. Cord. Malv. W. Tir. Men. Del. P.*) [1].

Ista arrosione totus mutatur, consumitur : v. 18 « *in multitudine eorum consumitur vestimentum meum et quasi capitio tunicae succinxe-runt me* »; — vestimentum vel pellem vel carnem vocat, quae dolo-rum ac vermium multitudine consumitur (cf. 7, 5. *Cord. Calm. Hitz.*) [2]. Alterum membrum apte explicant : « sicut tunica collum cingens totum deinde ad pedes usque corpus complectitur, ita ego, inquit, sanie ac tabe totus contaminatus sum; illud ulcus perstringens, de quo cap. 2 *percussit Iob ulcere pessimo a planta pedis usque ad verti-cem eius*. Quia ergo ulcus eius totum corpus pervaserat, eo sicut capi-tio tunicae totus succinctus esse dicitur. Capitium autem tunicae vocat os tunicae, sive orificium eius quod collo inseritur » (*Cord.* sim. *Mar. Malv.*). Subtilius *Vat.* : « ut capitium praecingit fauces et premit quam fieri potest arctissime, ita morbi et reliquorum incommodorum magnitudo Iobum in summas angustias adducit ». In hebr. *in multi-tudine roboris mutatur vestimentum meum, sicut os tunicae meae cin-git me* vel *ad modum tunicae cingit me* (*Hitz. Le Hir, Renan*) i. e. totus sanie et tabe vestitus est et circumdatus.

Et tamquam talis merito conqueritur : v. 19 « *comparatus sum luto et assimilatus sum favillae et cineri* » : — vulneribus ac sanie quasi lutum computrescit ; color cutis eius niger est atque adustus, uti elephantiasis fert (cf. *Del.*), similis est cineri propter furfures deci-

---

1. Satis frigide alii : *arteriae* (venae) *meae non quiescunt* (*Mar. Malv.* I. III. *Cod.* et aliqui recentiores apud *W. Del.* ex arabico).

2. Alii de veste lugubri intelligunt, quam nunc gerat, vel de veste sanie infecta, qua corpus macidum et morbo exesum iam non apte vestiatur (cf. *W. Hirz. Del.*) alii de ve-stium mutatione, quae sanie et sordibus exigatur (cf. *Pin. Mar.*).

dentes (*Tir.*). In hebr. *proiecit me* (scil. Deus) *in lutum et assimilatus sum pulveri et cineri*. Et quod molestissimum est, in tanto supplicio iacet derelictus, uti videtur, a Deo; inanes sunt quas edidit innocentiae protestationes : v. 20 « *clamo ad te et non exaudis me*; *sto et non respicis me*[1] »; — i. e. etsi meos dolores intuearis, opem tamen non fers. Immo dure eum cruciat; v. 21 « *mutatus es mihi in crudelem, et in duritia manus tuae adversaris mihi* »; — fortissima manu Deus plagas infert; *crudelem* vocat, quia precibus non flectitur, quia innocentem adeo cruciat (cf. *S. Thom.*); ille enim ex communi usu crudelis audit, qui aerumnosi et miseri hominis non miseretur; *talem* se Deus hucusque praebuit (cf. *Pin.*). Ceterum rem subtiliter expendit *Cord.* : « quia omnino in Deo nunquam nec crudelitas nec mutabilitas venit, dum *mihi* dicit, quod in semetipso Deum nec crudelem nec mutabilem sentiat, ostendit. Nam dum circa nos quaedam prospera et adversa variantur, in eo quod nos mutamur quasi eius circa nos mutatum animum suspicamur. Ipse vero in se incommutabilis permanens aliter atque aliter in cogitatione sentitur hominum pro qualitate meritorum ».

Hanc duritiem explicat alia imagine : v. 22 « *elevasti me et quasi super ventum ponens elisisti me valide* » ; — cf. Ps. 102, 11 *elevans allisisti me* ; Deus eum quasi turbine elevavit et evectum in sublime fastigium subito in barathrum praecipitavit.

In hebr. ad verbum *elevas me, super ventum equitare facis me, liquefecisti me* quoad) *substantiam* (vel robur) i. e. penitus, omnino me dissolvis. Est enim hebr. *qeri* תְּשִׁיָּה accusativus adverbialis, unde bene *Hier. valide* vertit (cf. *Pin. Mar. Malv.* III. VI); eandem lectionem probabiliter commendant LXX et *vet. lat.* « proiecisti me a salute ». *Kethib* vero habet תשיה, quam formam vel תְּשִׁיָּה legunt = תְּשׁוּאָה *strepitus, sonitus* (cf. שׁוה et שׁאה i. e. *in strepitu tempestatis me liquefecisti* (cf. *W. Hirz. Del. Zsch. P.*), vel תְּשַׁוֶּה, ad quam formam suffixum ex antecedente supplent; vertunt aliqui *terres me,* quae tamen significatio verbo hebr. nullatenus inest; *Hitz. prosternes me,* quae explicatio facilius ad verbum hebr. accommodatur.

Et quantopere sit ea ruina elisus, proponit v. 23 « *scio, quia morti trades me, ubi constituta est domus omni viventi* »; — hebr. *ad mortem me reduces et domum conventus* (statuti) *omni viventi*; denuo profitetur, humanitus nullam vitae spem superesse. Iuvat id notare, cum

---

1. Hebr. in ultimo membro caret negatione; eam ex altero membro alii supplent (*Mar. W.*), alii textui hebr. inserunt (*B.*), alii demum illa omissa explicant : *cogitabundus me aspectas* (*Cod.*) i. e. fixis me intueris oculis, at auxilium fers nullum (*Hirz. Del. Hitz. Zsch. P. Le Hir*). Sensus est idem ac *non respicis me.* Non male *Syrus* habet *stetisti* et consideras me i. e. stas iners me intuens (si punctationi editionum fidere licet). Unus cod. hebr. apud *de Rossi* legit negationem. Secundum cod. syr. hexapl. *Theod.* habet ἔστησαν καὶ κατένοησάν με.

ad explicandum locum 19, 25. 26 etiam aliquid lucis afferat. Domus omnibus constituta est sepulchrum; unde LXX et vet. lat. habent: « domus est enim omni mortali terra ». Iam ibi saltem Iobus sibi quietem promittit v. 24 in hebr. *verumtamen non in tumulum mittet manum, num post interitum eius* (si quis interierit) *propterea clamor?* i. e. ad tumulum Deus non solet manum extendere ad percutiendum et flagellandum; ibi omnes quiescunt; nam postquam quis fatis cessit, iam non propterea postmodum clamorem et suspiria tollet; ibi cessatur ab omni gemitu. Ita versum hebr. satis obscurum vertendum censeo. Nam sententia apte ad antecedentia adnectitur et est tota ex Iobi animo deprompta, uti 3, 13-19; 14, 22 (hebr.); 17, 16.

Neque minus apta est ad verba; עִי est *acervus, tumulus;* potest facile *tumulum sepulcralem* significare (cf. 21, 32 גָּדִישׁ), praesertim, quia de sepulchro immediate antea sermo erat; *manum mittere in alq.* sensum habet *affligendi* (cf. Gen. 37, 22. Ex. 24, 11. 2 Sam. 18, 12 etc. et in nostro libro 1, 11. 12; 2, 5). Quare recentiorum multorum interpretationi: *at nonne super ruinam manus extendent?* i. e. ad salutem capessendam (cf. *W. Del. Hirz. Zsch. P.*) non assentior, neque sensum approbo, quia Iobus opem in hac vita se exspectare semper negavit. Alterum membrum iidem fere vertunt: *annon in interitu suo propterea tollunt clamorem?* i. e. quid mirum, si gemo; quis unquam sine ululatu interiit, quis perniciem non defleat? Lacrimae enim et singultus miserorum arma sunt et solatia. Sensus haud ineptus. At propter nexum ad antecedentia aliam praefero, quae verbis aeque correspondet; לָהֵן cf. Ruth. 1, 3 *propterea*; בְּ etiam *post* significat (cf. Gen. 33, 18. Ex. 3, 12. Ios. 5, 4. 1 Reg. 13, 31 (hebr.) Is. 20, 1. 53, 8). Fere eodem modo hebr. *Pin.* et *Malc.* IV explanant et saltem priorem partem *Cod. Mar. Calm.* Aliae eaeque non paucae propositae sunt explanationes, quas vide apud *Malv. Ros. Renan.* Recenter *Hitz.* hanc protulit: « tantum ad ruinam ne ponat manum; vel num ei prodesset illius interitus »? sed לֹא non est אַל; שׁוּעַ, uti 36, 19 ? explicat *opes;* at sensus est languidus: manui Dei non fore opes in Iobi interitu; insuper *talis* vocis usus valde incertus est. Pro hac voce *S. Hier.* (omisso לָהֵן?) legisse videtur תּוֹשִׁיעַ vel תְּשׁוּעָה; ita enim facile ex textu hebr. eius eruitur versio.

Deum alloquens Iobus ait v. 24 « *verumtamen non ad consumptionem eorum emittis manum tuam, et si corruerint, ipse salvabis* »; — videtur explicationis causa addidisse *eorum;* sed quis sensus? *Pin.* verba ad sensum hebr. supra expositum inflectit hoc modo: consumptionem eorum vocat congeriem mortuorum; qui si morte corruerint, Deus eos *salvat* i. e. non iam exagitat, vexat, sed quiescere sinit (sim. apud *Men.*). Aliam, verbis latinis quidem satis aptam, at ab originali textu recedentem habet *Mar.*: « *me* occidis; *hostes* meos eripies a morte »; sim. *Calm.* Tertiam, Iobum sibi pro solatio proponere immortalitatem animae, quae frequens est apud latinos interpretes, iam *Pin.*

tamquam *coactam* et *alienam* a germana vocum proprietate et significatione refutat et reiicit[1].

Cur vero talem sortem minime exspectaverit, exponit v. 25 « *flebam quondam super eo, qui afflictus erat et compatiebatur anima mea pauperi* »; — i. e. aliis praestiti misericordiam; ipse vero non invenio; « neque verbo aut signo tantum commiserationem ostentabam, verum ex intimo cordis affectu illis condolebam (*Cord.*) ». Idem in hebr. morosius per interrogationem effertur: *annon flevi de misero* (de eo, cui dura et difficilia erant tempora), *moesta fuit anima mea pro paupere* (cf. *Cod. Mar. Hirz. Zsch. Del. P.* assertive : profecto, *Hitz.*)[2]?.

Propter benignitatem aliis exhibitam prosperitatem exspectari licuit; at aliter res cecidit; unde spem frustratam deplorat v. 26 « *exspectabam bona et venerunt mihi mala; praestolabar lucem et eruperunt tenebrae* »; — hebr. כִּי assertive ponitur: vere, utique bona exspectavi. Uti dolentis est, haec mala longiore oratione (v. 27-31) depingit; et primo quidem dolores quos intime persentiscit; v. 27 « *interiora mea efferbuerunt absque ulla requie, praevenerunt me dies afflictionis* »; — i. e. viscera mea ebullierunt, combusta sunt i. e. aestu incessanter torquentur, cruciantur, *neque silent* (hebr.); continuo dolor intestina perfodit. Unde doloris significationem edidit et edit v. 28 « *moerens incedebam, sine furore; consurgens in turba clamabam* »; — « inter circumstantes me homines miseriam meam lamentabiliter eiulabam » (*Cord.*).

Prius membrum in hebr. *ater ambulavi, non ob solem* (calorem; cf. *Mar. Malv.* II. *Cod. W. Hirz. Hitz. Zsch. Le Hir*) i. e. fuscus sum et denigratus, non propter solem, sed propter morbum, quo cutis nigrescebat. Sed cum קָדַר de nigro ac sordido tristium ac lugentium habitu in usu sit (cf. Ps. 35, 14; 38, 7; 42, 10; 43, 2) melius interpretabimur : *lugens* (squalore et sordibus lugentium) *incessi sine sole* i. e. tenebris involutus, sine lucis prosperitate (cf. *Del. P.*; tenebras amo moerens, solis lucem vito *Pin.*). *S. Hier.* חֻמָּה legit, uti *Syrus*, pro חַמָּה (cf. *Pin. Cod. Vav. W.*) — expli-

1. *Syrus* habet : « sed non in me extendet manum suam et cum clamavero ad eum, me liberabit »; legit igitur בִּי pro בְּעִי in priore membro; quae lectio etiam apud LXX et *vet. lat.* cernitur : « atque utinam possem me ipsum interficere, aut rogare alium ut faceret mihi hoc », quae versio videtur supponere בִּי אֶשְׁלַח *in me extendam manum meam* et in fine יַעֲשֶׂה pro יֵשׁוּעַ. Notat *Ol.* : « vides illud *possem* non propter imbecillitatem, sed propter prohibitionem ab eo dici... ex his igitur plagae simul gravitas ab eo ostendebatur » etc. — *B.* legit et corrigit versum ita : im b'fido lo jeshavve? an in eius interitu non clamabit? — *Chald.* haec habet : « non cum furore immittet plagam suam, si tempore angustiae eius suscipit preces eorum ». Ex tanta versionum varietate, quid proprie legendum sit in textu hebr., concludi nequit; textus mas. certe est h. l. corruptus; neque tamen certum remedium prostat.

2. Idque recte; nam quod alii volunt : annon fleam de misero i. e. de meipso (*Ros. W.*), satis est ieiunum; neque veterum est, in tali luctu de se tamquam de alieno prorsus homine loqui, neque satis formae verbi et temp. perf. conformatur.

cant : doleo, neque tamen furo, neque indignor adversus numen (cf. *Pin. Cord. Men. Calm.*), at palam et publice doloris clamores tollit; hebr. *surrexi* i. e. me accinxi et adstiti, *in coetu clamo*, tamquam qui coram iudice de vi illata conqueritur et omnes palam testes iniuriae obtestatur.

Iam clamores lugubres imaginibus apud orientales consuetis proponit v. 29 « *frater fui draconum et socius struthionum* » ; — cf. Mich. 1, 8 *faciam planctum velut draconum et luctum quasi struthionum* ; hebr. תַּנִּים[1] fere *canes aureos* (Schakale) interpretantur[2] ; isti et struthiones[3] lugubres sonos et eiulatus praesertim noctu edunt. Quare in hisce et non in solitudinis ratione comparatio erit collocanda (cf. *Mar. Malv. Men. Tir. Calm.*). Et quantopere miseria deploranda sit, totus eius habitus corporis cutisque pandit ; v. 30 « *cutis mea denigrata est super me et ossa mea aruerunt prae caumate* » : — hebr. חִרְתָה uti v. 17 dici *praegnanter* videtur i. e. nigrescit a me, nigra est et paulatim solvitur, discinditur et decidit *a me; et os meum ardet prae incendio* i. e. ossa quasi comburuntur, dissolvuntur, depascuntur morbo ; exarescit medulla in eis, ipsa ossa vi morbi mollescunt et quasi diffluunt. Cutis ossiumque scissio et tabes elephantiasi efficitur (cf. IV.). Unde merito « luctuosissima totius capitis clausula » (*Pin.*) v. 31 « *versa est in luctum cithara mea et organum meum in vocem flentium* » ; — ablata omni laetitia eiulatio ac lamentatio tantum praesto est. Certe commiseratione dignus Iobus, qui se a Deo derelictum putat et ab hominibus contemptum scit et saevis doloribus cruciari ac devorari experitur[4].

d) Castitatem et iustitiam se coluisse 31, 1-15.

Et talia is sustinere debet, qui virtutibus excelluit! Mores suos vitamque transactam commemorat Iobus, ut refutatis accusationibus vitae innocentiam defendat et minime in culpis suis calamitatum causam esse sitam demonstret. Remanet igitur, cur patiatur, obscurum et tenebris involutum.

Incipit a castitate, quae virtus inter divitias et potentiam, luxuriae incitamenta et fomenta, maxima admiratione digna est ; v. 1 « *Pepigi*

---

1. S. Hier. vertit *dracones* (Is. 34, 13; 35, 7; 43, 20; Ier. 9, 10; 10, 22; 14, 6; 49, 33; 51, 37. Ez. 32, 2. Mich. 1, 8); sed *sirenes* Is. 13, 22; *lamiae* Lament. 4, 3.

2. Iam ita *Syrus*, cf. *Barh.*

3. *Syrus* cf. *Barh.* struthiocamelum interpretatur.

4. In hebr עוּגָב (cf. 21, 12. Gen. 4, 21. Ps. 150, 4); LXX est κιθάρα, ὄργανον, ψαλμός; probabiliter est *fistula, tibia* (Schalmei — cf. *Pin. W. Del. Hitz.* et praecipue *Calm.* dissertationem in instrum. mus. Hebr. t. II, p. 180).

foedus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine »; — hebr. cum interrogatione, quasi indignabundus tale faciuus mente conceptum reiiciat; *et quid cogitarem de virgine?* Foedus, praeceptum, normam praescripsit oculis, quibus vitiorum irritamenta facile hauriuntur. Talem morum sanctitatem profitetur Iobus, qualem Christus in nova lege promulgatam voluit (cf. Matth. 5, 27). Haec puritas eo magis admiranda, cum apud principem orientalem, apud quos polygamia tantopere invaluerat, inveniatur. Iobus in monogamia [1] vivens et talem animi sensum castissimum pandens praeclarus est atque immortalis castitatis praeco et absolutam quandam in se exprimit formam ac speciem *sapientis* illius, quem s. literae hominibus imitandum proponunt. Iure optimo etiam illa *sapientiae* institutio, quae in libro *Prov.* continetur, laudibus sapientiae enarratis a castitatis praecepto (Prov. cp. 5, 6, 7) initium ducit. — Et aspectum quoque vitandum esse docet Eccli 9, 5. 8. seq. [2].

Cur inviolabili lege vitiorum irritamenta sedulo evitaverit, indicat v. 2 « *quam enim partem haberet in me Deus desuper et hereditatem Omnipotens de excelsis* »? — bene *Pin.* : « *quam* enim (per admirationem) *partem* i. e. quam vehemens supplicium, quam severam vindictam retribuendam » haberet Deus mihi (sim. *Cod. Malc. Vat.*), contra me exsereret de excelso suo habitaculo, qui omnia intuetur et quodvis malum detestatur. Bene ad hunc sensum hebr. *et quae pars Dei desuper et hereditas Omnipotentis?* i. e. mihi contingeret, quali poena me afficeret. Ad quod responsum v. 3 datur (cf. *Hirz. Del. Zsch. P. Le Hir*); et revera *pars* et *hereditas* de poena dicuntur loco simillimo 20, 29; 27, 13.

Alii exclamationem admirabundam de sorte *facta* interpretantur: et quid pro tali virtute mihi Deus misit? Ita iam LXX καὶ τί ἐμέρισεν ὁ θεὸς ἄνωθεν [3]; et *W. Hitz.* At prior explicatio magis apta est ad sequentia; praeterea eo commendatur, quia Iobus in toto capite nos de suo agendi sentiendique modo, quem secutus sit, edocet, quare idem h. l. ab ipso fieri praesumendum est, minime autem, eum a v. 2 iterum ad querelas fundendas reverti. Textum lat. alii ita explanant: « cum turpis cogitatio cor hominis contaminet, quomodo si illas ad animum admitterem, divinam mihi praesentiam, familiaritatem et inhabitationem in corde meo polliceri possem » (*Men.* sim. *Tir. Cord.*, neque abnuit *Pin. S. Greg. S. Thom.*). At cum eadem

---

1. Libri sapientiales monogamiam unice laudant et commendant, cum ubique de *una* uxore loquantur : cf. Prov. 12, 4; 18, 22; 19, 14; 31, 10... Eccli 26, 1... Monogamiam prophetae pariter commendant foedus Dei cum populo sub matrimonii symbolo describentes, qua ratione simul « magno mysterio in Christo et in Ecclesia » praeludunt (cf. Os. 2, 18; Is. 50, 1; Ier. 2, 2; Ez. 16 cp. 23 cp. Mal. 2, 14).
2. Praeclare disserunt *S. Chrys. S. Greg. Cord. Pin.*
3. Cf. *Ol.* ad h. l.

sententia originalis habeatur supra 20, 29 et 27, 13, certe eadem verba eodem sensu sunt explicanda. Dein mirum esset, si homo *pars et hereditas Dei* vocaretur, cum e contra *Deus* sit pars, sors et hereditas illa, quam ipse Deus homini polliceri et dare dignatur (cf. Ps. 15, 5; 72, 26. Num. 18, 20 *ego pars et hereditas tua in medio filiorum Israel*; Deut. 18, 2.).

Iam aperit, quomodo timore salutari Dei vindicis et ultoris animi motus pravos omni studio compescendos esse censuerit : v. 3 « *numquid non perditio est iniquo et alienatio*[1] *operantibus iniustitiam* »? — i. e. Deum iustum iudicem, qui punit omne flagitium, constanter ob oculos habuit, et insuper alte sibi insculpserat animo, talem Deum stricto examine omnes hominis sensus, consilia, opera omnia expendere. Vide, quomodo Iobus ex fide vixerit; nam Dei omniscientiam optime in usum et virtutis stimulum convertit; v. 4 « *nonne ipse considerat vias meas et cunctos gressus meos dinumerat* »? — *vias* « integrum processum meorum operum et totalem cognoscit, et etiam singulas partes illius, unde subdit *gressus* i. e. omnia etiam modica, quae in actibus reprehensibilia videntur, suo iudicio examinat » (*S. Thom.*). — Cum igitur Iobus supplicii etiam et exitii timore ab omni culpa se immunem servasset, eo magis eius in calamitate perferenda patientia laude digna est; illa enim elucet, quia, quamvis id sibi accidisset, quod peccato vitato avertere se posse speraverat, tamen non furore et desperatione impulsus Deo flagellanti « in faciem benedixit, » sed humiliter collum submisit. Gravissimum vero est id ipsum experiri et subire, quod ut evites omni studio virtuti operam dedisti.

Animi sui religione proposita iam alia iniustitiae crimina a se fuisse aliena protestatur v. 5 « *si ambulavi in vanitate et festinavit in dolo pes meus*, v. 6 *appendat me in statera iusta et sciat Deus simplicitatem meam* ; v. 7 *si declinavit gressus meus de via et si secutum est oculos meos cor meum et si manibus meis adhaesit macula*, v. 8 *seram et alius comedat et progenies mea eradicetur* »! — v. 6 per modum parenthesis legendus est, qua Iobus, antequam pro variis sceleribus si ea patrasset varia sibi imprecetur, denuo integritatis suae conscientiam sollemni modo profitetur. Dicit : si ambulavi *cum vano* (hebr.), inani i. e. si consectatus sum fraudem, mendacium, deceptionem; si pes meus ad dolos et insidias aliis struendas festinavit — in *animo* pariter et in *actionibus* ab omni fallacia et simulatione longissime se abfuisse asserit; idque fidenti illa v. 6 ad

---

1. Hebr. נֵכָר *alienum*, i. e. insuetum, insolitum poenae genus (cf. *Malv.*) vel portentosum, exemplum poenae atrox et gravissimum (*Cod.*); vox eiusdem significationis est ac נֵכֶר Abd. 12 *pernicies, exitium* (cf. *W. Del. Hitz. Zsch. P.*).

Deum provocatione fulcit : utinam me Deus scrutetur (cf. v. 4), certe debebit agnoscere *integritatem meam* (hebr. cf. 1, 1; 2, 3 תֻּמִּי). Et revera hoc Iobi de se iudicium iisdem verbis ei redditum est a Deo (cf. 1, 8; 2, 3). Hac protestatione interposita pergit, uti v. 5 inceperat, *si declinavit gressus meus de via*, ea scil. quam Dei lex ac voluntas praefixit, via iustitiae (*S. Thom.*), quam si quis seponat, sequitur « quod homo res proximi insidioso oculo videat ad rapiendum », unde subdit : *si secutum est...* i. e. si intuens alienas opes eas *desideravi* et rapina, bonis iniuste acquisitis foedavi manus meas, tunc pereant mea bona; laborum meorum fructus alieni absumant (cf. *S. Thom. Pin. Mar. Malv.*). *Maculam* aliqui cum LXX et *vet. lat.* (« si manibus meis tetigi munera ») ad dona restringunt, quibus iudicis et principis animus corrumpatur (cf. *Cord.*), alii generatim de omni peccati scelerisve labe accipiunt (cf. *Men. W.*). Notatu dignum, quomodo Iobus omnem concupiscentiam, omne desiderium mere internum peccati condemnet, cum dicat : cor non desideravit ea, in quae forte oculus incidit illicita et aliena. Ceterum bene advertit *Vav.* : « vide porro ordinem peccandi, ut primum curiosos oculos coniiciamus aliquo, tum mens oculis obtemperet quodammodo, remque propositam concupiscat; postremo manus ad praedam et rapinas intendat ». *Progeniem* posteritatem, filios (*S. Thom. Pin. Cord. Mar. Hitz. Zsch.*) dicit, uti iam LXX et *vet. lat.* (« sine stirpe sim super terram ») et *Sym.* (τὰ ἔκγονά μου) intellexerunt et vox alibi in nostro libro adhibetur (cf. 5, 25; 21, 8; 27, 14). Neque obstat, quod iam filiis sit orbatus; nam hoc etiam valet de priore membro; bona et segetes et omnia iam amisit. Quare bene monet *Cord.* de istis imprecationibus : « optandi quippe modus est, qui nihil nisi affectum requirit; potuitque cupere mala sibi inferri, si status id ferret ». Unde neque de concubinarum filiis (cum *Cord.*) cogitandum est — vide ad 19, 17 — neque de terrae frugibus (*Chald. Syrus*[1] *Sanct. Del. Hirz.* etc.); contra quam explicationem iam *Pin.* ex voce *eradicandi* arguit, « quae in familiam et posteritatem convenit; sunt enim posteri omnes alicuius radicis rami et germen; quare ipsa progenies dicitur eradicata, quando ipse paterfamilias simul cum suis filiis convellitur et perditur ».

Aliud iniustitiae genus, adulterium, a se repellit; in quo quia « quaedam cordis deceptio praecedit, dum scil. ratio per concupiscentiam obtenebratur (*S. Thom.*) », ait v. 9 « *si deceptum est cor meum super muliere et si ad ostium amici mei insidiatus sum*, v. 10 *scortum alterius sit uxor mea, et super illam incurventur alii* »; — bene *Cord.* :

1. Qui ceterum aliter prorsus vertit : sed potius cum seminavi, tunc comedi; cum plantavi, tunc crevi (auctus sum) et comportavi.

« decipi cor... eleganter ac theologice dicitur; fallax quippe gratia et vana corporis pulchritudo, quae aliud videtur esse, quam sit, incautos animos seducit et quae non est redditura, pollicetur ». Sedulo Iobus etiam peccatum internum concupiscentiae vel morosae delectationis excludit; *insidiari* cf. 24, 15. 16 i. e. captare occasionem alienam domum torumque violandi; רֵעַ generatim est *alius*, proximus, socius eiusdem tribus; si quid sceleris clam admisisset, summam et publicam sibi impingi ignominiam postulat (cf. 2 Reg. 12, 12). Gravissima est huiusmodi imprecatio homini uxorem habenti (*Pin.*).

In hebr. prior imprecatio est : *molat alteri uxor mea* i. e. fiat vile alterius mancipium; nam *molere* ministerium erat vilissimum ancillarum (cf. Ex. 13, 29. Iud. 16, 21. Is. 47, 2) — ita *Vat. Hirz. Le Hir*, sed plerique verbum in sensu obscoeno dictum censent, uti iam *Chald.* et S. *Hier.* accepit; fortasse optimum est dicere, *servam* arbitrio heri fuisse relictam; nam יָחַן apud veteres Hebraeos illam habuisse significationem, probari non potest [1]; *Syrus* de servae ministerio explicat; LXX et *vet. lat.* « placeat quoque uxor mea alteri » ἀρέσαι (pro ἀλέσαι *molat*? quam formam textus hexaplaris notat [2] titulo ὁ Ἑβραῖος).

Haec exsecratio et imprecatio testis est, quo animo tale crimen abhorreat, et sollemne est testimonium innocentiae. Auget hanc attestationem Iobus, huius flagitii enormitatem describens; v. 11 « *hoc enim nefas est et iniquitas maxima;* v. 12 *ignis est usque ad perditionem devorans et omnia eradicans genimina* »; — flagitii indolem *ignis* metaphora optime exprimit (cf. Prov. 6, 27. Eccli. 9, 8), omnia devorat, usque in infernum (hebr.) voracitate sua et exitio nocet; omnia hominis bona, proventus, fructus funditus destruit : neque incongrue ad *ignem* referuntur odia, furores, inimicitiae, aliaque mala, quae ex adulterio oriuntur (cf. *S. Greg. Pin. Cord.*) [3].

Aliud exemplum ponit, quantopere coluerit *iustitiam*. Illam *servis* quoque libenter administravit : v. 13 « *si contempsi subire iudicium cum servo meo et ancilla mea, cum disceptarent adversum me* »; — non usus est tyrannica potestate et oppressione, uti Eliphaz calumniatus est; *si* introducit sententiam pendentem usque ad apodosin v. 22; vel, si mavis, explica אִם = *profecto non*, tamquam iurisiurandi particulam

1. Lament. 5, 13 *S. Hier.* in interpretando traditionem rabbinicam secutus est; cf. eius comment. ad Is. 47, 2.

2. Ita in fragmentis apud Montfaucon; in cod. syr. hexapl. tamen sola lectio ἀρέσαι exprimitur.

3. *Nefas* זִמָּה vox est in Pentateucho de vitiis carnis maxime abominandis (Lev. 18, 17; 19, 29; 20, 14), unde scelus adulterii exagitat; פְּלִילִים *iudices* (ut S. *Hier.* vertit Deut. 32, 31; *arbitri* Ex. 21, 22) crimen hoc tamquam iudicio humano puniendum designat, crimen quod ad iudices deferri debeat; proin esse scelus et divina (זִמָּה) et humana poena dignissimum.

(cf. Ps. 88, 36; 131, 3. Is. 5, 9. Ier. 49, 20. Am. 8, 7). Apte *Pin.*: « tam iustus erat Iob, ut ubi videtur non reperiri iustum, vid. inter servum et dominum, ibi tamen ille iustitiam coleret; nam servus in iure *nullus* censetur, nulla illius qualitas, nullum ius, adeoque etiam servorum testimonium invalidum » (sim. *Vav. Cord. Calm.*). Animi aequitatem et humanitatem prae se tulit, dignitatem humanam in servis religiose venerans. Et cur ita egerit, iterum ex religione pietateque demonstrat, v. 14 « *quid enim faciam, cum surrexerit ad iudicandum Deus, et cum quaesierit, quid respondebo illi* »? — Deum scil. coluit et metuit, vindicem miserorum et pauperum, qui oppressos tuetur et oppressores castigat, qui reges et principes de hac miserorum cura et de iustitiae administratione ad iudicium vocabit; Sap. 6, 6 *iudicium enim durissimum his, qui praesunt, fiet.* Insuper *servorum* causam Dominus studiose in lege tuetur; cf. Ex. 20, 10; 21, 2. 7. 8. 20. 26. Lev. 25, 39-55. Deut. 5, 14. 15; 15, 12; 16, 11 etc.

Cur vero Deus talem in servos animum postulet et ipse exhibuerit, praeclare docet v. 15 « *numquid non in utero fecit me qui et illum operatus est, et formavit me in vulva unus* »? — hebr. *et formavit nos*[1] *in vulva unus*; Deus est creator et pater omnium. Eadem ratione utitur, qua Paulus Ap. superbiam et arrogantiam Iudaeorum retundit: *non est distinctio Iudaei et Graeci; nam idem Dominus omnium* (Rom. 10, 12). Quantum igitur V. L. sapientis religio distat a moribus gentilium, apud quos mancipia *res* erant? At *unius* Dei cognitio et cultus humanam dignitatem etiam servorum tuetur, dum polytheismus infesto contemptu et odio et nationes inter se et familias dividit. Observatione sane dignum est, quomodo veri Dei cultui dignitas humana nexu indissolubili sit colligata (cf. eundem nexum expressum Rom. 1, 24. 26. 27. 28). De toto loco cf. *S. Chrys.* (Migne t. 63 c. 483.)

e) **Misericordiam et religionem sancte se servasse 31, 16-28.**

Hunc iustitiae, aequitatis, benevolentiae amorem etiam miseris et afflictis opere exhibuit; v. 16 « *Si negavi quod volebant pauperibus, et oculos viduae exspectare feci;* v. 17 *si comedi buccellam meam solus et non comedit pupillus ex ea:* v. 18 *quia ab infantia mea crevit mecum miseratio et de utero matris meae egressa est mecum* »; — *si* ut v. 13, vel refer ad imprecationem v. 22 sequentem; hebr. *si cohibui a desiderio* (a re quam necessariam expetebant) *pauperes, si oculos viduae deficere feci* longa scil. exspectatione, frustrari desiderio et quasi consumi; bene

1. Ita *nos* etiam apud *Chald.* et *Syr.* et unice aptum est; cur S. Hier. *m* verterit, non constat.

Ol. : « illud autem οὐκ ἐξέτηξα (non tabefeci; *vet. lat.* non excruciavi, egestate scil. vel lacrimis, vel assiduo oculorum intuitu sine fructu ullo et cum contemptu, tabescere non sum passus ». Moras non nexuit, id quod in beneficiis praestandis unum ex praecipuis est. Ipsa verba, quibus rem narrat Iobus, commiserationis affectum verissimum produnt animique in afflictos benevolentiam, quae miseros mirum in modum solatur; neque vilia tantum egenis tribuit, sed ad suam ipsius mensam eos adhibuit. Implevit, quae praecipit Tobias senior iuniori : *panem tuum cum esurientibus et egenis comede* (Tob 4, 7); non cum contemptu, sed paterna cum benignitate pupillis opem ferebat. Ad talem autem benevolentiam quasi factus natusque erat eamque a teneris annis exercuit.

Hanc benignitatem, quam a puero illis exhibebat, ulterius depingit v. 18 in hebr. : *profecto, a pueritia mea mihi accrescebat tamquam patri* (pupillus) *et a vulva matris mea deducebam* (iuvabam) *eam* (viduam); a teneris annis am beneficia et officia praestitit, *patrem* se pupillis, custodem, comitem, adiutorem viduis (cf. *Mar. Malv. Vat. Calm. W. Zsch. P. Le Hir*). Eodem modo hebr. exprimunt *Theod.* LXX et *vet. lat.* : « quia ab adolescentia mea enutriebam quasi pater et de ventre matris meae dux eis fui » ὡδήγησα; *a vulva* ihyperbolice est dictum, uti Ps. 57, 4. Eccli. 1, 16. *S. Hier.* legit כְּאֵב *dolor* (inde : aegritudo ex alterius malis, commiseratio; — cf. *Mar. Malv. Cod. Vav. Calm.*) pro כְּאָב *ad patet)* praeeuntibus *Chald.* [1] et *Syro* [2] ; unde vertit v. 18 quia ab infantia mea crevit mecum miseratio, ita illud *deducebam illam* ad *miserationem* retulit et ad sensum hunc reddidit *egressa est mecum;* at cum כְּאֵב (*dolor*) sit *masc.*, suffixum hebr. fem. non potest ita concipi. Sensus vero una ex parte est idem : rationem reddit ex eo, quia a teneris annis ad commiserandum natus factusque [3] sit ; textus hebr. *praeterea* dicit, qualem curam iis impenderit.

Pauperes porro iuvabat, qui veste necessaria carebant ad frigus depellendum; v. 19 « *si despexi pereuntem, eo quod non habuerit indumentum, et absque operimento pauperem* : v. 20 *si non benedixerunt*

---

1. Nam היך כאבא certe scribendum כְּאֵבָא *dolor;* non uti Polygl. habent et vertunt כְּאָבָא; nam praecedit הֵיךְ *sicut* unde כ sequens debet ad vocis radicem pertinere; quis enim dicet : me crescere fecit sicut tamquam pater?

2. Exponit *Barh.* « flevi cum flentibus ».

3. Locutionem latinam illustrat *Vav.* ex Valerio Maximo : ex eodem naturae utero et continentia nata est et Cato (lib. 4. cp. 3. ex. 2) et ex Ovidio : nata pudicitia est tecum probitasque fidesque (Trist. 5, 5). — *B.* legit verbum ultimum *nachani me duxit* et subiectum versus *Deum* esse vult : me Deus ut pater fovit etc.; at non adesse in alia explicatione « ridiculam hyperbolen », ostendunt Ps. 57, 4. Eccli. 1, 16. גָּדַל significat *adolescere* cf. 1 Reg. 12, 8.

mihi latera eius et de velleribus ovium mearum calefactus est » ; — [1] hebr. *si vidi miserum sine vestimento et non (esse) operimentum pauperi.* Bene *Men.* : « corpora aut membra pauperum, quibus datis vestibus benefacimus, quodammodo nobis benedicunt aut gratias agunt » ; optime et iucunde ita depingitur allata membris et corporibus, prosperitas, voluptas, cum ipsa dicantur laetari et bene precari largientibus (cf. Eccli. 29, 15). Neque male *Pin.* : eleemosynam etiam nemine loquente loqui et clamare et egregiam viri beneficentiam praedicare. Perpendit *Cord.* hebr. *si vidi* : o eximiam viri charitatem, non exspectabat hiemis rigorem, nec pauperum clamorem, sed statim ac eos videbat etc.

Neque unquam pupillos oppressit, etsi multa sibi praesto esse cernebat et parata ad iniuriam inferendam ; v. 21 « *si levavi super pupillum manum meam, etiam cum viderem me in porta superiorem* : v. 22 *humerus meus a iunctura sua cadat et brachium meum cum suis ossibus confringatur* » ; — hebr. *manum agitare,* vibrare ad magnam scil. percussionem inferendam (cf. Is. 10, 32) ; *quia vidi in porta auxilium meum* i. e. vidi me fore superiorem, me evicturum causam, etsi de iniusta mea oppressione actio forensis (porta iudiciorum forum) institueretur. Ergo etsi fuerit certus se fore impunitum, tamen nullam iniuriam intulit. Confirmat imprecatione hebr. *scapula mea ab humero suo cadat et brachium meum a canna sua confringatur* (cf. *Mar. Malv. Pin. W. Zsch. Le Hir*) i. e. funditus conteratur ; *canna* est fistula, os brachii : « convenire video in os a cubito usque ad manum, ut sit haec secunda pars, paulo diversa a priore, quae de superiore brachio agebat (*Pin.*) ». Poenam culpae respondere vult. LXX et *vet. lat.* : « si levavi super pupillum manum, fidens quia multum est mihi adiutorium, discedat humerus meus a iugulo meo, et brachium meum a cubito meo conteratur ».

Rationem affert, quia etsi non hominem, tamen Deum pie ac religiose timuit v. 23 « *semper enim quasi tumentes super me fluctus timui Deum et pondus eius ferre non potui* » ; — hebr. *quia timor super me, pernicies Dei* (scil. a Deo), *et contra maiestatem eius nihil valerem* i. e. quid facerem (haec mecum perpendi), si me Deus iustitiae reum suo sisteret iudicio? Ita si versus concipiatur, revera rationem reddit, et explicat, quomodo Iobus vitam suam instituerit, uti v. 2-4 ; v. 11. 12 ; v. 15. 16 ; v. 18. Minus apte alii volunt imprecationem continuari (*W. Del. Hitz.*). Bene LXX et *vet. lat.* : « timor enim Domini continuit me et a pondere eius (λήμματος) non sustinebo ».

---

1. אֹבֵד *periens,* i. e. perditus, interitui proximus, miseria pressus cf. 4, 11 ; 29, 13.

Iustitiae et misericordiae cognatum est animum a divitiarum cupiditate servare immunem et liberum ab inordinato *affectu* ad divitias, qui duobus cernitur : nimia fiducia et nimio de iis gaudio; utrumque excludit (*S. Thom.*), v. 24 « *si putavi aurum robur meum et obrizo dixi : fiducia mea ;* v. 25 *si laetatus sum super multis divitiis meis et quia plurima reperit manus mea* »; — *si* cf. v. 13; vel sequitur apodosis demum v. 28 in hebr. *et haec est iniquitas capitalis.*

Habuit quidem divitias amplissimas, sed iis cor animumque non defixit, non in iis spem, robur, fiduciam, gloriam, voluptatem reposuit. Laudes in se expressit vere sapientis : *beatus dives qui post aurum non abiit, nec speravit in pecunia et thesauris* Eccli 31, 8, et quod Paulus divitibus praecipi vult : *non sublime sapere neque sperare in incerto divitiarum* 1 Tim. 6, 17.

Avaritiam, quae est Paulo teste simulacrorum servitus (Col. 3, 5. Eph. 5, 5), a se repulit Iobus; nunc aliud scelus, ad quod Salomone docente illiciunt divitiae (Prov. 30, 9), veri Dei cultus negligentiam et superstitionem, a se alienum fuisse asserit; v. 26 « *si vidi solem cum fulgeret et lunam incedentem clare*, v. 27 *et laetatum est in abscondito cor meum et osculatus sum manum meam ore meo* »; — fulgor ac claritas siderum, quae maxima sui admiratione hominum animos rapiunt, nunquam eum ad *cultum superstitiosum* vel ad actiones superstitiosas impulit. Medius inter astrolatras vivens ne minima quidem labe fuit aspersus, nunquam astra tamquam bonos ac salutares genios salutavit, vel ab eorum influxu prospera sibi pollicitus est.

Hoc sensu, eum scil. abhorrere ab omnibus superstitionibus gentium (*Malv.*), non de veri nominis idololatria, quam plerique intelligunt, haec a Iobo dici existimo. Neque enim persuadere mihi possum, id velle auctorem sacrum, ut Iobus, tantae virtutis vir, ab insano idololatriae crimine se purget. Optime hoc persensit *S. Greg.* : « sed postquam tanta de se locis superioribus virtutum culmina narravit, quid nunc mirum memorat, si solem et lunam non se adorasse manifestat » ? Quare ipse et *Pin.* et *Cord.* lucem solis et lunae tamquam felicitatis iucundissimae imaginem interpretantur : si maxima mea prosperitate nimium gavisus eamque tenero cordis affectu nimioque amore prosecutus sum. At haec explicatio sane est violenta et a verborum proprietate, qua sol et luna (v. 26) et superstitiosi cultus caerimonia usitata (v. 27) clare proponitur, nimium sine ulla necessitate recedit. In hebr. v. 27 *et deceptum est in abscondito cor meum* (cf. Deut. 11, 16, ubi S. Hier. idem verbum vertit : ne decipiatur cor vestrum) *et adhaesit manus mea ori meo ;* optime *Hier. osculatus sum...* modus est adorationis, manum osculari et *osculum ipsa manu extenta ad idolum* transmittere[1].

1. Veterum hac de caerimonia locos vide apud *Pin. Malv.* Plinius v. g. « inter adorandum dexteram ad osculum referimus » (28, 2).

Quam longe abfuerit a tali cultu et quantopere illum abominetur, profitetur v. 28 « *quae est iniquitas maxima et negatio contra Deum altissimum* »; — hebr. *etiam haec est iniquitas capitalis* (iudicio punienda; de verbo cf. v. 11 et Is. 28, 7, quasi : iniquitas iudicialis), *quia negassem Deum* (qui) *supra* (est), qui in excelsis thronum habet. Optime cultum superstitiosum negationem (imminutionem, subtractionem, cf. כָּחַשׁ *Fürst* C.) Dei dicit; nam si splendorem et pulchritudinem siderum non ad Deum auctorem, qui dominator eorum his omnibus speciosior est (Sap. 13, 3), retulisset, revera Deo debitum honorem subtraxisset, negasset eiusque maiestatem non ut par est agnovisset. Neque dicendum est cum *Pin.*, cur Iobus a superstitione, cuius non insimulatus sit ab interlocutoribus se asserere velit, non apparere; nam adulterium quoque, cuius nulla antea mentio, a se repellit; et accusatus erat *impietatis* in Deum aliorumque occultorum scelerum *generatim;* quare merito habet, cur *omnes* vitae rationes pandat.

f) Et ceterarum virtutum testem Deum invocat 31, 29-40.

« His igitur praemissis quae pertinent ad communem iustitiam, subiungit quaedam quae pertinent ad perfectionem virtutis; inter quae primo odium inimicorum excludit, quod maxime manifestatur, quando aliquis gaudet de totali ruina eius » (*S. Thom.*); unde v. 29 « *Si gavisus sum ad ruinam eius qui me oderat, et exsultavi quod invenisset eum malum* »; — si cf. v. 13; cum non sequatur apodosis, vel iurandi particulam intellige, vel retenta conditionali supple formulam imprecationis alibi usurpatam; perfecte implevit *sapientis* praeceptum : « cum ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas, et in ruina eius ne exsultet cor tuum » (Prov. 24, 17). Perfectio igitur novae legis *amor inimicorum* etiam a sanctis V. F. non erat omnino aliena; hoc praetera ostendunt, quae Ex. 23, 4; Lev. 19, 17.18[1] praecipiuntur, quae Prov. 24, 17. 29; 25, 21. Gen. 45, 1 seq. 1 Reg. 24, 7 proponuntur[2]. — Rem utique

---

1. *S. Hier.* quidem vertit Lev. 19, 18 : diliges *amicum* tuum sicut teipsum; ita et rabbini interpretantur et demum a contrario suppleverunt *et odio habebis inimicum tuum*, quod interpretamentum pharisaicum Dominus reprehendit (cf. Matth. 5, 43). Sed רֵעַ aliis in locis melius vertit : *proximus* (LXX ὁ πλησίος) cf. Ex. 20, 17; 22, 25. Lev. 19, 13; est enim רֵעַ generatim *alius, socius*, quocum aliqua vitae consuetudo intercedit.

2. Prorsus repudianda sunt, quae *v. Haneberg* (Geschichte der Offenbarung, 4. Aufl. p. 356) scribit de V. T., quasi inimicorum amore penitus ignorato, immo odio eorum fere praescripto discrimen adsit fundamentale et essentiale a lege nova; quae ex Psalmis quibusdam obiicit, iam solvunt et rite explanant *S. Chrys.* in Ps. 108. M. 55, 258; *Eusebius* M. 23, 481; *Theodoretus* M. 80, 1120; *S. Aug.* M. 36, 328; 37, 1435; *S. Thom.* in Ps. 34; *Salmeron,* Proleg. I p. 232; *Calm.* in Ps. 34.

difficilem Iobus fortiter exsecutus est. « Quamvis enim quis se a vindicta contineat et totam rem Deo supremo vindici committat, sed cum videt iam hostem supplicio affectum, quotus est qui non sibi laetandi atque gaudendi materiam amplissimam intelligat » (*Pin.*)? Sed cur non potius inimicos a se *diligi* asserit? Rem subtiliter rimatur *S. Greg.* : « sciendum est, quod inimici dilectio tunc veraciter custoditur cum nec de profectu addicimur, nec de ruina illius laetamur. Nam saepe in dilectionis imagine erga inimicum animus fallitur, seque hunc diligere aestimat, si eius vitae contrarius non exsistat. Sed dilectionis vim occulte et veraciter aut profectus inimici aut casus interrogat » etc.

Peccatum enim reputavit mala inimico imprecari v. 30 « *non enim dedi ad peccandum guttur meum, ut expeterem maledicens animam eius* »; — i. e. loquelae instrumentum non ad peccandum adhibuit, ut scil. diris et exsecrationibus mortem inimici optaret.

Dein peregrinos et viatores magna hospitalitatis exhibitione (quae laus est apud orientales una ex praecipuis) suscepit et recreavit. Ita v. 31 ex hebr. *si non dixerunt viri tabernaculi mei : quis dabit* (dare, ostendere potest) *de dapibus eius non saturatum ?* i. e. profecto (idque iuro) domestici mei testari debent : nemo est, qui unquam a Iobi tabernaculo esuriens abierit, quem non epulis suis saturaverit. Sensus hic in verbis hebr. adest : מִבְּשָׂרוֹ *ex carne eius* est, uti 1 Sam. 25, 11 מִבְחָתַי (*mactatio mea* i. e. pecora mea mactata et in convivium parata) de carne pecorum eius; נִשְׂבָּע part. niphal *saturatus* (easdem literas *S. Hier.* imperf. 1 pers. pl. interpretatus est נִשְׂבַּע). Ita hebr. explicant recentiores ad unum omnes et certe, si verba spectes et versum subsequentem, apposite et commode. *Hitz.* versum arcte ad antecedentem adnectens explicat : Iobi domesticos exoptasse : utinam inimicus Iobi nunquam eius dapibus saturatus fuisset ! Iobum proinde inimicis dapes subministrasse (cf. Prov. 25, 21 *si esurierit inimicus tuus, ciba illum*). Sensus quidem praeclarus : at post formulam *quis dabit* debuit saltem pronomine suffixo indicari, verbum ad *osorem* Iobi referri. Veteres in varias discedunt sententias. Consentiunt in exprimenda 1 pers. pl. *saturemur* ; negandi particulam ad *saturatum* vel *saturemur* appositam non habent LXX (*vet. lat.*), *Theod. Hier.* (et duo codices hebr. cf. *Ros.* ; eam habent *Chald.* et *Syrus*. In interpretanda sententia : domesticos Iobi desiderare, ut carnibus eius saturentur, hoc ad nimium quendam amorem, quo Iobum prosecuti sint referunt *Chrys. Ol.*[1] *S. Thom. Sanct. Estius, Pin. Mar. Malv. W.* ; at *carnem alicuius edere* nunquam apud orientales et in linguis semiticis *amoris* est metaphora, sed odii infensissimi et calumniarum. Unde alii de *odio* domesticorum in

1. Neque id mirum, cum LXX et *vet. lat.* habeant : « quod si saepe dixerunt ancillae meae : quis det nobis, ut carnibus eius saticmur? *cum satis bonus essem* » (λίαν μου χρηστοῦ ὄντος); alterius tamen versionis prope ad hebr. accedentis iam meminit *Ol.* quam habent *Sym.* et *Theod.*

Iobum exponunt, vel quia severe eos in officio continuerit (cf. apud *Ol. S. Greg. Rup. Br. Sa, Men. Tir.*) vel quia prae studio benefaciendi aliis eos nimium in tractandis hospitibus fatigaverit (cf. *Vat.*, apud *Mar. Sanct. Pin. Calm.*). Sed quis tam *ferale* domesticorum in Iobum odium feret? quis talia in media virtutum enumeratione commemorari credet? quid magis alienum a Iobi mansuetudine, charitate, quam v. 13-15 descripsit?

Textum latinum v. 31 « *si non dixerunt viri tabernaculi mei : quis det de carnibus eius, ut saturemur* » ; — illi interpretes lat. aptius quantum ad verba lat. et nexum et rerum probabilitatem exponunt, qui dicunt : talia dicta fuisse a servis Iobi contra inimicos Iobi ; Iobum scil. suam commendare mansuetudinem in inimicos, dum famuli arderent adversus eos, iis palam maledicerent ac si fieri possent discerpere vellent (cf. *Isidorum, Caietanum*, quos citat Pin. ; *Vav. Cod. Gord. Cord.*). Ita simul studium famulorum in Iobum Iobique mansuetudo egregie illustratur. Et haec interpretatio ad textum lat. unice [1] apta est.

Dein hospitalitatem suam declarat, v. 32 « *foris non mansit peregrinus, ostium meum viatori patuit* » ; — hebr. *ostium meum versus viam* [2] *aperui*, i. e. viatoribus, ne sub dio manere cogantur (cf. Iud. 19, 20).

Denique huic virtutum enumerationi finem imponit omnem a se hypocrisin vel simulationem excludendo ; v. 33 « *si abscondi quasi homo peccatum meum et celavi in sinu meo iniquitatem meam* » ; — i. e. uti homines facere solent ; vel prout alii כְּאָדָם vertunt : *uti Adam*, qui primus peccatum dissimulavit (cf. *Chald. Pin. Cord. Men. Tir. Del. Hitz. Zsch. P.*). Unde affirmat, sicuti virtutum habeat conscientiam, ita se simul immunem scire ab omni flagitio, neque ullum studiose se celare. Nam si quid criminis absconderet, tunc esset cur timeret (v. 34) ; nunc autem plenus est fiducia, securus, et innocentia sua fretus coram Deo omniscio optat comparere (v. 35-37). Ita apte concludit.

Est v. 34 in hebr. *vere, timerem multitudinem magnam et despectio tribuum frangeret me, silerem, non egrederer a porta* i. e. etsi culpam celaret, tamen flagitiorum conscientia intime animum terrore afficeret, ita ut non auderet publice comparere ; animus scelerum sibi conscius merito ac iure convicia

---

1. Nam quod *Hirz.* proponit : domesticos largas illas dapes desiderare, quibus olim in Iobi domo potiti sint, non admitti potest, quia Iobus in tota hac enarratione non, quid nunc fiat, sed quid olim fuerit recenset. — *B.* negationis particulam in *utroque* membro omittit, et hunc sensum esse vult : Iobi domesticos nunquam indiguisse, ut meliorem nutritionem sibi optaverint. At parum sane ad Iobi laudes, si tantum diceretur, Iobi famulos nunquam fame et inedia fuisse vexatos! Nam *saturemur* id tandem significat ; *meliorem* nutritionem *B.* fingit, ut sensum non absurdum eliciat.

2. Veteres versiones אֹרַח legerunt אֹרָחַ (*Vat. W. Zsch.*).

ac supplicia sibi deberi etiam invitus fateri cogeretur. At nihil tale in se experitur : e contra omni libertate et fiducia causam suam Deo exponere gestit. Id in subsequentibus ; inde haec expositio optimum rerum nexum affert. Alii v. 34 tamquam imprecationem explicant : si celavi, veniat timor, despectio... (*W.*) ; at aliorum despectionem iam experitur ; non opus est, ut illam sibi imprecetur ; dein dirae hae (obmutescam...) minime prioribus similes forent, potius parvae, leves. Alii demum (cf. *Malv.* II. *Hirz. Del. P.*) rationem reddi censent pro v. 33 : non abscondi peccatum meum propterea, quia timerem turbam et contemptum, ita ut obmutescerem et me absconderem ; nulla aderat pro me causa dissimulationis ; sed haec expositio languet, neque ad imperf. verbi formam est accommodata.

S. Hier. [1] sensum parumper diversum extulit : v. 34 « *si expavi ad multitudinem nimiam et despectio propinquorum terruit me et non magis tacui nec egressus sum ostium* » ; — i. e. non expavi, verum potius tacui. Sed quo sensu ? Accommodate ad res Iobi : nunquam propter auram popularem aut contemptum et fastidium aliorum a iustitia deflexi, ius perverti, arguere vel prohibere vel agere aut dicere quidquam eorum omisi quae iure debebantur ; et si quando ipsi iniuria vel contumelia illata fuerit ab aliis, quorum scelera puniebat vel iniqua desideria reprimebat, eam tacite sustinebat nihil curans de vindicta, non egressus ad ultionem capiendam (cf. *S. Thom. Pin. Cord. Tir. Vav.*). Sed id incommodi in textu lat. adest, ut in ultimo praesertim membro aliqua *supplenda* sint. Unde textus hebr., qui subsequenti sententiae optime praefatur, erit praeferendus.

Vitae rationibus enarratis divinum testimonium sollemni modo invocat ; bene *S. Thom.* : « quia multa et magna de se dixerat, super his divinum testimonium invocat » ; v. 35 « *quis mihi tribuat auditorem, ut desiderium meum audiat Omnipotens et librum scribat ipse qui iudicat* » ? — i. e. utinam aliquis, utinam Deus me audiat ; exoptat admitti a Deo ad disceptationem forensem (cf. 10, 2 ; 13, 3. 18) et tantae sibi conscius est integritatis, ut accusationis libellum ab ipso Deo (vel ab adversario, *Mar. Pin. Vav.*) scribi non modo non recuset sed desideret.

Cum *S. Hier.* vertat *desiderium meum* vel תַּאֲוָתִי (aut הַאֲוָתִי) legit vel certe pro eo quod in textu hebr. est תָּוִי accepit (cf. *Mar.*). Valde commodus est sensus in textu hebr. *quis dabit mihi audientem me ? ecce signum meum* (subscriptio mea, testimonium meum cf. *Pin. Mar. Malv. Calm. W. P. Le Hir*, chirographum meum *Zsch.* — sim. *Hirz. Del. Hitz.*), *Omnipotens respondeat*

1. Pro כִּי v. 34 (quam particulam LXX et *vet. lat.* et *Chald.* tuentur) legens vel vertens אִם *si* cum *Syro.*

mihi, et (ecce) *liber* (*quem*) *scripsit vir litis meae* (i. e. adversarius) i. e. exposita causa Iobus concludit dicens : ecce adest mea defensio, quam nunc attestatione mea et subscriptione confirmo[1] ; adest libellus accusationis, quem adversarius contra me scripsit, scil. accusationes in me prolatae : iudicet Deus inter me et adversarios ! Alii ultimam partem vertunt : et libellum scribat adversarius meus (*W.*) sed obstat perf. כָּתַב : obstat, quod accusationes in eum iam sunt prolatae. Ex hac oppositione et cum Deum invocet arbitrum et iudicem, vix ipse Deus erit *vir litis* eius, idque eo magis, quia Deus vix dici potest scripsisse libellum accusationis contra Iobum. Ita si hebr. vertimus : quem *scripsit*. In explicatione vero *scribat* bene ad Deum refertur, quem Iobus provocat, ut si possit libellum accusatorium condat. Magna sane vis et fiducia conscientiae intemeratae !

Hanc fiduciam pulcherrime delineat v. 36 « *ut in humero meo portem illum et circumdem illum quasi coronam mihi* » ; — hebr. *profecto, portabo illum*... i. e. libellum accusatorium non modo non formidat, sed publice gestit illum circumferre et tamquam diadema capiti imponere, tamquam trophaeum gestare : in tantum scit singula accusationum capita in suam gloriam cessura. Accusationibus quasi ornatu spendido vestitus ad Dei tribunal accedere optat ; vult ei accusationis libellum tamquam suae innocentiae documentum et decus insigne obviam ferre ! Idque explicat v. 37 « *per singulos gradus meos pronuntiabo illum et quasi principi offeram eum* » ; — i. e. nullum accusationis caput formidat ; singula ipse alta voce vult legere coram iudice et refutare et fidenter rem supremo iudici committere. Etiam illustrius in textu hebr. Iobi animus securus depingitur : *numerum gressuum meorum* (singulas actiones) *indicabo ei et sicuti princeps accedam ad eum* (cf. *Cod. Malv.* IV. *W. Del. Hirz. Zsch. Hitz. P. Le Hir*) i. e. non ut *Adam*, culpae conscius, pudore suffusus se abscondit culpae conscius, sed magna cum libertate et dignitate se Domino sistit, intrepide eum adire cupit.

Disceptatio forensis in gloriam sibi cessuram confidit. Id confirmat iterata imprecatione, si quid mali admisisset. Ita nexu *psychologico* quasi sigillo apposito integritatem suam consignat, v. 38 « *si adversum me terra mea clamat et cum ipsa sulci eius deflent ;* v. 39 *si fructus eius comedi absque pecunia et animam agricolarum eius afflixi :* v. 40 *pro frumento oriatur mihi tribulus et pro hordeo spina* » ;

---

1. תָּו est litera *t* signo crucis olim expressa, quod signum (+ vel ×) etiam subscriptionis loco adhibebatur (cf. *Pin. Hirz. W. Del. Hitz.*). Lites apud Aegyptios libellis scriptis fuisse institutas, testis est Diodorus Siculus (I, 75. *W. Hirz.*), et ex monumentis et papyris hieroglyphicis demoticis et hieraticis luce clarius apparet multiplex scribendi usus apud Aegyptios, uti etiam ex tegulis inscriptis Babyloniorum et Assyriorum.

— i. e. si terra iniuste possessa aut aliquo scelere meo violata et foedata iuste me accusat, si sulci eius de me queruntur propter oppressionem operariorum vel mercedem negatam (« flent sulci respersi agricolarum sudore aut lacrimis » *Pin.*); si agrum vi abstuli, ita ut legitimus eius possessor inedia conficeretur (cf. *Ol. Pin. Cord. Mar. Men. Tir.*), poenam debitam non recuso, potius mihi imprecor; illa maledictione se devovet, qua Deus peccatum protoparentum devovit (Gen. 3, 18).

In hebr. *et animam dominorum eius exsufflavi* i. e. eos raptis agris inedia et paupertate confeci. LXX ἐξέλθοι μοι κνίδη... βάτος; *vet. lat.* urtica... spina, *Theod.* ἄκανθα, *Sym.* ἄκανος... ἀτελεσφόρητα (cf. *Ol.*). S. Hier. הַחֹחַ etiam vertit *lappa* (Os. 9, 6), *paliurus* (Is. 34, 13), *carduus* (4 Reg. 14, 9; 2 Par. 25, 18), *spina* (Cant. 2, 2), h. l. *tribulus*; בָּאְשָׁה ἅπ. λεγ. vi vocis est planta mala, inutilis, sicut aegilops, lolium, zizania (cf. *Fürst C.*).

Cum v. 35-37 sermonem Iobi aptissime videantur concludere, aliqui interpretes v. 38-40 a propria sede avulsos huc perperam apponi sunt opinati. Quare alii eos inter v. 8 et 9; alii inter v. 25 et 26; alii inter v. 33 et 34 vel 34 et 35 inserendos esse censent (cf. *Bolducum, Caiet.* apud *Pin.*, H. *Del.*). At iuremerito recentiores communiter [1] eos eo loco retinent, quo in omnibus versionibus antiquis inveniuntur (cf. *Hirz. W. Hitz.*). Iam *Pin.* observat: « cum amici saepe illi obiecissent tyrannidem et rapinam, ad rem istam, quae caput est controversiae, quasi summam totius suae responsionis revertitur ». Et revera nulla est eos transponendi ratio. Nam quando animi vehementiores affectus et commotiones describuntur, non opus est, ut ordo *logicus* adsit, sed ordo *psychologicus* requiritur. Iam plane ad *naturam* fit, ut, qui vehementer disputet, denuo in fine unam alteramve assertionem *repetat*, quae ipsi praecipue cordi sit. Dein pro tali carmine ad animi sensus facto non requiritur, ut ostendi possit, ita *debuisse* ordinem affectuum, rerum institui, sed plane sufficit, ut probetur, ita *potuisse* fieri sine aperta veritatis *psychologicae* violatione.

Demum additur coronidis loco: « *finita sunt verba Iob* »; — quae clausula, olim in vulgatae codicibus et editionibus omissa (cf. *Pin.*), in hebr. et apud LXX (cf. *Ol.*), *Chald.* et *Syrum* adest. In subsequentibus Iobus iam non *disceptat*; pauca tantum verba Deo respondet; unde ea verba finita sunt, quae adduxit ad suae sententiae assertionem (*S. Thom.*). Bene *Ol.*: « cum tempus respondendi erat, amicos allocutus est; cum vero silentii tempus erat, ore illorum prius obturato silentium egit ». Et S. *Ephraem* adnotat: « exorsus est quasi verecundus (pudore suffusus), finit quasi reprehensor (confutator) ».

1. Excipe *Olshausen* et *Del.*; *B.* versus hos inter v. 32 et 33 collocat. Invenire quandoque versus non suo in loco insertos, utique ex Is. 38, 21 (uti ibi iam *S. Hier.* et *S. Thom.* observarunt) indubium est.

V. QUAE SINT ELIU PARTES.

Cur iustus homo calamitatibus exerceatur, amici Iobi ne conati quidem sunt declarare. Iobus vero id sapientissimis, attamen occultis Dei consiliis necessario fieri, ex Dei altissima sapientia asseruit, cui homo debeat acquiescere (cf. cp. 28). At cum ipse in oratione subsequenti denuo querelas funderet et vitae integritate enarrata, ut suam tueretur causam, enixe a Deo efflagitaret, *responsum illud homini non sufficere* reipsa declaravit. Unde necessario, nisi libri auctor carmen suum mancum atque mutilum relinquere maluerit, aliud responsum dari debuit. Iam ubi hoc invenitur? Non continetur in Dei responsione a cp. 38 et seq. quippe qua tantum Dei maiestas et sapientia magnificentissime describantur; unde per se nihil aliud colligitur, nisi calamitatibus illis subesse quidem Dei sapientissimi consilium, sed *quale* sed *qualia* non declaratur; at *qualia sint* hominem quam maxime appetere ut sciat, ex tota Iobi disputatione luce clarius effulget. Verum quidem est, sin minus disputantes, attamen *librum legentes* ex prologo unam noscere causam, cur Deus iustum affligat, scil. quo eius virtus et pietas solida probetur ac demonstretur. At haec una causa ad problematis solutionem minime sufficit, nisi legentes in eum errorem inducendos esse dicere velimus, ut opinentur, hanc esse omnem et unicam causam. Praeterea ipsis etiam *disputantibus* solutio problematis est proponenda, nisi disceptationem ipsam mancam atque truncatam esse velimus. Fieri igitur nulla ratione potest, ut (quod ex recentissimis interpretibus acatholicis plerique volunt) Eliu orationibus omissis, quas ab alio auctore libro Iobi additas perperam atque insertas esse censent, statim Dei subiungatur responsio, quae per se nullam affert solutionem. Eamque (ut reliqua omittam, de quibus postea commodius sermo incidet) nullo pacto hic iam apponi posse, etiam iam prima eius verba suadent: *quis est iste obtenebrans consilium sermonibus absque scientia?* nam id ipsum, quale Dei consilium adsit, hucusque semper quaesitum est neque tamen expositum; unde inepte hoc loco *consilium* Dei, de quo nulla mentio facta est, obtenebrari diceretur. Quae cum ita sint, iam quasi *a priore* et ex ipsius carminis indole et ex disputationis serie merito concludimus, a primo libri auctore *Eliu esse in scenam productum, ut declaret, quibus consiliis Deus utatur in iustorum calamitatibus.* Id quam verum sit, ex ipsis *Eliu* orationibus elucebit.

Duo in istis orationibus deprehenduntur, quae maxime ad rem faciunt : 1° quae Iobus audacius, vehementius dixerat, reprehendit ; ea corrigit, quae in Iobi verbis facile offensioni esse possent, vel quae si universim ac quasi indefinite sumantur, falsa reperiuntur ; 2° quaestionem propositam solvit : iustos affligi, ut a peccandi periculis arceantur, ne in peccata labantur, ut in virtute et divina sapientia proficiant : hos esse praeclaros aerumnarum fructus. Praeclara utique solutio, divina revelatione digna, quae quam vera sit, ipsa demum novi foederis lux, ipse fidei nostrae auctor et consummator Iesus Christus perfectissime declaravit. Praecipuum quidem, uti par est, novo foederi reservatur : iustos amplecti et intime desiderare tribulationes, ut in se Christi Salvatoris imaginem summo amore exprimant ; at quae pro V. T. indole requirantur, ab *Eliu* satis docentur et ab ipso Deo apparente confirmantur. Ita carmen hoc didacticum in se concluditur. Ad quod si adiunxeris causam in prologo expositam, completam habes V. T. doctrinam, cur Deus iustos affligi permittat. Aliorum sententias partim in orationum interpretatione partim illa absoluta utilius quam hoc loco diiudicabimus.

Ipse textus sacer quatuor Eliu sermones clare distinguit (cap. 32. 33 — cap. 34 — cap. 35 — cap. 36. 37).

PRIMUS SERMO AB ELIU HABITUS. CAP. 32. 33.

Arg. — Postquam s. auctor paucis novum interlocutorem in scenam induxit et quid consilii habeat explicuit (32, 1-5), Eliu sermonem orditur magna cum verbositate proponens : cur iunior ipse tacuerit hucusque, cur nunc sententiam proferat suam, indignatus de falsa interlocutorum arguendi ratione (32, 6-22). Ad ipsum Iobum conversus, ut attente audiat, hortatur (33, 1-7) ; dein eum reprehendit, quod nimia audacia cum Deo expostulaverit, immo voluerit, ut Deus ei rationem reddat, cur ipsum affligat. Quid mirum, si Deus non respondeat, cum iam satis superque variis modis hominibus indicaverit, cur eos affligat, ut eos scil. avertat a malo, praeservet a superbia, ut castigatione sanet animi vulnera (33, 8-22). Quam Dei admonitionem per Dei legatum factam si homo bene susceperit et ad Deum oraverit, ad maiora bona promovebitur. An Iobus habet, quid hisce opponat (33, 23-33) ?

a) Eliu novus interlocutor inducitur 32, 1-5.

Tres interlocutores tacent. Intelligunt enim Iobum a sua sententia dimoveri non posse : v. 1 « *Omiserunt autem tres viri respondere Iob, eo quod iustus sibi videretur* » ; — hebr. *quia ipse iustus in oculis*

suis[1]; igitur erroris sui convicti non sunt, adhuc perversam suam de una calamitatum causa sententiam amplectuntur, solum tacent, quia Iobum quomodo refutent ac dedoceant penitus desperant. Sed quartus, qui disputationi intererat, acris ingenii adolescens et maiore sapientia praeditus iam dudum acute perspexerat, qua in re et Iobus verae pietatis et submissionis limites excederet et tres amici falsa argumentatione peccarent. Quare, ut aetas iuvenilis prona est ad iram, impatientia et excandescentia agitabatur: v. 2 « *et iratus indignatusque est Eliu filius Barachel Buzites de cognatione Ram, iratus est autem adversus Iob eo quod iustum se esse diceret coram Deo*; v. 3 *porro adversum amicos eius indignatus est, eo quod non invenissent responsionem rationabilem sed tantummodo condemnassent Iob* »; — « describitur Eliu ex nomine, ex origine, ex patria, ex genere: quae tota descriptio ad hoc valet, ut ostendatur ad rem gestam pertinere » (*S. Thom.*). Eliu (cf. 1 Sam. 1, 1; 1 Chron. 12, 20) vel Elihu-Deus meus ipse; — Barachel-benedic, Deus; Buz inter filios Nachor, fratris Abraham recensetur (Gen. 22, 21); tribus eiusdem nominis (et cognationis?) arabica apud Ier. 25, 23 occurrit; LXX addunt τῆς Αὐσιτιδος χώρας[1]; cum *Ram* cognationis et familiae nomen sit inter ipsos Buzitas[2], non potest idem censeri, quod *Aram* (*Sym.* vertit vel explicat Συριας). Cum *Eliu* genus tam diligenter describatur (secus atque trium amicorum, immo et ipsius Iobi), aliqui[3] opinati sunt, inde ipsum libri auctorem indicari; at levissima est coniectura; solent quidem Persarum et Turcarum poetae in fine carminum nomen suum artificiose versibus intexere, at talem morem in antiquitate et apud Hebraeos unquam exstitisse, quis probare poterit? — Notatu dignissimum est, ab ipso auctore munus Eliu clare indicari, idque bifarium: *Iobo* irascitur propter nimiam quandam audaciam, quia se (animam suam) iustum declaraverit coram (prae) Deo (hebr.), i. e. se innocentem esse et propterea immerito, frustra affligi a Deo, quasi Deus non etiam optimas rationes habere posset, cur iustis calamitates immitteret — de *tribus amicis* indignatur, quia Iobo excipienti, se innocentem pati, nullum responsum (aptum scil. et verum, unde bene « rationabile » supplet et addit explicationis gratia *S. Hier.*) opposuerint, sed unam malorum causam in sceleribus esse sitam opinati Iobum tamquam

---

1. LXX aliud: ἦν γὰρ Ἰὼβ δίκαιος ἐναντίον αὐτῶν. Idem *Syrus*: in oculis eorum et *Sym.* Sed obstat v. 3 b, et 42, 7.

1. In inscriptionibus cuneiformibus regis Asarhaddon mentio fit terrae *Bazu*, regionis longinquae, arentis etc. Fr. Delitzsch censet regionem prope Hauran esse sitam (cf. Wo lag das Paradies? p. 307).

2. Cf. מִשְׁפָּחָה cf. Ex. 6, 14; 12, 21; Num. 1, 20; 36, 6; Deut. 29, 7; Ios. 7, 14. 1 Sam. 20, 6. 29 etc.

3. Cf. *Lightfoot* (op. ed. Leusden, Ultrai. 1699. I. p. 24) et *Ros.*

hominem scelestum perfracte traduxerint. Quod Eliu officium ac munus, *ab ipso libri auctore delineatum*, interpreti facem praefert ad disceptationem sequentem rite percipiendam.

Cur autem disputandi impetum antea represserit, indicat v. 4 « *igitur Eliu exspectavit Iob loquentem, eo quod seniores essent, qui loquebantur* » ; — i. e. praestolatus erat Iobum in sermonibus (hebr.), donec Iobus loquendi finem fecisset ; aliis simul senioribus hunc honorem detulit, ut si vellent spatium loquendi eis concederet etiamnum et antea loquentes non interrumperet. Praeclarum fervidi iuvenis modestiae exemplum ; *sapientis* consilium secutus est : *ubi sunt senes, non multum loquaris ;* Eccli. 32, 13. Bene *Ol.* : « laudandum est Eliu ingenium (ἦθος), qui opportune siluit, seniores enim primo verba facere oportebat ; et qui tempore etiam opportuno responsum dedit... et prudentiam quidem eius observa, quomodo statim ab exordio aliorum sermones exceperit, quomodo ordinem decorum observaverit ». Similiter *S. Chrys.* : « prudentiae eius utrimque, ex silentio scil. et ex sermone coniecturam facimus..... vides, quomodo honoris studio nequaquam ductus fuerit, quomodo primas illis detulerit » (cf. *Phil. S. Thom.*). Quae erant commemoranda, quo maiore libertate *S. Gregorii* iniquam contra Eliu sententiam repudiemus, qui hoc iam loco Eliu arrogantiae, iactantiae, superbiae, elationis typum ac figuram prae se ferre contendit (quem *Rup. Br.* sequuntur).

« Sed quia non videbatur ei, quod alicui deberet reverentiam exhibere in praeiudicium veritatis » (*S. Thom.*), dicitur v. 5 « *cum autem vidisset, quod tres respondere non potuissent, iratus est vehementer* » ; — hebr. *et vidit non esse responsum in ore trium virorum et exarsit ira eius*, quia veritatis detrimentum in tali cernebat silentio (cf. *S. Thom.*), unde *Ol.* ἐζήλωσε, zelo commotus est, explicat (sim. *Cord.* — e contra *Pin.* irae vitium arguit, ad quod se Eliu sine ulla rationabili causa sua sponte impulerit ; id quod iniquius dictum est).

Praefatio haec, uti prologus libri et epilogus, oratione pedestri proponitur — accentuum tamen ratio h. l. formam sequitur in libris poeticis usitatam —; itemque v. 6 *a* : « *respondensque Eliu filius Barachel Buzites dixit* ; » — qua formula sollemniore denuo iuvenis praestantiam commendare videtur auctor.

b) Cur demum ipse loquatur 32, 6-22.

Iuvenis inducitur loquendi cupiditate iamdudum ardens, qui veritatis neglectae et ignoratae patrocinium et promulgationem suscipit ; quare non mirandum est, si iuvenili ingenio et fervore orationis flumen verbis nimis turgidum fundit. S. auctor *iuvenem* in

dicendi quoque genere et verborum luxuria adumbrare voluit. « Excusat primo pristinum silentium ex sua aetate, tum etiam ex illorum antiquitate » (*S. Thom.*), unde : « *Iunior sum tempore, vos autem antiquiores; idcirco demisso capite veritus sum vobis indicare meam sententiam* » ; — hebr. *ideo verecundatus*[1] *sum et timui*, ne scil. praesumptuosus viderer impediendo meis sermonibus sapientiorum verba (*S. Thom.*). Senes enim propter aetatis gravitatem maturius loquuntur et propter longi temporis experientiam sapientius (*S. Thom.*) ; unde v. 7 « *sperabam enim quod aetas prolixior loqueretur et annorum multitudo doceret sapientiam* » ; — hebr. valde concise : *dixi* : *dies* (= pleni dierum, aetas matura) *loquentur*... i. e. sperabam, vos allaturos sufficientia et efficacia ad rem propositam argumenta, quibus veram sapientiam edoceretis (*Cord.*). « Consequenter excusat se quare nunc loqui incipiat : quia scil. expertus est, quod aetas non est sufficiens sapientiae causa, sed magis inspiratio divina » (*S. Thom.*), unde v. 8 « *sed, ut video, spiritus est in hominibus et inspiratio Omnipotentis dat intelligentiam* » ; — bene *Ol.* : « qui aetate provecti sunt, non continuo sapientes sunt, sed gratia divini Spiritus opus est, quae tempus non praestolatur, sed subito hominem sapientem reddit » ; quare Eliu videtur suam scientiam ad divinam referre inspirationem[2], quae ipsum prae senibus docuerit. Unde denuo effert, rerum experientiam naturalem eamque diuturnam non sufficere ; v. 9 « *non sunt longaevi sapientes, nec senes intelligunt iudicium* » ; — i. e. id quod rectum est et iustum ; non *eo ipso* quod senes sunt, etiam sapientes exsistunt.

Certe consideratione dignum, quod *iunior* quaestionem agitatam solvat, non Iobus ipse, non senes. Spiritus spirat, ubi vult ; Deus liberrimus est in donis conferendis, neque qui uno donorum genere excellit vel virtute praestans est, uti Iobus, ideo iam alio charismate potietur. Et fortasse Deus illis temporibus indicare voluit, non a tempore anteacto sed a sua revelatione futura et per incrementa quaedam progrediente mysteriorum divinorum notitiam[3] esse expetendam. Recte *Sym.* supplet : spiritus *Dei* est in hominibus ; *Chald.* spiritus *prophetiae* ; nam quod aliqui volunt : esse quidem in homine animum intelligentiae capacem, at sapientiam tribui divina inspiratione (cf. apud *Pin. Vac.*), ipsis particulis *sed, et* et v. 9 excluditur, quibus oppositio ad v. 7 et non oppositio intra ipsum v. 8 indicatur.

1. חָחַל hebr. repere, serpere ; sed h. l. certe uti in orationibus Eliu saepissime, adest color aramaicus ; inde = חָתַל vereri ; etiam דְּעַ (scientia) solum apud Eliu occurrit cf. v. 10. 17. 36, 3.

2. *B.* in priore membro scribit : spiritus *Dei ;* etiam *Sym.* habet ὄντως δὲ πνεῦμα Θεοῦ ἐστιν ἐν ἀνθρώποις.

3. Quare perperam censet *Budde :* si *Iobus* nesciat, cur iustus affligatur, inter homines nemo censeri poterit veram reddere rationem (cf. *Studien* und Kritiken. 1878, p. 164).

« Et quia licet non sit senex, considerabat se tamen a Deo inspiratum, ideo loqui audebat » (*S. Thom.*); v. 10 « *ideo dicam : audite*[1] *me, ostendam vobis etiam ego meam sapientiam* ». —

Iam incipit declarare, cur ipsius oratio non sit inutilis, neque temeritati aut immodestiae animi tribuenda, sed cur merito sibi videatur scientiam posse promittere : v. 11 « *exspectavi enim sermones vestros, audivi prudentiam vestram, donec disceptaremini sermonibus;* v. 12 *et donec putabam vos aliquid dicere, considerabam; sed, ut video, non est qui possit arguere Iob et respondere ex vobis sermonibus eius* »; — hebr. *auscultatus sum* (i. e. attente) *rationes sapientes vestras* (proprie : intelligentias, *Mar.*), *dum scrutaremini verba, et ad vos attendi, et ecce, non est Iobum convincens, ad eius dicta respondens* (unus) *ex vobis* i. e. studiose attendit et mente assecutus est et penitus intellexit, quae illi disputaverant; atque simul ex eis perspexit, talibus rationibus nullo modo querelis et interrogationibus Iobi satisfieri; duo iterum assignat : *Iobum convincere* i. e. querelis eius et expostulationibus cum Deo efficaciter obviam ire, eas retundere et immerito atque audacius iactatas ostendere; deiu *ad dicta eius respondere* i. e. interrogationibus satisfacere, quas de bonorum calamitate etc. proposuerat. Eliu enim optime perspexit, tres illos ex sua de mundi gubernatione opinione prorsus impares esse hisce enucleandis. Quare subdit, illorum arguendi rationem summatim et optime complexus v. 13 « *ne forte dicatis : invenimus sapientiam; Deus proiecit eum, non homo* »; — asserit illos nullam dedisse quaestionum solutionem; nam dicere : hic est rei cardo et vera calamitatis ratio : *Deus* Iobum excutit, propellit e statione sua, non homo — ergo Deus offensus ei irascitur : ergo Iobus peccator est (cf. *S. Thom.* : « Deus scil. qui errare non potest, et non homo, qui potest decipi et decipere » — *Men. Tir. Vav. Cord. W. Zsch.*) — haec scil. sapientia nulla est, hac ratione rei punctum non feretis.

Alii ita concipiunt : invenimus in Iobo talem sapientiam, quam solus Deus, non homo possit vincere (cf. *Malv.* : « ut Iobum quis a sententia depellat, divina plane virtute opus est », *Cod.* : « sapienter factum a nobis : hominem pervicacem missum fecimus ac divinae providentiae permisimus » — *Del. Hirz. Hitz.*); at Iobi quam existimant contumaciam dici *sapientiam*, nimis singulare est; ironicus modus loquendi non potest supponi, quia nulla ex verbis amicorum apparet ratio, cur Eliu eos *tali* modo loquentes faciat; illos autem revera dicere, invenisse se sapientiam *superiorem* (*Hirz.*), quam

1. Hebr. *audi me*, uti *Chald.*; sed LXX, *Syrus, S. Hier. audite;* id quod aptius est, cum in subseq. declaret, cur *ad eos* sermonem habeat, et v. 6 iam dixerit, se *illis* proponere sententiam suam et 33, 1 demum peculiari modo ad Iobum dirigat sermonem.

refutare non potuerint, prorsus non intelligi potest et iam v. 1 refutatur, neque unquam antea talem Iobi sapientiae reverentiam significarunt. Melius sane textus hebr. ita concipi potest : nos vera et recta locuti sumus[1] : Iobum vero Deus fuget fundatque, ne semper scil. ad disputandum revertatur ; homo enim eum convincere non valet. Sed latinorum expositio praeferenda videtur, cum Eliu vix censendus sit, tres illos inducere loquentes ea, quae nullo modo suis in sermonibus expresserant.

Iam alio modo indicat suam « sapientiam » Eliu et cur attendere debeant proponit, se scil. alia via usurum ad Iobum oppugnandum ; v. 14 « *nihil locutus est mihi et ego non secundum sermones vestros respondebo illi* » ; — hebr. *non ordinavit adversus me verba* i. e. meas rationes Iobus suis verbis minime refutavit ; unde est, cur loquar ; neque eo modo, quo vos, illum impugnabo. Nova igitur pollicetur et ita attentionem (v. 10) stimulat.

Sed nova prolocuturus denuo admirabundus prius perpendit, quomodo seniores consilii expertes conticuerint ; vel denuo rationem reddit, cur ipse iunior loqui debeat ; v. 15 « *extimuerunt, nec responderunt ultra, abstuleruntque a se eloquia* » ; — hebr. melius vertes : *abstulerunt*[2] (scil. homines = ablata sunt) *ab eis eloquia* i. e. inviti obmutuerunt. Repetitione indicat, quantopere re illa inexspectata obstupuerit ; ita v. 16 « *quoniam igitur exspectavi et non sunt locuti, steterunt nec ultra responderunt*, v. 17 *respondebo et ego partem meam et ostendam scientiam meam* » ; — verbositatem carpunt (cf. *Cord.* : « Eliu tamquam morosus prooemii textor eadem repetit, quae modo protulit et quid ipse valeat, se experiri velle saepe decernit. Novellorum nempe militum brachia tollentium et vires suas venditantium hic mos est »), sed concedendum sane aliquid indoli iuvenili, quam auctor sacer exprimere voluit ; atque equidem timeo, ne illi censores in idem verbositatis vitium quod reprehendunt, ipso hoc vituperio inciderint. Eliu etiam vanae gloriae cupidum accusant (cf. *S. Greg. S. Thom.*) ; at quem Deus in fine non reprehendit, immo cuius arguendi rationem ipse Deus prosequitur et adoptat, cur demum interpretes vellicant?

Iam veritatis proponendae impetum, quo pectus Eliu urgetur, apposite delineat v. 18 « *plenus sum enim sermonibus et coarctat me spiritus uteri mei* » ; — i. e. spiritus, qui in me est, me vehementer propellit[3], ut veritatis testis et vindex exsistam ; simul scit se dispu-

1. Quare *B.* textum mutandum esse haud bene arbitratur.

2. Vel intransitive : migrarunt ab eis, eos defecerunt eloquia (cf. *Cod. Malv. Del.* qui ad Gen. 12, 8 ; 26, 22 remittit, ubi הֶעְתִּיק est = tabernaculum transferre = proficisci. migrare).

3. *Sym.* συγχαίει, me quasi comburit. LXX ὠλέχει.

tandi materia abundare. Quomodo coarctetur, metaphora explicat v. 19 « *en, venter meus quasi mustum absque spiraculo, quod lagunculas novas disrumpit* »; — hebr. ita explicabis : *interiora mea sicut vinum* (cui) *non aperitur* i. e. cui non est ademptum obturaculum, ut exhalet; nam fervet intus et vasa disrumpit (*Malv.*). Bene *S. Hier.* sententiam expressit; eleganter dicit *mustum*, quod aestuat et fervet; *sicut utres novi disrumpuntur* i. e. in eo sunt interiora mea, ut distenta demum rumpantur, sicut utres novi vini aestu et fervore diffinduntur [1]. Quare angustias has ex spiritu compresso et pectore nimium turgente conceptas dispellere cupit spiritu quasi difflato; v. 20 « *loquar et respirabo paululum; aperiam labia mea et respondebo* »; — hebr. *loquar et erit* (ut sit) *relaxatio mihi* [2].

Iam quo animo sit comparatus in disceptatione aperit, solius se veritatis studio agi, non favoris captandi aut placendi se esse cupidum; v. 21 in hebr. *ne accipiam faciem viri* (personam hominis i. e. non partium studio utar, absit a me) *et versus hominem non utar blandiloquio* (cf. *Malv. Cod. Calm. W. Zsch. P.*); in lat. v. 21 « *non accipiam personam viri et Deum homini non aequabo* »; — sensus potest esse sat commodus : non feram, ut Deus quasi homo a Iobo in disceptationem advocetur, ut rationem reddere iubeatur de sua gubernatione, vel ut Iobus impune cum Deo quasi cum homine altercetur. Nam quod aliis placet : hominem non censebo sanctum, uti Deus est (cf. *Pin. Cord. Tir.*), id est *hominem Deo aequare* et sic debebat enuntiari.

כָּנָה = rem cognomine imposito notam facere; inde honorare titulis; LXX θαυμάζειν, προσδέχεσθαι, ἐντρέπειν vocem reddunt[3], unde apte h. l. *adulari, blandiri* exponunt. Ita similiter etiam LXX οὐδὲ ὀρότον οὐ μὴ ἐντραπῶ; « loquar sine ullo hominibus placendi studio » (δίχα πάσης ἀνθρωπαρεσκείας *Ol.*). Similiter etiam *Chald. Syr* Isti omnes nihil de *Deo* in hoc versu. *S. Hier.* vero non אֵל tamquam praepositionem legit sed אֶל Deus.

Cur solo veritatis studio impellatur, rationem reddit v. 22 in hebr. : *quia adulari nescio* [4]; *breve me tolleret factor meus*, si assentatus fuero,

---

1. LXX et *vet. lat.* « venter enim meus sicut uter musto plenus, fervens et ligatus et veluti follis aerarii disruptus »; bene *Sym.* ὥσπερ οἶνος νέος ἀδιάπνευστος; (apud *Ol.*).

2. רָוַח scil. est flatui venti patere, spatiosum esse (germanice : dass mir Luft werde; cf. 1 Reg. 16, 23 vertit S. Hier. *refocillabatur* Saul) et trop. de animi quasi exoneratione.

3. S. Hier. *assimilare* reddidit Is. 44, 5; 45, 4; hoc loco et v. 22 videtur significationem כּוּן, כּוֹנֵן ob oculos habuisse.

4. Proprie : *non novi adulabor;* arabismus est; raro apud Hebraeos cf. Is. 42, 21.

supplicio, morte praematura me puniet Deus (cf. *Mar. Malv. Pin. W.*). Idem apud LXX et *vet. lat.* : « non enim scio mirari faciem; alioquin et me tineae edent », quod *Ol.* explanat : « disciplinam hanc ut quemquam reverear aut gratiae alicuius tribuam, non didici ». Eandem rationem a divino iudicio petitam expressit *S. Hier.* v. 22 « *nescio enim, quamdiu subsistam, et si post modicum tollat me Factor meus* »; — animum certe pium ac religiosum Eliu hac ratione pandit; declarat se sincere coram Deo vindice loqui velle, uti veritas postulat. Quare immerito interpretes latini praeeunte *S. Greg.* eum inflationis et zeli arrogantiae accusant (cf. *Cord.* — immo *Pin.* haec optat : « utinam sileret diutius ac fideret, quoniam suppressa verba eum non dirumperent »)[1].

c) Iobus attente audiat 33, 1-7.

Prooemio ad omnes praemisso iam peculiari modo sermonem dirigit ad Iobum, quocum ei disceptatio praecipua erit; v. 1 « *Audi igitur Iob eloquia mea et omnes sermones meos ausculta* ; v. 2 *ecce aperui os meum, loquatur lingua mea in faucibus meis* »; — nova haec introductio more orientalium verbosa est et protracta; uti enim solent sollemni praefatione, sicut multis caerimoniis. Attentione excitata se affectu sincero veritatem dicturum esse profitetur; quare dignissimus sane est, qui studiose audiatur; v. 3 « *simplici corde meo sermones mei, et sententiam puram labia mea loquentur* »; — hebr. *rectitudo cordis mei, dicta mea*, procedunt ex recto corde; « non loquar ad calumniandum vel ridendum sed simplici animo ad veritatem manifestandam, et quia praedictis tribus viris Iob imposuerat, quod essent fabricatores mendacii et cultores perversorum dogmatum, hoc a se excludit, dicens *et sententiam puram*... i. e. absque admixtione alicuius falsitatis vel erroris *loquentur labia mea* » (*S. Thom.* — cf. *Cord. Pin.*). Unde autem fiduciam manifestandae veritatis acceperit, ostendit subdens (*S. Thom.*) v. 4 « *Spiritus Dei fecit me et spiraculum Omnipotentis vivificavit me* »; — i. e. qui fecit me talem, me etiam continuo vivificat, mihi assistit (cf. temporis mutationem in hebr.); eodem sensu, quo 32, 8, i. e. sapientiam mihi suggerit, suam inspirationem mihi tribuit. Ita iure explicant *Ol. S. Thom. Cord. W. Hirz. Hitz. Zsch. P.*

Alii : non me contemnas : homo sum, ut tu, ab eodem Deo (*Pin. Mar. Malv. Cod. Men. Tir. Calm. Del.*); sed ratio haec esset valde inefficax, frigida, praecipue post v. 3 et sublimem purae doctrinae promissionem.

---

1. Melius sane *Chrys.* ad v. 19 : « magna patientia instrui eum oportebat; posse quippe verba comprimere, imprimis sapientiae opus est ».

neque ad similimam phrasin 32, 8 apta. Alii demum : cum *homine* disceptare voluisti ; habes, quod optasti (*Vav.*) ; sed id demum sequitur v. 6 ; quare hoc loco non iam est praeoccupandum.

Ad explanationem quam laudavimus apte adnectitur v. 5 « *si potes, responde mihi et adversus faciem meam consiste* » ; — hebr. *ordina* (instrue argumenta) *coram me et consiste* ; prodit quanta fiducia loqueturus sit et qua persuasione veritatis ; dein promittit : non tibi os conviciis praecludam, uti illi fecerunt ; argue contra me... tali exhortatione et concessione Iobum ad attentionem stimulat. Quod si hominem nesciat Iobus refellere, quanto minus Deum? Addit se talem esse adversarium, qualem Iobus iam dudum desideraverit ; i. e. potest congredi cum pari et sui simili (cf. 9, 34 ; 13, 21 ; 16, 22 ; ad quos locos Eliu alludens ait) v. 6 « *ecce et me sicut et te fecit Deus et de eodem luto ego quoque formatus sum* ; v. 7 *verumtamen miraculum meum non te terreat et eloquentia mea non sit tibi gravis* » ; — hebr. *en ego sicut tu Deo* (sum), *e limo abscissus sum et ego* ; *en, terror meus non te perturbabit et manus*[1] *mea super te non erit gravis* ; videtur *S. Hier.* legisse אַף בִּי *etiam os meum* (quod et alios fecisse testatur Aben-Esra, cf. *Cod. Pin. W.*) ; alludit ad hominis creationem (Gen. 2, 7).

d) **Cur Deus homines affligat, exponit Iobo de audacia reprehenso 33, 8-22.**

Iam Eliu incipit ea in Iobo reprehendere, quae nimia quadam audacia dicta esse videbantur, vel in quibus maioris reverentiae erga Deum significationem desiderabat. Eliu mentem bene assecutus est *Ol.* : « Eliu dicet : pius quidem et iustus exstitit Iobus, nec quisquam contradicere potest ; sed causam praebuit contra se, quia cum Deo iudicio voluit contendere (τὸ ϑέλειν πρὸς Θεὸν δικάζεσϑαι) » ; praeclare quoque *Phil.* : « singula loca asperius a Iobo dicta coram ipso destruere conatur ».

Primum Iobi sententias proponit : v. 8 « *Dixisti ergo in auribus meis et vocem verborum tuorum audivi* : v. 9 *mundus sum ego et absque delicto, immaculatus, et non est iniquitas in me* ; v. 10 *quia querelas in me reperit, ideo arbitratus est me inimicum sibi* ; v. 11 *posuit in nervo pedes meos, custodivit omnes semitas meas* » ; — hebr. v. 10 *ecce querelas adversus me* causas me hostiliter tractandi ; LXX μέμψιν κατ ἐμοῦ) *quaerit*[2] ; colligit Iobi dicta ex variis locis : 9, 2 ; 10,

1. אֲכַף LXX *manum* interpretantur, eosque interpretes sequuntur ; et merito propter 13, 21. *Chald.* explicat *onus ; Syrus* ארכפנא habet, quod *Barh. cura* exponit.

2. Cf. 1 Sam. 20, 21 ; vel sensu *adinvenit*, studiose exquirit, captat occasiones me opprimendi (*Mar.*), causas inanes quaerit violandae amicitiae (*Cod.*).

7; 14, 4. 17; 13, 24; 19, 11; 23, 10; 27, 5; 30, 21; 31, 6. Estque sensus facilis : delicta non commisi et tamen me punit; ergo minora quaedam studio ac diligentia in me captat, quae adeo enormiter puniat; me tamquam hostem adhibet immerito.

Duo in verbis istis Eliu deprehendit, quae offensioni sint : 1° reverentiam Deo debitam laesit; ita non decet hominem loqui ad Deum; etsi nullam calamitatum causam intelligat, debet tamen pie ac verecunde se Dei maiestati subiicere; 2° Iobus in suo ratiocinio vitium admisit : non advertit, plures esse easque salutares causas, cur Deus etiam iustis aerumnas immittat. Prius tractat v. 12. 13; alterum a v. 14 et seq. Utrumque autem praeclare ab Eliu proponitur. Nervose ac dilucide rem statuit v. 12 « *hoc est ergo, in quo non es iustificatus; respondebo tibi, quia maior sit Deus homine* » ; — i. e. hac in re causa cades [1]; et ratio convincens est ipsa Dei maiestas, qua non licet cum Deo expostulare quasi cum sui simili. Quidquid enim Deo agere libuerit cum homine, nunquam ullum ius, quod homo revera habeat ratione Dei, violabit; est enim Dominus absolutus, infinitus; semperque valet : o homo tu qui es, qui respondeas Deo? numquid dicit figmentum ei qui se finxit: quid me fecisti sic (Rom. 9, 20)? Hanc reverentiam Iobus laesisse videri poterat, unde Eliu apte monet, quae demum sit habitudo inter Deum et hominem. Uti Paulus in ep. ad Rom. l. c. primum obmurmuranti os obstruit (ut loquitur *S. Chrys.* in ep. ad Rom.) et dein Dei rationes declarandas et exponendas (quantum fieri potest) suscipit, ita Eliu. Haec Iobi praesumptio et audacia etiam carpitur v. 13 « *adversus eum contendis, quod non ad omnia verba responderit tibi* »? — hebr. *quare adversus eum contendis, quia de omnibus suis rebus non respondeat* (rationem reddat)? i. e. an Deus tenetur rationem reddere? cur audacter conquereris, quod tibi non rationes suas exposuerit? Et haec praesumptio eo maior est, quia Deus revera variis modis hominem doceat, cur ita agat. Qualis igitur audacia, inquit Eliu, institutione hac neglecta specialem et extraordinariam a Deo postulare, et si eam iuremerito non concedat, in querelas et clamores animi impatientis impetum solvere? Unde Eliu censere videtur, Iobum, si attenta mente et tacita meditatione et humili precatione omnia illa perscrutatus esset, quae Deus occulta sui gubernandi ratione et inspiratione piorum animis indere soleat, aliquam veram responsionem invenire potuisse. Subdit enim v. 14 in hebr. *quia semel* (uno modo) *loquitur Deus et secunda vice* — (at homo) *id non attendit* i. e. Deus vario modo hominem interne alloquitur.

1. Nescio, cur h. l. *B.* censeat textui deesse nexum logicum et mentis tantum suppletione arbitraria fingi.

docet; in tacita mentis consideratione varia suggerit; sed homo ad hanc Dei vocem animum non advertit. Hanc hebr. textus acceptionem prae se ferunt LXX ἐν γὰρ τῷ ἅπαξ λαλῆσαι ὁ κύριος, ἐν δὲ τῷ δευτέρῳ ἐνύπνιον ἢ ἐν μελέτῃ νυκτερινῇ — hanc amplectuntur, utpote quae optime cum subsequentibus (v. 15. 19. 23) cohaereat *Cod. Vat. Malv.* II. *W. Zsch. Del. Hirz. Hitz. P.;* et revera, cum tres modi statim assignentur, difficilis est (ut non dicam, falsa) versio *vulg.* v. 14 « *semel loquitur Deus, et secundo id ipsum non repetit* »; — explicant : sufficienter ad hominis instructionem loquitur Deus, et suam declarat voluntatem sive per naturale lumen rationis, sive per tribulationes, visiones et somnia divina (cf. *S. Thom. Pin. Cord. Tir. Calm.*) et varios modos locutionis divinae assignant, ita ut ipsa explanatione doceant *literam vulg.* esse relinquendam[1], nisi ad extraneas quasdam et plane h. l. alienas expositiones confugere malueris : Deum quod semel statuerit non mutasse; eum unico decreto omnia stabilivisse; unum Verbum eum loqui, unum gignere Filium (cf. *S. Greg. Pin.*) etc.

Modos declarat v. 15 « *per somnium in visione nocturna, quando irruit sopor super homines et dormiunt in lectulo,* v. 16 *tunc aperit aures virorum et erudiens eos instruit disciplina* »;— i. e. aurem quasi tectam retegere, quo facilius quis audiat; dein vim quasi perceptricem intellectus acuere; etiam dicitur de rei occultae revelatione (cf. 1 Reg. 9, 15), de praecepto communicando (Is. 50, 5); aperit aurem et *disciplinam,* eruditionem, redargutionem pro eis (unde hebr. *disciplinam eorum*) quasi immittit immissamque *obsignat* (hebr.) vel aurem eruditione obsignat quasi sigillo apposito i. e. clare, distincte. Huius rei exempla afferunt ex s. Script. Abimelech, Laban, Pharaonem, Nabuchodonosor etc. (cf. *Cord.*). Somnia prophetica agnoscit s. Scriptura, cf. Num. 12, 6; et supra 4, 13. Ioel 2, 28; et insuper communis est hominum opinio, fieri quandoque per somnia Dei vel angeli boni admonitionem, quae sententia toti antiquitati inhaesit.

Iam quo fine id fiat, exponit et quid proin Deus hominem doceat, declarat v. 17 « *ut avertat hominem ab his quae facit, et liberet eum de superbia* »; — i. e. ut homo admonitus caveat a facinore, ut ab incepto [2] desistat, quod fortasse animi impetu et mala cupiditate susce-

---

1. S. Hier. videtur legisse ישובנה (uti Syrus?) pro ישורנה i. e. ב pro ר mutavit, quod mendum saepius adverti potest; cf. *Reinke* Beitraege VII. p. 64. — Sensum in *vulg.* textu expressum non esse ad rem, etiam *Sanct.* optime perspexit; censet enim : « (illud *semel*...) accipiendum est tamquam ab eo dictum, qui humano loquitur spiritu et sensu qui saepe errat non instructus aut non afflatus a divino, licet hoc sibi superbe ac falso arroget Eliu; nam revera Deus idem saepe repetit ». At non Eliu, verum interpres reprehendendus est.

2. Hebr. *ab opere* generatim; *B.* textu secundum LXX mutato *ab iniquitate* scribit cum *Houbig.*, sed sensum coarctat.

pit; vel ut doceatur opus illud esse malum. Dein Deus omnem animi elationem et superbiam, quae in animi intimis recessibus latet et virtuti atque pietati continuas struit insidias, sua admonitione, allocutione, castigatione (cf. מוּסָר v. 16) removere studet ab homine, eum magis magisque ab hoc vitio quasi innato purum reddere, ab huius periculo immunem facere (cf. *Sanct.*) — unde apte in hebr. *ut superbiam a viro obtegat* scil. ut homo eruditus et castigatus iam non inveniat, quomodo vel qua de re superbiat, sed ut omnis elationis causa vel ratio ei evanescat [1]. Iam vero si radix superbiae et elationis esset excisa ab animo, quanta bona et quanta virtutis securitas tunc homini inessent? Tali Dei admonitione igitur homini bonum maximum confertur, impeditur, ne animi vitiis paulatim crescentibus in ruinam praeceps agatur; remedia igitur Deus subministrat, quibus peccata praecaveantur, pericula removeantur. Sensus vix mutatur, etsi quis cum *Pin.* prius membrum de *peccato iam perpetrato* quod emendandum sit, intelligat; finis Dei tunc est, ut homo viam peccati relinquat (membro primo — cf. *S. Thom. Mar.*), ut praeservetur ab exitio, in quod rueret sine tali admonitione, idque altero membro incipit et absolvit v. 18 « *eruens animam eius a corruptione et vitam illius, ut non transeat in gladium* »; — in hebr. [2] *ut retineat animam eius a fovea et vitam eius a ruina in gladium* (ne ruat in gladium). Homo enim naturali quodam pondere ad ima fertur et in vitia pronus est, unde ne in scelera capitalia, quae Deus acerrima poena (puta morte praematura, violenta, bello, hostium invasione) vindicare debet, praeceps ruat vel sensim deferatur, opus est divina eruditione et castigatione. Quare Eliu iam indicat praeter poenas vindicativas exsistere *medicinales, salutares* et Deum revera hominum *saluti* consulere. Novus igitur iam campus aperitur, quo Iobus mente et consideratione exspatietur; nova veritatis vena aperitur: poteritne Iobus iterum asserere, se a Deo affligi sine causa? *Ita Eliu disceptationem revera promovet.*

Alterum Dei modum, quo hominem erudiat, exponit v. 19 « *increpat quoque per dolorem in lectulo et omnia ossa marcescere facit* »; — i. e. erudit et castigat hominem morbo *et contentione ossium eius continua* (hebr.) i. e. doloribus continuis in ossibus; dolores dicit vehementissimos, quasi ossa perforantes (cf. 30, 30). Quem in finem hominem cruciet, disce ex v. 17. 18. Morbum ulterius describit, alludens ad varia Iobi effata; v. 20 « *abominabilis ei fit in vita sua panis et*

1. Frigidum est, quod LXX et vet. lat. habent : « et corpus eius a ruina eruat » quod tamen *B.* amplexus textum hebr. mutat.

2. Est verbum finitum, in quod infin. cum ל iam membro antecedente transit.

animae illius cibus ante desiderabilis »; — hebr. ad verbum *et abhorrere facit eum vita eius panem et anima eius cibum desiderii*, vis et foetor morbi nauseam maximam creat; tota vis vitalis quasi horret et refugit ab omni cibo; ita morbi vehementia quasi tota hominis natura pervertitur, ut appetitus edulia olim iucunda abominetur (cf. 6, 7). Morbus demum hominem absumit et corrodit v. 21 « *tabescet caro eius et ossa eius quae tecta fuerant nudabuntur* »; — hebr. *tabescet caro eius, ut non videatur* (proprie : a visu) *et nudantur ossa eius* (quae) *non videbantur* [1]; caro quae videbatur disparet; ossa apparent.

Talem mutationem morbus inducit (cf. 19, 20; 30, 30; 30, 16): nuda superest pellis ossibus obducta. Ita morti iam proximus est v. 22 « *appropinquavit corruptioni anima eius et vita illius mortiferis* »; — vita est tradita doloribus, qui mortem afferent (causis inducentibus mortem, *S. Thom.*), iam proxima est foveae (hebr.), sepulchro (cf. *Mar. Malv. Men. Tir. W.*). Alii *mortiferos* intelligunt daemones, vel angelos percussores (cf. *Pin. Del.*); sed longius petitum videtur; alludit [2] ad 7, 15, 16; 10, 20; 17, 16.

e) Hominem malis erudiri docet 33, 23-33.

Tertius modus, quo Deus hominem admonet est *per internuntium*, qui Dei consilii *interpres*, rarus utique inter homines, ad homines loquatur, ut eos doceat quid rectum sit. Talem se certe Eliu habet, unde simul exponit, quot modis Deus Iobum et docuerit et nunc doceat: multis igitur rationibus eum divinum audivisse responsum et nunc audire, dummodo velit animum advertere (cf. *Cord.*).

Rem ita exhibet, ut appareat Deum ipsius *peccatoris* salutem et felicitatem spectare; quanto magis ergo iusti verum bonum ei cordi erit? Unde nova ratione Eliu ostendit, Deum res iusti semper benevolentissime administrare. Internuntium illum apud Deum intercedentem describit v. 23 « *Si fuerit pro eo angelus loquens, unus de millibus, ut annuntiet hominis aequitatem*, v. 24 *miserebitur eius et dicet : libera eum, ut non descendat in corruptionem; inveni, in quo ei propitier* »; — hebr. *nuntius, interpres* (cf. Gen. 42, 23. Is. 43, 27. 2 Chron. 32, 31). Cum ultimo nomine nunquam *angeli* significentur, et insuper angelo-

---

1. Qeri שְׁפִי a שָׁפָה, pual *deglabrari;* Kethib שְׁפִי *calvities,* quod *B.* praefert. Idem bene scribit vocem primam יִכְלֶה; nam cur in textu sit forma apocopata, nulla ratio excogitari potest.

2. Bene notat *Sanct :* « cum autem per haec omnia loquatur Deus et omnia haec sibi contigisse fateatur Iobus, consequens est, ut multis variisque modis divinum de se responsum audierit ».

rum missio ad homines edocendos et commonefaciendos certe non pertineat ad Dei vias *ordinarias* (cf. v. 29), certe *homines*, Dei legati, viri Dei, vel prophetae h. l. intelliguntur, qui sunt a reliquorum turba selecti, neque adeo inter homines frequentes, qui sint *interpretes* Dei, *ut homini nuntient rectum* (hebr.). LXX habent :ἄγγελοι ϑανατηφόροι; latini interpretes plerumque *angelos* intelligunt; at alii recte homines recta monentes (cf. *Phil. Cod. Calm. Mar. Malv. V. Tir. W. P.*).

Si igitur talis adest *circa eum* (hebr.), hominem scil. morbis detritum — et certe intelligitur praesentia non sterilis, sed utilis, ut scil. ibi revera munere suae legationis fungatur, hominem recta doceat et Deum deprecetur — tunc Deus illi afflicto misericordiam adhibebit et legato dicet; *libera eum* i. e. id ei annuntia (*W.*), vel potius[1]: labora institutione, precibus et tu ad eripiendum eum ab interitu; « *inveni expiationem* (hebr.) legati intercessione et afflicti poenitentia et conversione Deus reconciliatus et placatus est. — Locus iste insignis est, qui Dei interpretis (sacerdotis, doctoris) munus et efficaciam salutarem tam clare describat, qui simul adumbret tali *mediatoris* officio et ope homines demum sanandos et eruendos, Deoque satisfactionem offerendam esse.

Quomodo liberetur *a descensu in foveam* (hebr.), partim[2] exponit v. 25 « *consumpta est caro eius a suppliciis, revertatur ad dies adolescentiae suae* »; — i. e. etsi in extremis sit, vigore iuvenili donandus erit. Textus hebr.[3] ita effert prius membrum: *revirescet caro eius prae iuventute* i. e. plus quam in iuventute (cf. *Cod. Mar. Malv. Pin. W. P.*), uti etiam LXX et *Syrus* interpretati sunt, et a contextu exigitur.

Subdit alterum, quomodo liberetur v. 26 « *deprecabitur Deum et placabilis ei erit, et videbit faciem eius in iubilo et reddet homini iustitiam suam* »; — si ferventi et humili oratione ad Deum revertatur, edoctus et adiutus ab illo mediatore, Deus ei benignus erit; iterum faciem Dei, quae aversa est a peccatore in ira et indignatione, aspiciet ad se conversam i. e. favorem Dei et gratiam sibi denuo illucescere experitur maxima animi laetitia, et Deus ex sua parte hominem agnoscit culpis solutum, iustum, sibi placentem (cf. *Pin. Cord.*)[4].

---

1. Nam etiam Ier. 1, 10 non tantum illa *praedicenda* esse, sed ipsum prophetam suo labore ad ea efficienda incumbere debere, indicatur.

2. Censet *B.* supplendos esse duos v. ex LXX et *vet. lat.* « et renovabit corpus suum sicut litura in pariete et ossa sua implebit medulla »; sed hi versus non videntur esse aliud, quam verbosa v. 25 b circumlocutio, qua certe carere possumus, sicut et imagine illa parietis liniendi.

3. רְטַפַּשׁ h. l. tantum occurrit. *S. Hier.* (uti *Chald.* et aliqui ex rabb.) significatione *consumi* accepit; quare בְּשַׂר a radice בָּעַר *excutere, contundere* explicuit (cf. *Pin. W.*).

4. *B.* hoc membrum verti vult: et annuntiabit hominibus salutem sibi partam; at quae dein molesta tautologia cum v. 27?

Hanc vero gratiam homo grato animo agnoscit et coram omnibus profitetur v. 27 « *respiciet homines et dicet : peccavi et vere deliqui et ut eram dignus non recepi* » ; — i. e. palam ac publice favorem Dei annuntiat (cf. *Pin. Cod. Cord. Tir.*)[1] ; utilitatem scil. et doctrinam acceptam ad bonum quasi commune derivare vult, quare *aliorum intuitu* fatetur : *peccavi et rectum detorsi* (curvum feci, hebr.) i. e. graviter deliqui, id quod per emphasin efferre vult *et non par est mihi* (hebr.) i. e. aequale, quod meritus eram, non retribuit mihi Deus ; mihi condonavit. Etiam versus sequens[2] pertinet ad hoc grati animi canticum : *liberavit animam meam, ne rueret in foveam, et vita mea luce delectatur* (cf. *Malv. Zsch. Del. Hitz. Hirz. P. Le Hir*) et apte quidem, cum beneficium acceptum post culpae confessionem et remissionem laude celebretur. *Qeri*, quod *Chald.* et *S. Hier.* sequuntur, idem ut ab Eliu tamquam doctrinae caput propositum enuntiat; v. 28 « *liberavit animam suam, ne pergeret in interitum, sed vivens lucem videret* » ; — i. e. ille admonitione suscepta resipiscens et Deum deprecans se ab interitu vindicavit et iam nova vita gaudens fruitur. Talis igitur *fructus* ex afflictione exoritur: salus afflicti et ad Deum conversio, maior Dei laus, quam celebrat ille coram omnibus, et magnus ad pietatem stimulus, qui beneficio collato continetur. Iam si Deus ita *sapienter* et *benigne* cum peccatore (v. 24. 27) agit, an innocenti deerit?

Quare optime et nervose concludit Eliu v. 29 « *ecce haec omnia operatur Deus tribus vicibus per singulos*, v. 30 *ut revocet animas eorum a corruptione et illuminet luce viventium* » ; — hebr. *bis, ter cum viro, ut revocet animam eius a fovea, ut illuminetur luce vitae*, i. e. Deus erudit et affligit hominem, ut eum praeservet ab interitu, ut eum compleat felicitate, favore divino. Unde Eliu denuo inculcat, non omnem calamitatem esse *malum poenae* et vindictae divinae; adesse quoque, ut ruina praecaveatur, ut aditus quasi pandatur maiori *luci viventium*, i. e. gratiae ; suo scil. pondere anima quasi in ruinam fertur ; Deus vero eam sistit in hoc cursu, avertit, coercet, reducit ad se (cf. הָשִׁיב), calamitate immissa (cf. v. 17. 18) impedit eam, ne sibi indulgens et superbia elata pereat.

Hisce igitur considerationibus Iobus se suaque mala perpendat animo attento ; v. 31 « *attende Iob et audi me, et tace, dum ego loquor* »;

---

1. Hebr. יְשֹׁר a שׁוּר videre (cf. v. 14) *S. Hier.* interpretatus est (similiter *Chald. Syrus* explicant, illum scil. ad homines sese dirigere); recentiores malunt derivare formam a שׁוּר = שִׁיר (36, 24) *canere : et canet ad homines et dicet* (cf. *W. Del. Zsch. P. Le Hir, Renan*); at immerito, cum veterum acceptio *formae* melius congruat et *sensui* aptior sit.

2. Secundum *Kethib*, quod LXX et *Syrus* quoque exprimunt.

— hebr. *tace et ego loquar* i. e. praeter ea, quae dixi, alia adhuc proponere, alia in te corrigere et emendare debeo. Attamen si forte Iobo ea quae dixit vitio quodam laborare videntur, exoptat, ut Iobus rem exponat, quo clarius elucescat veritas, si in utramque partem fiat disceptatio ; v. 32 « *si autem habes, quod loquaris, responde mihi, loquere! volo enim te apparere iustum* » ; — i. e. nolo ego agere, ut tres alii, tuum accusatorem ; exopto, ut, si veritas fert, causam evincas : ergo si censes, me immerito aliquid in te reprehendisse, vel veras rationes non protulisse, loquere ! Certe animum pandit Eliu veritatis studio impulsum, benevolum erga Iobum et ab omni Iobum accusandi pruritu alienissimum ; neque perfracte suae inhaeret sententiae, sed obloquendi et disceptandi spatium concedit, neque Iobum auctoritatis pondere obruere vult — quamvis se Spiritu Dei agi confidat, cf. 32, 8 : 33, 4 — sed, si quid adsit dubii, ut proponat, exhortatur. Quodsi vero omnia Iobo vera et bona videantur, tunc demum, quasi optimus disceptator, pergere vult ; v. 33 « *quodsi non habes, audi me ! tace et docebo te sapientiam* » ! — i. e. vult progredi, si ea quae disputavit concessa sunt ; ita demum firmum habetur fundamentum, ita spes *fructuosae* disceptationis adest. Quae omnia Eliu egregie praestat.

Haec sermonis clausula apud multos interpretes magnam excitavit adversus Eliu indignationem. Praeit, uti solet, in Eliu condemnatione *S. Greg.* : « magna Eliu et valde fortia protulit, sed hoc unusquisque arrogans habere proprium solet, quod dum vera et mystica loquitur, subito per tumorem cordis quaedam inania et superba permiscet.., Eliu quem tenere arrogantium typum saepe iam diximus, postquam multa sapientiae profunda digessit, subito post easdem sententias veraces ac mysticas fastu scientiae inflatus extollitur, cuius mox inflationis merito eius sensus ad inania verba derivatur ». Similiter *Rup.*, et *Br.* : « mirum valde est, quod per hominem tam arrogantem tam profunda mysteria Spiritus sanctus revelare dignetur ». *Sanctius* vocat Eliu audacem et sciolum, superbum, quem de vana opinione sapientiae tumor inflabat (immo ad v. 17 censet Eliu potius a malo spiritu agi), eumque nihil afferre ad praesentem statum et necessitatem opportunum. *Caietanus* eum passionibus irae ac propriae gloriae agitari asserit et arrogantia iuvenili. *Cord.* Iobum sibi fingit, dum Eliu sermonem audiat, avertentem aut distorquentem faciem, quo audaci ac sciolo adolescenti silentium indiceret ; id Eliu impatienter tulisse, unde Iobum inurbanius et imperiosius sit allocutus « superbus adolescens, quem de vana opinione sapientiae tumor inflabat » etc. Eadem est sententia *Pin.* ; scribit v. gr. ad v. 31. : « quis non prima facie censeat Eliu valde modestum et temperatum disputatorem, qui optionem det Iobo, ut eligat aut primus ipsum loqui aut loquentem audire? Ego vero superbum et immoderatum dixerim ». Immo sunt, qui doctrinam ab Eliu propositam parvi pendant. *Gord.* : « iunior iste magnifice de se sentit, nec multum ipse efficit, quamvis

hic (32, 18) et deinceps promittat multa ». *Cod.* vero ad Eliu doctrinam illud applicat Homeri de Aegypto : φάρμακα πολλὰ μὲν ἐσθλὰ μεμιγμένα, πολλὰ δὲ λυγρά, et pariter eum inanis gloriae et nimiae vanaeque confidentiae accusat. Multo sane melius *Ol.* : εἰρηκὼς ὁ Ἐλιοὺς τρόπον κηδεμονικῆς παιδεύσεως Θεοῦ, ὅτι ἐπὶ τὸ κάλλιον ἡμᾶς ἐπανάγει... et *S. Chrys.* eum ab omni vanae gloriae appetentia immunem fuisse pronuntiat. *S. Thom.* quidem concedit, Eliu quibusdam acutioribus rationibus contra Iobum uti quam priores et magis ad veritatem accedere, attamen vult Eliu non solum zelo veritatis defendendae sed etiam ex inani gloria moveri. Similiter *Phil.* iudicat, Eliu spiritum habuisse prophetiae, at ex iactantia vanitatis dixisse. Melius *S. Aug.* : « commendat hunc Scriptura, quia in prophetia locuturus sit ».

ALTER SERMO AB ELIU HABITUS. CAP. 34.

Arg. — Ut Eliu ipse indicat (v. 3. 4), id agit, ut quae a Iobo audacius dicta offensioni esse possunt, reprehendat et corrigat. Quare eos seligit locos, qui si in universum accipiuntur vel ab oratione Iobi contexta avulsi considerantur, Deo iniustitiae accusationem impingere videntur (34, 1-9). Strenue Dei iustitiam asserit, eamque ex eo probat, quia Deus est omnium *Creator* — quis audeat tantam maiestatem procacibus verbis lacessere? — omniumque sine acceptione personarum *gubernator*, qui *omniscius* tyrannos potentes potenter deiicit et oppressorum curam agit, qui summe *independens* est omniumque saluti prospicit (34, 10-30). Quare Iobus, qui Deo modum et rationem praescribere vult, stulte locutus est et merito hac de re punitur (34, 31-37).

a) **Iobi audacius dicta carpuntur 34, 1-9.**

Iobus siluit. Quid enim iis opponeret, quae Eliu de calamitatum ratione et fine disseruit? Intellexit sane Deo non posse deesse consilia *salutaria*, et certe iam animum eius subire incipit poenitentiae pudor quidam, quia ad Deum ultorem et vindicem fere unice animum advertisset. Unde eo tacente Eliu pergit v. 1 « *Pronuntians itaque Eliu etiam haec locutus est* : v. 2 *audite, sapientes, verba mea, et eruditi auscultate me* »! — ad eos, qui circumstant, dirigit sermonem, quia Iobi verba audaciora carpere vult, et ut eos sibi reddat benevolos eorumque attentionem stimulet, ad eorum iudicium et sapientiam provocat. Decet enim verba audita ad veri trutinam revocare; v. 3 « *auris enim verba probat et guttur escas gustu diiudicat* »; — cf. 12, 11; quod Iobus contra alios dixerat, iam in eum vertit : palatum gustu cibos discernit, ita sapiens aliorum sententias et sermones iudicio discernit, minime caece approbat et amplectitur. Et hoc iudicio

admoto habet Eliu, quod in verbis Iobi reprehendat. Unde ad veri inquisitionem invitat; v. 4 « *iudicium eligamus nobis et inter nos videamus, quid sit melius* » ; — i. e. probemus, quid verum et iustum sit; exploremus inter nos, quid *bonum* (hebr.) sit. Tale examen s. auctor nunc per Eliu instituit de verbis Iobi; nam dialogi ratio requirit, ut quae minus bene vel pie disceptata sint, sua non careant censura. Modus vero, quo Iobus usus est, audacior et expostulatio illa cum Deo sine reprehensione relinqui non potuit, nisi s. auctor illa etiam approbare et ad imitandum proponere velle videretur. Verum est Eliu verba Iobi severius accipere et eo sensu, quo a Iobo dicta non sunt. Iobus enim Deum iustum esse nunquam negavit. At verba *sonant* dure; nisi ea, quibus Iobus ipse verba sua limitat, vestit, determinat, diligenter perpendantur, Dei iniuriam continere videntur; si ab affectu conquerentis, ab impatientia lacessiti, ab exaggeratione defendentis suam innocentiam et contra calumnias amicorum vindicantis abstrahatur, Iobo aliqua exciderunt, quae pietatem et reverentiam Deo debitam graviter laedere videntur. Erat igitur diserte monendus unusquisque, ne talia ad exemplum proponi censeat in ipse heroe patientiae. Haec autem praestat s. auctor per Eliu interlocutorem. Quodsi Eliu severius de Iobo iudicat, id, ne de vera *mente* Iobi dubium remaneat, ab ipso Deo demum corrigitur (42, 7. 8). Apte hae etiam partes Eliu *iuveni* tribuuntur; est enim aetatis iunioris et vivacioris, animi quadam vehementia offendi et excandescere uno alterove verbo, quod aetas magis matura et tranquilla, quae totam orationis seriem ob oculos habet, facile condonat. Recte notat *Ol.* : « scopus quidem Eliu vituperandus non est; verum iusti animum non intellexerat, nec qua charitate erga Deum et confidentia coram eo causam dicere desideraret ».

Iam quae reprehendenda sint, declarat : v. 5 « *quia dixit Iob : iustus sum et Deus subvertit iudicium meum* » ; — cf. 13, 18; 23, 10. 11 ; 27, 6; 31, 1 et seq. et alterum membrum 27, 2 — in hebr. idem prorsus הסיר *abstulit*, mihi ius subtraxit. Idem dicit v. 6 « *in iudicando enim me mendacium est; violenta sagitta mea absque ullo peccato* » ; — cf. 19, 6 *Deus non aequo iudicio me afflixit*, hoc durius effertur tamquam mendacium [1], fraus.

Ita LXX καὶ ἐψεύσατο (ὁ κύριος) τῷ κρίματί μου, et *cet. lat.* « et in iudicio meo mentitus est » et *Aq.* et *Theod.* περὶ τὴν κρίσιν μου ψεῦσμα. Neque mirum, si Eliu in vehementiore animi commotione *durius* verbum seligat. Textus graecus et *vulg.* veram Iobi accusationem continent, quae optime ad

1. Bene *Phil.* : « fefellit Deum iudicium meum, non recte ac vere iudicavit, et ideo erga me mendacio agitur ».

contextum apta est. Dubito, an textus hebr. rite legatur: *super iudicium meum mentiar*, id quod explicant: non obstante meo iure tamquam mendax et impius habeor. Nam haec sententia certe ab Eliu, qui amicis Iob irascitur, quod eum tantum condemnaverant, non fuisset Iobo crimini versa neque apparet, qua in re aliquid arrogantiae ibi adsit. Neque quod *Hitz.* vertit: an contra ius meum mentiar? i. e. volunt, ut me sontem agnoscam, tale est, quod in Iobo reprehendatur. At contextus et alterum membrum omnino postulat ut aliquid quod Iobo vituperio vertatur, enuntietur. Unde textus graecus et lat. praeferendus est.

Vulnus sibi inflictum vocat *sagittam suam*, idque sine ulla sua culpa *Sym.* ἀναιτίως) sibi inflictum conqueritur insanabile, letale (cf. hebr.). Eliu etiam hoc vituperat, non quia Iobum impium censet, sed quia audacioribus illis cum Deo expostulationibus satis superque cruciatus meruerit (cf. v. 36). Quare statim magna cum animi vehementia declarat Eliu, quantopere Iobus pietatem violaverit: v. 7 « *quis est vir, ut est Iob, qui bibit subsannationem tamquam aquam?* v. 8 *qui graditur cum operantibus iniquitatem et ambulat cum viris impiis* »? — prius dicit propter Iobi protestationem saepius repetitam; v. 8 morum similitudinem indicat, quam Iobus suis expostulationibus contraxerit cum impiis (cf. *Pin. Cord. Men.*), non malorum societatem, consuetudinem, familiaritatem, qua usus sit; illis se adiungit, in societatem eorum se confert (hebr.) mente et animo. Idque Eliu confirmat alio Iobi effato; v. 9 in hebr. *dixit enim: non prodest viro, si in gratia sit cum Deo* (cf. *Mar. Male. W. Le Hir*); id verbotenus Iobus non dixit; at cum saepius non sine stomacho asseruisset, aeque innocentem atque impium affligi (9, 22), immo impios florere (21, 7), se quasi virtutum mercedem aerumnas tulisse (30, 26) etc., Eliu haud male haec et similia brevi formula complectitur. Textus *vulg.* est difficilior[1]; v. 9 « *dixit enim: non placebit vir Deo, etiamsi cucurrerit cum eo* »; — debet certe ad eundem cum hebr. sensum revocari; etsi exsecutus fuerit festinanter Dei mandata, quasi currens cum eo (*Cord.*); *ambulare cum Deo* pietatem dicit et legis Dei observantiam; id igitur alacri cursu et magno animo praestare est vel saltem dici poterit *currere cum Deo* (cf. *Pin. Cord. Tir.*). Bene advertit *S. Thom.* Iobum dixisse: *vestigia eius secutus est pes meus* (23, 11) et postea: *mutatus es mihi in crudelem et in duritia manus tuae adversaris mihi* (30, 21); ex quibus illa conclusio facile fieri potuit. Hoc autem praecavere vult s. auctor. Quare nequaquam cum *Cod.* dicendus est Eliu induci quasi pugnans cum larva umbratili. Quis id ferret in carmine tanta arte

1. De סָכַן cf. 22, 2; pro רָצָה explicuit S. Hier. רוּץ.

exculto? an mediocris poeta ita contra veri pulchrique normam peccaret, ut operi suo pannum assueret plane inutilem?

b) Deum esse iustum variis probatur 34, 10-30.

Eliu de Iobi effatis indignatur. Neque difficile est explicare, cur Eliu mentem Iobi non plane sit assecutus. Perspiciens enim effectus salutares et medicinales calamitatum aegre tulit, quod illis omissis Iobus in querelas tantum et expostulationes sese effunderet; ita iam praeoccupatus et Iobo indignatus neque alias sententias Iobi neque animi conditionem i. e. sensum et affectum exulceratum satis attendit, sed animo in veras aerumnarum causas defixo verba illa contra Deum prolata acerbius et durius accepit et reprehendenda sibi notavit. Quare iam Dei iustitiam omnimode defendit; v. 10 « *Ideo viri cordati, audite me*: *absit a Deo impietas et ab Omnipotente iniquitas* »! — cor Hebraeis sedes est et quasi centrum cogitationum, iudiciorum, affectuum: unde viros appellat intelligentia veri et amore recti conspicuos, qui a suis partibus stent. Dein enuntiat « huius disputationis praecipuum caput et argumentum » (*Cord.*). Porro paucis praeambuli loco notionem iustitiae explicat et tuetur; v. 11 « *opus enim hominis reddet ei et iuxta vias singulorum restituet eis* »; — id contra Iobi effatum: *quid prodest homini...* ? Et cum emphasi repetit v. 12 « *vere enim Deus non condemnabit frustra, nec Omnipotens subvertet iudicium* »; — hebr. *profecto, Deus non iniuste agit...* Idque nunc ex rei visceribus probat; v. 13 « *quem constituit alium super terram? aut quem posuit super orbem quem fabricatus est* »? — bene *Cord.*: « duo paucis firmissima tangit argumenta: quia omnia ab ipso fabricata sunt et quia res omnes gubernat ». Omnia enim amat quae fecit (Sap. 11, 25); si vero amat (et si non amasset, non maximum beneficium, ut sint, esset largitus), non iniuriose tractat. Vim argumenti *S. Greg.* bene proponit: « sed haec ideirco colliguntur, ut liquido indicet, quia Deus si per semetipsum regere non negligit quod creavit, quod bene creavit, utique bene regit, quia quod pie condidit, impie non disponit, et qui necdum facta curavit, ut essent, quae facta sunt non deserit; quia ergo praesens est in regimine, qui auctor exstitit in creatione, ideo curam nostri non praeterit ». Est enim Deus summus rerum gubernator; sed talis non potest esse non iustus; nam si ipse esset iniustus, ut ait *S. Thom.*, nusquam iustitia reperiretur; « nullo autem modo possibile est, quod universalis mundi gubernatio sit iniusta » (*S. Thom.*). Cum enim gubernare sit vi notionis res apte ad finem dirigere, necessario ordinis et iustitiae conceptus in gubernandi no-

tione includitur, unde summus gubernator summe iustus sit oportet[1].

Idem duplex argumentum enuntiatur in textu hebr. : *quis commisit ei terram, et quis posuit* (condidit) *orbem universum* (cf. *Mar. Malv.* VIII. *W. Del. Zsch. P. Le Hir*)? Immerito aliqui (*Hirz. Hitz. Renan*) alterum membrum prorsus tautologice vertunt : *et quis imposuit* (super eum scil. ex 13 a supplent) *orbem*, i. e. ut eius curam habeat; nam שִׂים habet notionem illam *condendi, instituendi* (cf. 38, 5. Is. 44, 7. Ps. 19, 5; 91, 9; 104, 9) et hac significatione explicatur h. l. a LXX, *Chald. Syr.*

In ipsa rerum creatione adest quasi Dei locutio, qua Deus, qui res earumque indolem, naturam condidit, etiam fatetur se velle res, uti sunt et exigunt, adhibere. Amplius idem confirmatur ex rerum conservatione a Deo continuo facta ; v. 14 « *si direxerit ad eum cor suum, spiritum illius et flatum ad se trahet*, v. 15 *deficiet omnis caro simul et homo in cinerem revertetur* » ; — i. e. si Deus vellet, posset spiritum seu flatum uniuscuiusque viventis, quem creatione inspiravit (Gen. 2, 7 ; cf. Ps. 103, 30 *emittes spiritum tuum et creabuntur*), intercipere et exstinguere, et omnia Dei spiritu subtracto esse desinerent (cf. *Cord. Mar. Tir.*). « Quia ergo tam facile est Deo, si velit, in cinerem redigere totum genus humanum, ex ipsa hominum conservatione apparet, quod ad eos violentia iniusta non utitur » (*S. Thom.*). Commodius hebr. vertes : *si ad se poneret cor suum* i. e. quasi ad se solum attenderet, nec alio respiceret, vel nullius rei curam haberet[2] (cf. *Cod. W.*). Cum a Deo omnia adeo dependeant isque continuo vitam omnibus subministret, apparet, quanto amore omnia prosequatur, quanta cura — unde absonum est talem iniustitiae arguere.

Haec ut advertantur, Eliu monet et simul novam argumentationem praeparat ; v. 16 « *si habes ergo intellectum, audi quod dicitur, et ausculta vocem eloquii mei* » ! — hebr. ex accentu vertes : *utinam intelligas! audi* etc. (cf. *Cod. Del. Hitz.*)[3].

Attentione excitata Eliu progreditur v. 17 « *numquid qui non amat iudicium, sanari potest? et quomodo tu eum qui iustus est, in tantum condemnas* »? — i. e. sanari desideras, et solus Deus te poterit sanitati reddere ; at si Deum eiusque ius non modo non amplecteris, sed violas et ipsam iustitiam accusas, quomodo boni quid a Deo sperare poteris? Ita *S. Thom. Cord. Men.*

Alio sensum inflectit *Vav.* : « si inter homines quicumque abhorrent a iustitia,

1. Eodem argumento utitur S. Paulus : « numquid iniquus est Deus, qui infert iram?... absit. Alioquin quomodo iudicabit Deus hunc mundum »? (Rom. 3, 5. 6). Ad quem locum *S. Thom.* notat : « oportet quod est primum ac supremum in quolibet genere esse infallibile, sicut primum movens est immutabile ».

2. Cf. LXX et *vet. lat.* « si enim voluerit inhibere et spiritum apud se tenere, morietur omnis caro simul ».

3. אִם cum imperat. cf. Gen. 23, 13, ubi *S. Hier.* vertit *quaeso ut audias me*

salvi et incolumes esse nequeunt, sed misere pereunt, ecquidnam, obsecro, omnium iustissimum, immo iustitiam ipsam condemnare non metuis »? Sed de textu *vulg.* iam bene *Pin.* notavit : « si unius tantum literulae mutatione pro *sanari* active legeremus *sanare*, mirifice vulgatus consentiret cum hebr. ». Et fortasse *sanare* est lectio genuina ; eam deprehendimus apud *Phil.* : « manifestum est, inquit, quia is qui iuste et recte iudicare non diligit, neque sanare a vitiis animae, neque corrigere quemquam potest », eam verbum hebr. יַחֲבוֹשׁ[1] suppeditat, quod etiam *ligare*, *vulnera fovere*, *circumligare* (cf. Is. 30, 26. Ez. 30, 21 ; 34, 4. Os. 6, 1 et supra 5, 18) significat. Sed cum iam *Chald.* et *Syrus* h. l. habeant *custodietur*? *non purus est*, forte S. Hier. eos secutus *sanari* scripsit, sententiam non ad Deum referens.

Iam hebr. plerique ita vertunt : *num osor iudicii dominabitur* (cf. *Mar. Malv. Calm. Cod. Ros. Del. Hirz. Zsch. P. Le Hir, Renan*) ? i. e. fieri non potest, ut osor iustitiae mundum universum imperio contineat ; arguit ex conceptu summi dominatoris, uti supra. Mundi dominium necessario ordinem, debitam proportionem, proinde ius et iustitiam supponit, illa scil. vincula, quibus suis quaeque limitibus, officiis continentur ; alioquin omnia tamquam chaos immane susque deque verterentur. Argumentum sane aptum in se et praeclare factum ad contextum. Et insuper verbo חבשׁ *ligare* haec *dominandi*, *imperio coercendi* vis inesse videtur; ita LXX ad Is. 3, 7 vertunt חֹבֵשׁ ἀρχηγός ; eadem metaphora cernitur in עָצַר 1 Sam. 9, 17 estque significationis transitus sat facilis et obvius. Praeterea quod aliis, iisque paucis, praeplacet, coniungere scil. הַאַף יַחֲבוֹשׁ = *num iram coercebit*, phrasis est plane inusitata, et versiones omnes אַף coniunctionem explicarunt, neque verborum collocatio aliam interpretationem patitur. Accedit, quod ne sensus quidem sit ad rem : si Deus esset osor iustitiae, iram suam nullatenus refrenaret, sed te iam peremisset. Sed haec quorsum tandem ? Neque hic sensus congruit: potest irae indulgere, neque tamen indulget ; quomodo ergo eum iniustum dicis (*Hitz.*)? Nam Iobus potest respondere. Deum satis superque irae suae in ipsum indulgere.

Dein Eliu advertit : *num iustum potentem condemnabis* (hebr.)? i. e. num homuncionem ullo pacto decet ita litigare et expostulare cum divina maiestate? Hoc ulterius prosequitur Eliu in textu hebr. v. 18 *an dicere* (*licet*) *regi : impie! facinorose! principibus* (cf. *Mar. Malv. Cord. Cod. Calm. W. Hitz. Del. P.*)? i. e. an aequum est et conveniens ita arroganter homines nobiles alloqui? Et Iobus Deum tam audacter interpellare ausus est. Quanta proin rei indignitas? Apta sane monitio et ad Iobi correptionem accommodata, qui gloriatione sua reverentiae Deo debitae nonnunquam defuit. Eundem sen-

1. LXX literis transpositis forte verbum חשׁב legerunt; habent enim codices aliqui εἰ δὲ οὐ οὐκ οἴει τὸν μισοῦντα... Ceterum *Ol.* meminit, τοὺς λοιποὺς interpretari : ἄρα ὁ μισῶν κρίσιν ἐπιδήσει εἰς ἴασιν; ita *Sym.* in hexapl. fragm.

sum proponunt LXX et *vet. lat.* : « impius est, qui dicit regi : inique agis ; impiissime (? ἀσεβέστατοι, alii — ε) principibus » ; similiter *Chald.* Alii tamen infinitivum hebr. in participium commutantes (*Hirz. Zsch., Le Hir*) cum *S. Hier.* sententiam ad Dei potentiam describendam referunt v. 18 « *qui dicit regi : apostata, qui vocat duces impios* » ; — i. e. Deus iustus est et sine ulla personarum acceptione principes arguit, tyrannos compescit, potentissimos quosque impietatis accusat. Et hanc Dei iustitiam ulterius delineat v. 19 « *qui non accipit personas principum, nec cognovit tyrannum, cum disceptaret contra pauperem ; opus enim manuum eius sunt universi* » ; — i. e. non pluris habet opulentos et nobiles quam tenues — *nec anteponit divitem ante pauperem* (hebr.) — et ratio est eadem ac v. 13, quia est unus omnium Creator ac Deus (cf. Rom. 10, 12).

Hoc Dei iudicium, quo potentes subito percelluntur, exemplo illustrat, v. 20 « *subito morientur, et in media nocte turbabuntur populi et pertransibunt, et auferent violentum absque manu* » ; — i. e. praecipiti fato illos interficit ; media nocte, i. e. inopinato, cum in summa pace ac securitate versari videantur, populi in Deum rebelles concutiuntur et in captivitatem abducuntur ; *non manu* i. e. non hominum opera, sed invisibili Dei iussu, vel morbo vel peste vel ministerio angeli exterminatoris abripitur potens tyrannus (cf. *Pin. Cod. Calm.*). Apte *Pin.* : « forte nunc allusio est ad aegyptiacam illam noctem, cum turbatus est populus, interfecti primogeniti et ablati sunt violenti absque manu » i. e. Dei nutu et potentia (cf. *W.*).

Fungitur autem Deus fungique potest iustitia, non solum quia a nullius timore vel utilitate pendet (v. 18? 19. 20), sed quia omnia novit et diligenter considerat. In homine enim timor, utilitas, ignoratio saepe iustitiam obvolvit ; non ita apud Deum ; v. 21 « *oculi enim eius super vias hominum et omnes gressus eorum considerat* » ; — omnia et singula perspicit· *via* est quasi tota animi, sensuum operumque habitudo ; *gressus* singula quaeque ac minutissima ex illis. Idem efficacius per negationem urget v. 22 « *non sunt tenebrae et non est umbra mortis, ut abscondantur ibi qui operantur iniquitatem* » ; — ne densissimae quidem tenebrae aliquem occulere possunt ; nemo potest eius oculis nebulam offundere ; cf. Ps. 138, 12. Eccli. 23, 28.

Neque in hominis potestate est tali se iudicio subtrahere. Iustitia humana enim multos qui puniendi sunt, non attingit ; sed Deum iudicem nemo effugiet. Id primo generatim enuntiat (v. 23), dein exemplis elucidat (v. 24 seq.) ; v. 23 « *neque enim ultra in hominis potestate est, ut veniat ad Deum in iudicium* » ; — non in hominis arbitrio est positum, ut veniat vel non veniat ad Dei iudicium ; neque hoc sensu poterit latere, vel se abscondere.

Eundem sensum exprimit textus hebr. *non super hominem amplius advertit* (animum i. e. non opus est, ut curam ei admoveat, ut diligentia utatur), *ut veniat ad Deum in iudicium*. Hic sensus planus est et ad disceptationis seriem aptus et simplex (cf. *Pin. Hitz.*). Artificiosius sane alii : non est, cur homo speret Dei iudicium secunda vice iri retractatum ; quod semel iudicavit, nullo regressu vel appellatione mutari potest (cf. *S. Thom. Cord. Tir. Mar. Malv. Calm.*), cum Deus iam omnia sciat neque homo novas rationes afferre possit (cf. *W.*). Alii ad Dei cognitionem referunt : non opus est, ut Deus diu hominem observet, ut habeat, cur eum ad iudicium adducat (*Hirz. Del. Renan*) ; sed prior pars post v. 22 friget ; altera non habet in antecedentibus rationem sufficientem.

Dei iudicium nemo effugiet ; id illustrat v. 24 « *conteret multos et innumerabiles et stare faciet alios pro eis* » ; — hebr. *conterit potentes sine investigatione* [1], qua scil. non opus habet, et in sedem et locum illorum alios exaltat ; cf. *deposuit potentes de sede et exaltavit humiles*. Et Deum iuste in eos animadvertere declarat v. 25 « *novit enim opera eorum et idcirco inducet noctem et conterentur* » ; — i. e. noctem adversitatis inducit luce prosperitatis exstincta [2].

Tale iudicium in potentes exercitum accuratius describit : v. 26 « *quasi impios percussit eos in loco videntium* » ; — i. e. ita ut omnes punitionem videant, aperte, publice. Idque optime quia insolentia publica peccarunt, v. 27 « *qui quasi de industria recesserunt ab eo, et omnes vias eius intelligere noluerunt*, v. 28 *ut pervenire facerent ad eum clamorem egeni et audiret vocem pauperum* » ; — a Deo desciverunt, vias Dei, quas homines ingredi vult, i. e. mandata Dei spreverunt, nihil curarunt, et ita effecerunt (consecutione necessaria), ut oppressorum clamor Dei vindictam exposceret. Ita Eliu probat, Deum sine personarum acceptione potentes iudicio prosequi et Dei iustitiam hominibus esse beneficam [3].

Deus porro iustus esse debet, quia eius sententiam nemo impedire, mutare, infringere potest. Alia proin affertur ratio, qua divina iustitia probetur. Nam si supremus ille moderator, cuius actio a nullo averti vel inflecti potest, non esset iustus, omnia ruerent ; arguit igitur

---

1. Hebr. לֹא חֵקֶר (non perquisitio) tamen a LXX, *Chald. Syr. S. Hier.* « non numerus, non finis, multi » explicatur, quamvis nativa vocis significatio optime h. l. adhibeatur.

2. Textus *vulg.* optime consistit ; hebr. *ideo novit opera eorum et evertit nocte et conterentur* ; לָכֵן debet, ut sensus sanus adsit, de consecutione *logica* explicari = igitur novit... nam valde dubium est, an *propterea quod* verti liceat. *B.* particulam logicae adversari censet ; quare *ken* substituit.

3. In hebr. *nam propterea ab eo recesserunt... ut...* nulla est ratio aliter explicandi ; Eliu scil. vult nexum illum efferre, qui vere adsit inter peccatum et divinae iustitiae provocationem ; qui peccat, hanc vult ; unde עַל־כֵּן in sua nativa significatione relinquendum est.

iterum ex conceptu ordinis universalis et stabilitatis rerum; v. 29 « *ipso enim concedente pacem quis est qui condemnet? ex quo absconderit vultum, quis est qui contempletur eum, et super gentes et super omnes homines* »? — Dei sententia sive de populis sive de singulis hominibus irrita reddi non potest, sive sit in bonum (sententia absolutionis, pacis, amicitiae) sive in malum (sententia irae, vindictae = aversionis vultus); sed talis sententia, quae nulli mutationi sit obnoxia, est et esse debet vera, iusta.

Textus *vulg.* adiungit, cur quandoque a populo vultum suum abscondat Deus et calamitatem immittat: v. 30 « *qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi* »; — bene *Pin.*: « quod maxime, inquit, a providentia et iustitia alienum videbatur, ut rerum potiretur et ius administraret, qui ius ipsum everteret et leges pessumdaret. hoc vel imprimis est supremae iustitiae opus, populi peccata punientis durissimo dominatu et miserrima servitute ».

Sensus non spernendus; *S. Hier.* hebr. מַמְלִיךְ vel מֵמְלִיךְ legit et interpretatus est participium hiphil et מִן in altero membro *propter* vertit; neque aliter LXX *Theod.*) βασιλεύων ἄνθρωπον ὑποκριτὴν ἀπὸ δυσκολίας λαοῦ et *vet. lat.* « qui regnare facit hominem hypocritam propter perversitatem populi »; hisce etiam *Chald.* et *Syrus* consentiunt; quare lectio *vulg.* et praeclaro sensu et veterum testimonio maxime commendatur. Eliu ita respondet ad Iobi querelas 9, 24; 12, 6. Huc quoque referendae comminationes apud Is. 3, 4. Ier. 15, 4. Os. 13, 11. מוֹקֵשׁ *laqueus, tendicula;* dein sensu translato id quod est alicui perniciei, *scandalo,* offendiculo. *Chald.* vertit « propter offendicula in populo » et sim. *S. Hier.*

Textum hebr. ex punctatione masor. communiter explicant: *ne regnet* (מַמְלִיךְ) *homo impius, ne sint laquei populi* (cf. *Malv.* IV. *W. Hirz. Del. Zsch. P. Le Hir, Renan*) i. e. Deus efficit quietem, oppressores deiicit, ab iisque faciem abscondit, ne impii dominentur, ne populis sint perniciei[1]. Aliis tamen placet *ab offendiculis* referre ad v. 29 *vultum abscondere (Hitz.).* Alii demum מִן etiam in priore membro ut particulam causalem concipiunt: *eo quod regnat* (cf. *Mar. Cod.*), ita ut causa irae divinae v. 29) assignetur; at usus frequentior fert מִן ante infinit. significare remotionem, negationem (cf. Gen. 31, 29; 27, 1. Num. 32, 7. Is. 49, 15; 54, 9). In priore acceptione *benefica* Dei iustitia et *salutaris* depingitur, ita ut v. 30 correspondeat v. 28.

In hac de Dei iustitia disputatione Eliu prae aliis interlocutoribus excellit: 1° eam probat ex solidis et vere speculativis rationibus: ex creatione, gubernatione, conservatione rerum, ex Dei independentia et summa potentia cf. v. 13-15. 19. seq. 29. — 2° eius effectus salutares et beneficos assignat; Deum scil. ita administrare iustitiam, ut etiam hominum *saluti* consulat, non (prout illi volunt) ut solius meriti vel

1. Ita etiam *B.* qui scribit *minni h'jot,* infinitivum, qui molestissime omittatur, textui inserens.

demeriti rationem habeat (cf. v. 28 et v. 30 in hebr.). Proinde Eliu sermone ipsa iustitiae notio magis declaratur et illustratur; quare etsi Iobus illam non negaverit, tamen haec disceptatio nullo pacto a libri consilio exsulat, immo plane est necessaria, quia Iobus magis Dei potentiam extulit (cf. 9, 4. 19. 33; 12, 14; 13, 25; 16, 9; 19, 11) et saepius audacter professus sit, si ad normam iustitiae communis lis eius institueretur, se victorem fore, nec tamen a Deo sibi causam adiudicari (cf. 16, 21; 19, 6. 7; 23, 7; 27, 2). Unde Iobus quoque opportunitatem huius sermonis subministravit, sane meritus qui tali etiam admonitione corriperetur.

c) Iobum audacius esse locutum 34, 31-37.

Admonet Eliu, ut Iobus, si quid displiceat, rem corrigat. Ita textus *vulg.* v. 31 « *Quia ergo ego locutus sum ad Deum, te quoque non prohibebo* »; — *ad Deum* certe idem est atque *coram Deo, apud Deum* (cf. de hoc usu Prov. 30, 10. Sap. 8, 10); forte etiam *de Deo*, vel *ad Dei rem*[1] locutus sum; neque hoc enim plane alienum est ab usu latino. Quare loquendi spatium concedat, addit; non suam rem agit, sed Dei causam; unde solam veritatem expetit; v. 32 « *si erravi, tu doce me; si iniquitatem locutus sum, ultra non addam* »; — ostendens scil. se correctioni paratum, si contra veritatem iustitiae in particulari iudicio defecerit (*S. Thom.*). Etiam hoc *S. Greg.* vitio vertit loquenti : « in locutionibus suis hoc arrogantes viri habere inter alia proprium solent, quod ab auditoribus suis, ne quid fortasse inordinatum dixerint, tunc requirunt, cum se laudabiliter aliquid dixisse cognoscunt » etc. Id approbant *Pin. Cord.* Sed quare demum Eliu superbiae putidae et vanissimae gloriae captationis, quam adeo ridiculo modo expiscaretur, accusant?

Valde obscurus est v. sequens v. 33 « *numquid a te Deus expetit eam, quia displicuit tibi? tu enim coepisti loqui, et non ego, quod si quid nosti melius, loquere* »! — *eam* non potest referri nisi ad *iniquitatem* v. 32, alioquin mera figmenta essent proponenda. Ibi autem de *iniquitate in loquendo* est sermo; unde ita explico (cf. *Tir. Cord.*) : numquid Deus feret a te insolentiam tuam et arrogantiam in loquendo, propterea quia sors tua tibi displicuit? num ideo, quia habes animum exulceratum, Deus talem loquendi audaciam a te exspectat? Talia scil. tu protulisti; non ego tibi falso imputo. Si te excusare poteris, loquere! Igitur Eliu expostulationes Iobi exagitat : ego tacebo, si

1. Uti *S. Thom.* « ea quae ad Dei honorem spectant ».

quid male me dixisse probaveris (v, 32); num tu e contra censes, Deum quasi velle, ut tu iram tuam et excandescentiam proferas?

Variae sunt aliorum expositiones, inter quas mentione haud indigna est haec : an Deus a te consilium expetet in posterum, ad te referet, si quando poenas exigere voluerit (*Vav. j*; vel : num censes Deum te consulere debere, quid agat, ne tibi displiceat (cf. *Loch*).

Textus *vulg.* facile ex hebr. derivari potest ; legit enim et coniunxit S. Hier. v. 31 : « quia ad Deum sermonem levavi, non ligabo » (supplevit *te*, i. e. non prohibebo)[1] ; v. 32 ad literam : *praeter quod video, tu doce me* i. e. praeter ea quae video, tu doce me (cf. *Cod. Pin.)*, unde facile fluit : si erravi, tu doce me ; hebr. *si iniquitatem feci* de *locutione* interpretatus est et v. 33 a supplevit *Deus*. At cum in hebr. scriptum sit v. 31 הֲאֲמַר i. e. *he* interrogativum *an dixit ;* sensus alius exsurgit : *nam dixitne ad Deum : portavi, non abiicio : quae non video, tu doce me ; si iniquitatem feci, non addam ?* ratio scil. redditur, cur Deus abscondat faciem ab impiis, quia non dixerunt ad Deum : iugum tuum porto, nec abiiciam (cf. Lament. 3, 27. Is. 10, 27 pro tali usu verborum hebr. — *W. Hirz. Hitz.*). Alii ita : portavi poenas, non amplius perdite agam (cf. *Cod. Ros. Le Hir)*; vel : porto peccatum ita ut non male egerim (? *Zsch.*); vel : extuli caput (superbe egi), non male agam (*Del. P.*). Impii scil. impietatem agnoscere renuerunt ; Deo obedientiam praestare eique dociles esse noluerunt ; ideo ab ultore Deo percussi sunt. Sententia de se utique est vera ; sed tamen dubito, num h. l. apte ab Eliu proferatur, quippe qui Iobum talem impium non censeat. Aptior est sensus hic et ad Iobi sortem accommodatus : Deus utique etiam a Iobo abscondit faciem neque id mirum : nam cur (ita in genere loquitur, sed Iobum respicit) non dicitur ad Deum : extuli caput ; at iam non perverse id agam ; tu doce me, quae ego non video... i. e. Eliu Iobum docet, qua animi submissione et quo affectu ad Deum debeat confugere : debet scil. agnoscere arrogantiam eamque retractare ; *humiliter* dubii solutionem a Deo efflagitare ; *humiliter* se manui Dei subdere neque adeo de sua gloriari innocentia, sed vera animi contritione suspirare : *si iniquitatem feci, non addam.*

Porro Iobi cum Deo expostulationem reprehendit et exagitat ; v. 33 in hebr. *an ex te* (ex tua sententia) *rependet illud ?* i. e. num debet Deus hominibus sortes distribuere te antea consulto et tua sententia expetita ? *quia respuisti* i. e. divinam gubernationem vituperasti ; *quia tu eligis et non ego ?* i. e. num debet Deus propterea aliter res ordinare, quia *tibi* ita placet? sed cur non *ego*, cur non quivis alius idem postulet? vide, quam absonum sit, Dei gubernandi modum ad unius hominis beneplacitum restringere vel revocare (cf. *Cod. W. Zsch.)*; *et quae scis, loquere* i. e. si immerito te reprehendero, repone et ostende ! Alii : quia tu respuisti, debes nunc *tu* aliam gubernandi rationem proponere, non ego ; *tu* debes normas eligere et praescribere, quomodo mundus gubernandus sit, quia divinis non acquie-

1. Uti etiam *Sym.* ὅτι πρὸς Θεὸν ῥῆσιν ἀνέλαβον, οὐχ ἕξω ἀκωλύτως· σὺ διασάφησόν μοι cf. *Ol.*

scis; ego acquiesco ; quare meum non est novas rationes excogitare (cf. *Hirz. Del. Hitz.*). Sed minime placet. Nam illud « non ego » in tali ironia frigide adderetur ; neque haec ironia Iobum feriret, cum responsio eius prorsus sit facilis : nihil aliud volui quam ne Deus innocentem affligat ; haec itaque sit gubernandi ratio ; habes, quod a me postulas.

Postquam Iobum reprehendit et demum ex absurdis demonstravit, Deum esse iustum, suum de Iobo vituperium confirmat testimonio sapientium, quos omnes idem sentire debere asserit de modo loquendi Iobi; v. 34 « *viri intelligentes loquantur mihi et vir sapiens audiat me*; v. 35 *Iob autem stulte locutus est et verba illius non sonant disciplinam* »; — in hebr. *viri intelligentiae* (cordis) *dicent mihi et vir sapiens, qui me audit* : *Iob non in scientia loquitur et verba eius non in prudentia* ; est ad emphasin, quod sapientes inducit loquentes et Iobi verba condemnantes.

Quod si Iobus in arroganti illa animi habitudine adhuc versetur, exoptat, ut acrioribus etiam poenis excrucietur, donec animus durus mollescat ad humilitatem ; v. 36 « *Pater mi! probetur Iob usque ad finem* ; *ne desinas ab homine iniquitatis* »! — Deum obsecrat, ut caedat Iobum usque in finem vitae, si in culpa superbae expostulationis persistat (cf. v. 31 hebr.). Si versio esset genuina, hic unicus esset locus, quo in V. T. Deus simpliciter *Pater meus* ab *uno* appellaretur; vocatur quidem *Pater noster* Is. 63, 16; 64, 8; sed nihilominus haec *tam repentina et familiaris* compellatio [1] habet hoc loco nescio quid offensionis, idque ex eo confirmatur, quod versiones antiquae (excepto *S. Hier.*) hebr. אָבִי prorsus alia ratione vertant, non obvia illa *pater mi.*

LXX οὐ μὴν δῆ, ἀλλὰ μάθε, *vet. lat.* « immo vero disce »; *Chald.* « cupio ego »; *Syrus* « vere ». LXX et *Syrus* igitur אֲבָל legerunt, quare verisimillimum est, inde אבי esse scriptionem corruptam [2]. Alii explicant vel ut sit idem ac אֲבִי, interiectio doloris Prov. 23, 29, vel *desiderium meum* (scil. a verbo אָבָה fingunt substantivum — cf. W.) vel ex radice arabica (cf. *Del.*) *utinam, quaeso.* In altero membro *Hier.* legit אַל [3]; habetur in hebr. עַל : *propter responsiones* (quas protulit) *sicut viri iniqui*, et ita clare enuntiat, Iobum non in vita anteacta, sed audacioribus sermonibus peccasse. *Chald.* textui masor. suffragium fert, dum LXX et *Syrus* negationem exprimunt; illi et *vet. lat.* « noli iam respondere, sicut stulti »; hic « nec computatus est Iob »; sed textus masor. (probetur Iobus *propter responsiones*, quas pro-

1. 32, 22; 36, 3 Deum vocat *Factorem suum.*

2. ו et ל quandoque in scriptione inter se permutari, exemplis ostendit *Laur. Reinke* (Beitræge VII p. 69) et *Hitz.* ad h. l.

3. Et תשבת ut fut. 2. p. explicuit; sed post עַל debet esse substantivum; inde punctatio תְּשִׁבַּת.

tulit in modum impiorum) propter sensum adeo commodum, qui Eliu mentem in reprehendendo Iobo tam praeclare illustrat, omnino praeferendus est.

Cur Iobus sit poenis coercendus, porro declarat v. 37 « *quia addit super peccata sua blasphemiam, inter nos interim constringatur, et tunc ad iudicium provocet sermonibus suis Deum* » ; — i. e. nostrum omnium calculo et iudicio interim reprehendatur et puniatur, quia ultra peccatum (cf. 32, 12) adhuc delictum commisit, illa scil. quae Eliu nunc vituperavit (cf. 34, 5-9), audacius in Deum locutus. A nobis vero convictus, si libet, per me licet, provocet ad divinum tribunal ; hoc non sine ironia additur.

In hebr.[1] *quia addit super peccatum suum delictum ; inter nos complodit* (audacius et insolentius loquitur) *et multiplicat verba sua in Deum* (cf. *Mar. Malv. Le Hir*) ; potest etiam coniungi, uti iam LXX praeierunt : *quia addit super peccatum suum ; rebellionem inter nos crepat* (cf. *Hitz.*) ; ita scil. Iobi expostulationes et audaciores querelas vocat. Aliqui propter *peccata* textus vulg. Eliu accusant, quod, sicut alii, enormiter aberraverit et Iobum sceleribus oneraverit. Sed frustra. In hebr. adest *peccatum* ; dein 32, 3 ipse s. auctor declaravit, qua mente sit Eliu ; ergo de nullo alio peccato erit cogitandum, quam de illo, quod 33, 12 indicatur.

TERTIUS SERMO AB ELIU HABITUS. CAP. 35.

Arg. — Eliu regressus ad 34, 9 probat hominem, si virtuti vel sceleri operam det, non Deo, quippe qui sublimior sit, verum sibi ipsi aut commodum afferre aut damnum (34, 1-8). Quodsi aliqui in afflictionibus clamantes opem non inveniunt, causa reponenda est in iis ipsis, quippe qui cum submissione et fiducia ad Deum non recurrant, sed cum eo altercentur (35, 9-16).

Sermone altero (cap. 34) Eliu respondit ad Iobi verba 34, 5. 6 proposita et ostendit, Iobum in ipsa sua afflictione non se ab omni vituperio immunem servasse ; quare illa Iobi effata satis refutata sunt. Nunc progreditur ad tertium, quod 34, 9 proposuerat discutiendum, homini scil. prodesse vel obesse, quidquid fecerit. Apta monitio, si quidem Eliu ea removere studet, quae in Iobi sermonibus offensioni esse possent. Iobus enim saepius asseruerat, a Deo bonos affligi, parci malis, neque raro utrosque eadem sorte obvolvi. Pronum igitur erat concludere : perinde esse, utrum quis iustus sit vel improbus, eum aeque vel prosperis rebus uti vel adversis. Et ad haec respondet in parte priore. In altera utilem suggerit doctrinam, quomodo demum

1. *Hier.* legit וְסִפֵּק (cf. v. 26) et יָרִיב.

afflictiones sint subeundae; non esse indulgendum clamoribus et eiulationibus, non esse fiduciam, spem, animi submissionem abiiciendam, non esse querelas fundendas de divina providentia; quae si quis admiserit, quid mirum, si Deus illi opem non ferat? Etiam haec quam maxime ad rem dicuntur. Hisce enim Iobus admonetur, quaenam in ipso desiderentur et cur Deus postulationibus eius nondum acquieverit. Hisce apte *praeparatur* Iobus ad animi demissionem illam, qua demum dignus fit, cui Deus apparens causam adiudicet. Unde elucet, quam apte etiam hic sermo Eliu h. l. texatur, eumque nexu arctissimo ad antecedentem colligari eiusque argumentum idonea ratione promovere atque prosequi.

a. Hominem sibi ipsi, non Deo, prodesse vel obesse 35, 1-8.

Iobo nihil respondente (cf. 34, 33) Eliu denuo exorditur; v. 1 « *Igitur Eliu haec rursum locutus est* : v. 2 *numquid aequa tibi videtur tua cogitatio, ut diceres : iustior sum Deo* »? — hebr. *num hoc arbitraris iudicium* (i. e. rectum, causam aequam et iustam)? *dicis : iustitia mea* (est) *prae Deo;* cf. 16, 18 *haec passus sum absque iniquitate manus meae* et 19, 6 *non aequo iudicio me afflixit* et 23, 11. 12; 27, 2; 31, 37 etc., unde pronum erat concludere : innocentiam afflicti quasi dedecus quoddam inferre iustitiae affligentis. Bene *S. Thom.* ad *vulg.* verba *iustior sum Deo* notat : « hoc quidem nunquam Iob dixerat, sed Eliu ei imponit, quod verba quae protulit ex hac cogitatione provenirent ». Iam ipse accusationem generalem qua mente proferat et in quibus fundetur, declarat v. 3 in hebr. *quia dicis, quid prosit tibi; quid plus mihi utilitatis affert, quam peccatum meum?* primo indirecte ponit quaestionem : quid prosit tibi iustitia; dein directe : quid plus mihi commodi affert innocentia, iustitia, quam peccatum? aeque enim et bonos et malos affligi dixerat (9, 22) et sim. Ad eundem sensum exigenda sunt verba *vulg*[1] v. 3 « *dixisti enim : non tibi placet, quod rectum est; vel quid tibi proderit, si ego peccavero* »? — i. e. « neque ad te, o Deus, pertinet quod rectum faciam neque quod peccem; utrumque parum attendis, quod nihil emolumenti nihilque detrimenti ad te ex utraque re veniat » (*Cord. Pin.*). Verba quidem talia ad amussim Iobus non protulit, verum suis querelis nimium talia insinuasse videri poterat; unde recte reprobat ea Eliu. Durius, ut assolet, *S. Greg.* in Eliu invehitur : « si tota libri series attenditur, nihil horum beatus

1. De סָכַן cf. 34, 9; et videtur legisse תֹּעִיל pro אִ = quid proficies ex peccato meo; reliqua explicationis gratia addita sunt.

Iob dixisse monstratur. Sed arrogantes viri, sicut et superius diximus, habere hoc proprium solent, ut dum in nimia invectione prodeunt, etiam invehendo mentiantur; et cum non possunt reprehendere iuste quae sunt, reprehendunt mentiendo quae non sunt ».

Talia iam refutanda Eliu suscipit ; v. 4 « *itaque ego respondebo sermonibus tuis et amicis tuis tecum* » ; — « qui scil. talia dicentem convincere non potuerunt » (*S. Thom.*), sed ea silentio praeterierunt. Et respondet : utique Deo nihil noces, nihil prodes : nimis enim sublimis est ; verum *tua res* agitur. Unde v. 5 « *suspice coelum et intuere et contemplare aethera, quod altior te sit* » ; — est argumentum a minore : si coelum nos et nubes nostris actionibus neque novo splendore donare, neque eo quem habent privare possumus, quanto minus Deo vel aliquid tribuemus [1] vel detrahemus (*S. Thom. Pin. Vav.*)? Urget Eliu, Deum non propriae utilitatis causa virtutem exigere ab homine, neque ob suum detrimentum vel incommodum scelera persequi ; v. 6 « *si peccaveris, quid ei nocebis? et si multiplicatae fuerint iniquitates tuae, quid facies contra eum?* v. 7 *porro si iuste egeris, quid donabis ei? aut quid de manu tua accipiet* » ? — cf. Ps. 15, 2 *Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges* [2] et praeclare 1 Par. 29, 14. Deus enim seipso infinite est beatus, neque esset Deus, si creaturarum obsequio vel tantillum ipsi accederet, vel illarum rebellione tantillum felicitatis ei recederet. Verum ad iustitiae notionem complendam prorsus requiritur, ut opera bona et mala suum quaeque consequantur effectum, ut aliquid scil. efficiant ; quod cum in Deum cadere nullo modo possit, in ipsum hominem recidat oportet. Unde v. 8. « *homini, qui similis tui est, nocebit impietas tua, et filium hominis adiuvabit iustitia tua* » ; — i. e. sua cuique aut obsunt aut prosunt. Emphasis gratia secunda utitur persona Eliu, non quasi alteri homini nostra obesse vel prodesse dicere vellet, uti perperam aliqui verba distorquent (*Cord. Men.*). Homo enim, insinuare vult, damni felicitatisque est capax maioris ; unde in eum effectus operis recidet, non in Deum. Quare hominis naturam nervose effert. Simul consolatio Iobo promittitur, si innocens sustinet ; nam iustitia non potest praemio carere : *filio hominis iustitia tua* (hebr.).

b) Cur multi non audiantur 35, 9-16.

Sed tali doctrinae Iobus iam opposuit (24, 12) : cur Deus vim illatam

1. Absonum prorsus, quod hic aliqui in contemptum Eliu confingunt : tali argumento insignem prodi Eliu ignorantiam; concludi scil. ab eo Deum in coelo, ita ut neque terram neque universum compleat, neque cum hominibus sit (cf. *Phil. exp. in. Sanct. Cord.*).

2. Uti habent LXX et versio vulg. ; aliter in hebr.

saepe non ulciscatur. Respondet Eliu v. 9 « *Propter multitudinem calumniatorum clamabunt et eiulabunt propter vim brachii tyrannorum*; v. 10 *et non dixit*: *ubi est Deus qui fecit me, qui dedit carmina in nocte* » ; — i. e. non omnibus oppressis Deus auxilium fert, quia, dum vociferantur et de violentia oppressorum acerbe conqueruntur, tamen ad Deum creatorem suum, qui illorum curam gerit, non confugiunt; non ab eo, qui noctem miseriae in laetitiam et cantica gaudii mutat, opem efflagitant (cf. *S. Greg. Est. Mar. Men. W.*). In *vulg. calumniator* etc. saepe idem est atque *oppressor* — opprimere עָשַׁק saepe *calumniari* vertitur in vulg. — v. 10 *et non dixit* scil. quivis eorum ; vel, uti saepius, 3 pers. mas. adhibetur pro dictione generali *dicitur* (*man sagt*). In hebr. *prae multitudine oppressionum edunt clamores*. Bene Cord. : « quorum hominum absurdissimum esse consilium duobus argumentis breviter ostendit : quoniam a quo potius deberent conservationem et liberationem sperare, quam ab eo, a quo facti sunt? nam qui praestitit eis, ut essent, multo melius factos servaret, si eius clementiam implorarent; tum etiam ratione potentiae eius, qui in mediis calamitatibus afflictos exhilarat [1] ».

Aliam affert rationem, cur ad Deum sit confugiendum et quantopere id hominem deceat; v. 11 « *qui docet nos super iumenta terrae et super volucres coeli erudit nos* » : — i. e. homo non debet in afflictionibus solum clamoribus et eiulatibus indulgere, uti animalia bruta faciunt, sed utpote ratione praeditus et a Deo edoctus ostendat oportet se hisce uti ; proinde alio prorsus modo se habere debet i. e. pio animo ad Deum confugere. Ita Eliu Iobi clamores et eiulatus perstringit eosque, si solum doloris levandi causa sine piis ad Deum precibus funduntur, homine indignos esse censet (cf. 7, 11 ; 10, 1 ; 13, 13 ; *loquar quodcumque mihi mens suggesserit — loquar in amaritudine — non parcam ori meo etc.*).

Bene S. Hier. מִן *super* sensu comparativo explicuit, ita *Aq.* quoque σοφίζει ἡμᾶς ὑπὲρ τὰ... et *Sym.* διδάσκων ἡμᾶς ὑπὲρ τὰ κτήνη τῆς γῆς (male *Del.* : *qui nos docet per iumenta*) ; neque id sine acerbitate Iobo dicitur, qui ipse amicos, ut a bestiis discant, hortatus est (12, 7). Sensum bene exprimunt LXX et *vet. lat.* : « qui separat me a quadrupedibus terrae » i. e. alio nos ordine et tramite constituit; proinde aliter nos habere debemus in doloribus atque illa.

Aliam reddit rationem, cur frustra clament v. 12 « *ibi clamabunt et non exaudiet propter superbiam malorum* » : — *ibi* v. 9, in multitudine

1. Alii explicant de stellis lucentibus in nocte, quibus homines ad laudes divinas excitentur (cf. *Sa, Malv.*), vel de nocturnis revelationibus etc.; parum apte.

oppressionum ; ratio est, quia qui clamant, *superbi* sunt, insolescunt, querelis turgent, arrogantia evehuntur, et ita *mali* (cf. *Cod. W. Hirz. Zsch.*). Alii traiectione quadam *propter sup. m.* referunt ad membrum prius (cf. *Pin. Cord. Malv. Men. Tir. Vav. Del. Le Hir*) i. e. clamant malis adacti, non ex amore Dei vel pietate; ideo non audiuntur. Sed cur traiectio? cur ratio reddi censenda est, ob quam clament? quae ratio iam descripta est v. 9. E contra, dum dicit Eliu eos non audiri, sua sponte ratio exspectatur, cur non opem inveniant ; neque mirum, si *mali* dicuntur. Nam ex v. 10 et 11 merito mali vocantur, qui Deum adeo clare eos invitantem negligunt. *Superbiam* in Iobo quoque et nimiam quandam gloriationem Eliu perstringere vult. Unde concludit v. 13 « *non ergo frustra audiet Deus et Omnipotens causas singulorum intuebitur* » ; — hebr. *verum iniquitatem non audit Deus et Omnipotens non respicit* i. e. clamores inanes, iniquos neque exaudit neque ad illos animum advertit ; unde illud *frustra non audiet* explicari debet: vanas et inanes preces (cf. *Mar. Tir. Malv. III.*). Consentiunt LXX et *vet. lat.* : « vana ἄτοπα vult Deus non videre » ; similiter *Chald.*

Alii magis ad latinam vocem : *non sine ratione* audit i. e. non fit sine causa, si audit; quos exaudit et liberat, non ex mero arbitrio sospites reddit, sed animis illorum mentibusque diligenter inspectis ; vel : *non sine effectu* audit; non est proin verum, Deum non curare hominum res (cf. *Vav.*), sed singulorum causas bene expendit (cf. *Cord.*). *W.* vertit: « scelus est dicere : Deus non audit... » at nemo veterum ita coniunxit, sed שָׁוְא vel ut obiectum (LXX, *Chald.*) vel ut adverbium (*Syrus, S. Hier.*) ad *audit* expresserunt.

Dixerat Eliu inanes et pietate destitutos clamores non audiri a Deo, sed res singulorum expendi (secundum *vulg.*) ; iam addit v. 14 « *etiam cum dixeris : non considerat, iudicare coram illo et exspecta eum* » ; — i. e. etsi tibi videatur Deus res hominum et iustas eorum querelas non attendere, tamen ipsi causam tuam committe, ad ipsum refer res tuas et spera in illum ; *iudicare* i. e. iudica te in conspectu eius (*Malv.*) vel illum tamquam iudicem habere desidera (*Men.*), illi res tuas propone (cf. *Pin. Cord.*), sed esto simul longanimis et patiens; *spera, exspecta* i. e. non opus est, ut Deus statim opem ferat ; oportet tamen fiducia et spe roborari et ita opem Dei praestolari. Partes hominis pii et afflicti egregie delineat Eliu et simul ad Iobi querelas 23, 8-10 respondet. Idem in hebr. *etiam si dicis : non cernis eum* (vel = non cernitur, scil. opem ferens), *iudicium* (causa, lis est) *coram ipso et exspecta eum* i. e. suo tempore iudicabit et litem iuste dirimet; etsi nunc causam differre videtur, tamen ad eius tribunal iam est proposita.

Neque enim opus est, ut Deus *statim* impium puniat ; num, si

poenam differt, censendus est scelus non scire neque vindicare? Minime sane ; ita optime adiungitur v. 15 in hebr. : *et nunc, cum ira eius non poenas infert, petulantiam*[1] *omnino ignorat?* i. e. quis ex poena dilata vel ex brevi illa scelestorum impunitate talia inferre audebit? Ad eundem sensum revocari debet textus *vulg.* v. 15 « *nunc enim non infert furorem suum, nec ulciscitur scelus valde* » ; — i. e. ad versum antecedentem: *exspecta* Deum; neque enim *statim nunc* opus est, ut ulciscatur ; habet, cur differat; neque tamen omnino negligit (cf. *Pin. Cord.*), attamen *furorem*, gravissimam poenam, ultionem summam (*valde*) non statim infligit. Ita respondet Eliu ad Iobi querelam 24, 12 (hebr.). Vel si non punit, non est concludendum: non infert iram (cf. *W. Zsch.*). Cum igitur talis sit Dei providentissimi agendi modus, concludit Iobi querelas esse inaniter et absque debita rerum divinarum scientia prolatas; v. 16 « *ergo Iob frustra aperit os suum et absque scientia verba multiplicat* » ; — *os dilatat* ut clamores inconditos perstringat Iobique audaciam vituperet; יַכְבֵּר verba multa eaque molesta et onerosa dicit, quibus Iobus contra Deum conquestus sit.

Sunt qui v. 15 ut protasin arcte ad v. 16 ut apodosin adiungant: at nunc cum parum animadvertat ira eius ignoretque peccatorum multitudinem (— ita enim rabbini ex chaldaico פֻּשׁ explicant — cf. *Malv. I. Cod. Ros.),* Iobus temere aperit os suum; at cum Eliu in hac parte brevibus incisis uti solet, quae omnino conformata sunt ad animi commotionem et indignationem, tam longa periodus a reliqua oratione nimis distat et praesertim in fine sermonis vehementiae affectuum non est accommodata.

QUARTUS SERMO AB ELIU HABITUS. CAP. 36. 37.

Arg. — Prooemio praemisso de rei quam tractaturus est gravitate, denuo inculcat Deum agere provide, a scelestis poenas exigere, iustis autem gloriam tribuere (36, 1-7). Tribulationibus etiam impios erudire studet — bene cum iis agitur, si resipiscant! — et innocentes salutariter servat et docet (36, 8-15). Unde spes pro Iobo; quare viam delineat, qua possit e malis emergere, describens, qua animi compositione debeat aerumnas tolerare (36, 16-21). Ad quam animi dispositionem et humilem submissionem ut eum inducat, incipit Dei maiestatem ac sublimitatem multis commendare, quae inter alia pluviis, nubibus, tempestatibus praeclare cernitur (36, 22-33). Dum Eliu talia

1. ἅπαξ λεγ. פֻּשׁ LXX et *Hier.* = פֶּשַׁע, Syrus נְפַשׁ vertit; communiter explicant ex arabico : *stultitia, arrogantia* (cf. *W. Hirz. Del. Le Hir*), stutitiam *Malv.* V.

monet, iam turbo ille incipit ingruere, in quo postmodum Deus apparet: auditur scil. tonitru, fulgur micat; quare Eliu tale potentiae divinae documentum effert, eiusque et nivis et imbrium et frigoris munus et utilitatem describit, in quibus omnibus Dei maiestas relucet (37, 1-13). Haec ut Iobus attenta mente consideret, monet; et quo efficacius divinam celsitudinem, cui humilis submissio debeatur, Iobi animo imprimat, eum ironicis interrogationibus de rerum natura et mundi dispositione exagitat, quo Deo eiusque operibus prorsus imparem se esse agnoscat eique se humiliter subdat (37, 14-24).

Ultima haec descriptio divinae celsitudinis magnificentissima est et prorsus apta, qua animus maxima Dei reverentia et summa sui ipsius vilitate imbuatur. Ad quem sensum mirifice valent interrogationes illae ab Eliu propositae. Quam praeclare haec ab Eliu fiant et quantopere ad Iobi animum excolendum apta sint, inde quam maxime ostenditur, quia *Deus* apparens (cap. 38) *seriem ab Eliu inceptam omnino prosequitur* idemque arguendi genus multis promovet. Hoc unum satis esse debet, ut quo ordine et quo valore Eliu oratio consistat, luce clarius pateat. Ita Iobus ad humilem illam sui agnitionem adducitur, cui palma a Domino attribuitur. Sed haec extrema sunt. Iam in priore orationis parte Eliu praeclara tradit documenta. Accuratius enim delineat, quomodo Deus in afflictionibus verum creaturarum bonum spectet; qua re notio illa angusta trium interlocutorum de divina iustitia corrigitur et Iobi inquisitioni de arcanis sapientiae divinae consiliis satisfit. Deinde cum describat, quomodo Iobus aerumnas suscipere debeat, simul docet, quae in Iobo ad summae virtutis laudem desiderentur, eiusque animam ad divinam manifestationem praeparat. Ita demum ex Eliu disceptatione et vera divinae administrationis notio elucet et viri perfecti imago omni detracta umbra omnique pulvere absterso absolvitur et splendescit. — Quare haec quoque Eliu oratio ad duplicem scopum, quem s. auctorem prosequi in Eliu persona supra diximus, facta est et nata.

a) Deum agere provide 36, 1-7.

Eliu longiori sermoni prooemium praemittit, quo mentes ad novam quandam audiendi alacritatem excitet. Quare rem gravissimam et maximam se dicturum profitetur; v. 1 « *Addens quoque Eliu haec locutus est* : v. 2 *sustine me paululum et indicabo tibi, adhuc enim habeo quod pro Deo loquar* »; — hebr. *adhuc pro Deo verba*. Sermo Eliu aramaismis est tinctus[1]. S. auctor eum ipso sermonis

1. Ita כִּתֵּר, זְעֵיר; חִוָּה cf. 32, 6, 10. indicare, *docere*.

colore ab aliorum familia et genere alienum describit, sicut et rerum divinarum scientia ab iis alienus est. Consulto id fieri, quis dubitet? uti consulto *iunior* inducitur. Divina enim revelatio neque certae aetati neque uni familiae seu stirpi adstringitur, sed spiritus spirat, ubi vult. Unde putidi sunt viri illi critici, qui propter colorem sermonum Eliu eos auctori reliqui libri abiudicandos esse velint.

Promittit, se profundam et alte petitam doctrinam traditurum v. 3 « *repetam scientiam meam a principio et operatorem meum probabo iustum* »; — hebr. *a longinquo* i. e. paulo altius repetam, ex remotioribus, sed necessariis principiis pervincam atque ex ipsis naturae et creationis operibus probabo, nihil a Deo sine summa aequitate atque ratione constitui (*Pin.*, sim. *Mar. Men. Le Hir*); idem fere *Del. Zsch.* ex amplissimo scil. naturae et rerum gestarum penu. *W.* ad longe remotum scil. ad Deum elevabo scientiam meam — sed coactius, neque haec Dei appellatio est in usu posita; hebr. *et factori meo tribuam iustitiam*, i. e. eius iustitiam omni ex parte vindicabo ab omni accusationis umbra, quam Iobus ei obvolvit.

Dein sollemniter testatur, se sincere et veraciter loqui et non docere nisi vera; v. 4 « *vere enim absque mendacio sermones mei et perfecta scientia probabitur tibi* »; — hebr. *perfectus scientiis tecum*, scil. loquitur, is scil. qui integer est et quae vera cognoscit vere loquitur. Apte de rei gravitate, de sua sinceritate et rerum scientia praefatur, quae tria ad animorum attentionem maxime valent.

Mirum est, quot verborum aculeis *S.* [*Greg.* etiam hoc prooemium exagitet accusans Eliu arrogantiae, superbiae (se magis ostendere studet quam Dei facta praedicare), loquacitatis, simulationis (dum praetendat pro Deo loqui, ut arrogantiam suam aliquo velamine palliet) etc. Approbat id *Cord.*, melius vidit *Phil.* : « in hoc quarto sermone de singulari iustitia Domini profundum nimium et copioso sermone prosequitur, ubi multa arcana in obscuro sacramentorum recondita et longe remota mysteria dicere videtur ». Bene etiam *Pin.* : « si unquam eloquens visus est Eliu, nunc seipso eloquentior et sapientior est ». « Scientiae celsitudinem » ei etiam *S. Greg.* concedit, qui miratur, quod « postquam inflatas animi cogitationes per verba elationis exhalavit », nunc vera et sublimia subdit.

Et primo quidem Deum celsissimum, potentissimum praedicat, qui non dedignatur rerum humanarum curam agere. Ita in hebr. v. 5 *en, Deus est potens, et non repudiat potens virtute cordis* i. e. neminem despicit, negligit, abiicit — ita refutat verba Iobi (10, 3 etc.), qui agnita divina potentia acriter conquestus est, se non admitti a Deo ad ius suum prosequendum, Deum non inveniri ab ipso (23, 8) etc. Effert hanc divinam benignitatem ex eo, quod Deus potens sit virtute intelligentiae et voluntatis, *cordis*, quod totius vitae intellec-

tualis centrum et sedem dicit. Textui hebr. etiam *Chald.* et *Syrus* suffragium ferunt et certe optime ab hac sententia Eliu orditur. Obscurius est quod expressit[1] *S. Hier.* v. 5 « *Deus potentes non abiicit, cum et ipse sit potens* »; — i. e. ex invidia vel quasi sibi metuat ab ipsis, potentes non abiicit, sed punit in potentibus impietatem (cf. *Est. Cord. Pin.*).

Iam explicat duplici ratione, quomodo Deus non repudiet vel negligat res humanas v. 6 « *sed non salvat impios et iudicium pauperibus tribuit* »; — hebr. *non vivere* (florere) *sinit impium*; i. e. impius poenam non effugiet; afflictis vero causam adiudicabit. Hos afflictos esse iustos iniuste oppressos et usus vocis עֲנִיִּים suadet et v. sequens ostendit. Describit enim, in quantum Deus honori et prosperitati iustorum, qui vi opprimuntur, consulturus sit v. 7 « *non aufert a iusto oculos suos et reges in solio collocat in perpetuum et illi eriguntur* »; — clare in hebr. *et cum regibus in solio eos collocat*. A iustis oculos non avertit, i. e. tenera cura et assidua vigilantia eos custodit, oculi eius sunt super iustum — hac sententia iam multae Iobi querelae excluduntur, quasi Deus ipsi factus sit inimicus, versus sit in crudelem etc. Iobus, ait Eliu, innocentiae sibi conscius non debuit ita loqui, non debuit insinuare, quasi Deus unquam iustum odio haberet. Praeclara verborum Iobi correctio! Immo Deus iustos afflictos saepe ultra omnem exspectationem exaltat; occurrit hic exemplum Ioseph, qui e carcere revera ad solium est ad diuturnam felicitatem evectus. Ita Eliu solatur Iobum afflictum. Quantum Eliu doctrina distat a sententia aliorum? Illi non agnoscere volunt nisi impios afflictos; ipse Iobus ignorare videtur etiam iustum aerumnis subiici; Eliu aperte et palam profitetur, iustos affligi, immo secundum divinam providentiam ex aerumnarum profunditate eos evehi ad sublimem dignitatem; illos aerumnis quasi praeparari, quibus summa et perennis dignitas tuto credatur. Ad huius rei illustrissimum exemplar alludit ad sortem eius, qui iniuste accusatus, diu in carcere conclusus, ab ingratis hominibus neglectus certe afflicto iusto solatio et doctrinae esse debet (cf. Gen. cap. 39-42). Hanc de calamitatibus doctrinam bene amplificat, dum in subsequentibus ipsos impios iis a Deo eruditi docet. Tantum igitur Eliu ab arcta interlocutorum sententia abest et tantum luminis et profectus affert disputationibus antea habitis! Mirandus etiam hoc capite virorum criticorum stupor, qui Eliu orationes a libro Iob abesse debere serio affirmant.

---

1. An pro ו legit ן = כבירין?

b) Deum ope tribulationum homines erudire 36, 8-15.

Iam quo facilius persuadeat, Deum non auferre ab iusto oculos, Dei agendi rationem in immittendis calamitatibus describit; v. 8 « *Et si fuerint in catenis et vinciantur funibus paupertatis*, v. 9 *indicabit eis opera eorum et scelera eorum, quia violenti erant* » ; — distinctius in hebr. *et si vincti in catenis adstringuntur in funibus miseriae, indicabit eis opus eorum, et scelera eorum, quia insolentes erant;* non esse de iustis sermo (id quod *W. Del. Zsch. Hitz.* volunt), patet ex v. 9 et ex *sceleribus* et *arroganti superbia*, de quibus ope miseriae edocentur; ergo impios ob oculos habet, hosque ait funibus miseriae adstrictos ad sui ipsorum suorumque criminum agnitionem adduci et praeprimis superbiae admoneri (cf. *Pin. Cord. Sa, Men.*), quare *Chald.* bene v. 8 *impii* textui addit. Hanc vero eruditionem porro exponit v. 10 « *revelabit quoque aurem eorum ut corripiat, et loquetur ut revertantur ab iniquitate* » ; — hebr. *et aperiet aurem eorum disciplinae* i. e. aurem quasi tectam et occlusam reteget, ut percipiant; proinde intellectum, conscientiam illustrat, voluntatem impellit, ut velint amplecti *disciplinam* i. e. timorem Dei, vitam morigeram et Dei mandatis et verae sapientiae inhaerentem (cf. Prov. 1, 8. 29 ; 3, 11 seq. 4, 13; 5, 12 ; 15, 33 etc.), eosque efficaciter adhortatur, ut revertantur a malo. Talis igitur infortunii est fructus; bene *Cord.* : « pingit hic Eliu officium divinae bonitatis, quae impios inspirationibus instruit, emollit, terret, allicit... suppliciis purgat et recludit aures, ad quas cum vitiis tum perversa doctrina obstructus erat aditus verae disciplinae. Cuius rei multa in libro Iudicum exempla exstant, quo saepe narrantur filii Israel abducti, a Deo miseriis et aerumnis fuisse revocati ». Quantum haec Eliu doctrina praecellit illi interlocutorum, qui unice *vindicem* Deum[1] agnoscunt! Deus punit impios, ut ad salutem adducat; quare bene cum iis agitur, si obsecundent; v. 11 « *si audierint et observaverint, complebunt dies suos in bono et annos suos in gloria* » ; — lege hebr. *et servierint*[2]... scil. Deo, doctrinam opere compleverint et *annos in deliciis*; e contra v. 12 « *si autem non audierint, transibunt per gladium et consumentur in stultitia* » ; — i. e. ruunt in telum (cf. hebr. 33, 18) et exspirant in insipientia, in suis peccatis, quae eodem modo *stultitia*, mendacium dicuntur, quo virtus *sapientia*, veritas. Et certe, si quis peccati naturam, indolem, effectus, malitiam considerat, quae

1. Eliphaz 5, 17 idem quidem tangit, at adeo furtim, ut nullum in eo ponat momentum.
2. Id verbum *B.* eiicit; at prostat apud *Chald. Syrum*, LXX, *Theod.* et *S. Hier.*, neque ad meram glossam necessario ablegatur, si *emphasis* consideratur.

maior *stultitia* ab homine committi potest, qui Dei creatoris et iudicis memoriam et fidem non plane abiecerit?

Cur demum obstinati illi in miseriis pereant, declarat v. 13 « *simulatores et callidi provocant iram Dei, neque clamabunt, cum vincti fuerint* ; v. 14 *morietur in tempestate anima eorum et vita eorum inter effeminatos* » ; — notatu dignum, quantopere Eliu primo loco *fines medicinales* poenarum efferat ; qui si culpa impiorum effectu frustrentur, tum demum vindicta et poena sontem ruinae obiici inculcat. In hebr. *impii corde iram concipiunt, neque clamant* (ad Deum), *si eos vinxerit ; morietur in iuventute* [1] (in vitae vigore) *anima eorum et vita eorum aeque ac effeminati* (pereunt cum opprobrio et morte turpi atque immatura) i. e. aerumnis ad furorem contra Deum stimulantur, neque Deum supplices adeunt ; quare demum, qui poenis corrigi nolunt, turpiter intereunt cum omnium contemptu. קְדֵשִׁים scorta sunt mascula, sceleri atque libidini devota in honorem numinum impurissimorum Phoenicum Syrorumque Baal v. g. et Astartes (cf. Deut. 23, 18. 3 Reg. 14, 24 ; 15, 12 ; 22, 47), cinaedi (cf. *Pin.*).

Quodsi Deus tales fines prosequitur in impiis affligendis, num dici poterit minus benignus et benevolus in pios? Minime ; argumentum est a fortiori et potiori ; v. 15 « *eripiet de angustia sua pauperem et revelabit in tribulatione aurem eius* [2] » ; — ipso verborum sono cognato (חַלֵּץ liberare, לָחַץ angustia) nexum, qui adsit inter aerumnas et maius emolumentum, exprimere voluit s. auctor ; insuper verte hebr. בְּ *per* (Beth instrumentale) : *liberat pium afflictum per aerumnam et aperit aurem eius per oppressionem* (cf. *W. Hirz. Del. Hitz. Zsch. P. Le Hir*) ; quare in textu hebr. aperte dicit Eliu ope tribulationum salutem, divinam eruditionem suscipi (cf. 33, 17. 18. 30).

c) Quo animo igitur calamitates subire oporteat 36, 16-21.

Quae cum sit benevola Dei agendi ratio, certe Iobus innocens magnam maioris emolumenti spem concipiat oportet. Quare Eliu nunc totus in eo est, ut Iobi animum, ea doctrina institutum, a pristina illa acerbitate emolliat et ad eos sensus traducat, quibus par fiat maiori illi bono accipiendo. Bene incipit ostendere, Deum beneficum

---

1. *S. Hier.* נַעַר vertit h. l. ex etymologia τοῦ נָעַר *excutere* cf. 33, 25 — in Ps. 87, 16 eadem vox rite *iuventus* transfertur. LXX et *vet. lat.* « moriatur in iuventute anima eorum ». Coniicit *Mar.* forte in textu lat. *intempestive* esse legendum.

2. עָנִי ille est, qui pie sustinet ; iustus, qui opprimitur ; quare a LXX quandoque πραΰς ; *mitis, mansuetus* redditur.

illas calamitates in bonum Iobi immisisse, quibus ad maiora bona promoveatur; v. 16 « *Igitur salvabit te de ore angusto latissime et non habente fundamentum subter se; requies autem mensae tuae erit plena pinguedine* » ; — i. e. de faucibus angustiae, quibus iam quasi devoratus es; istud barathrum ingentis quasi profunditatis non habet fundum, quo consistere possis, sed per te solum penitus demergereris (cf. *Men. Tir. Cord.*); sedebis ad mensam placida quiete bonis omnibus abundantem; ita maiorem Dei favorem, quem obtenturus est, *imagine* vitae placidae et bonis iucundae depingit. Hebr. ita : *et te quoque avertit* (cf. 2 Chron. 18, 31) *ex ore angustiae in amplum spatium* [1] *et non est coarctatio sub eo* (i. e. ubi iam non est coarctatio) *et descensus mensae tuae* (id quod in mensam tuam coelitus descendit) *est plenus pinguedine* (cf. *Malv. Mar. Cod. W.*), cf. educere in latitudinem, alicui dilatare (Ps. 4, 2 ; 17, 20. 37; 117, 5 ; 118, 45), mensam parare Ps. 22, 5.

Iam monet, ne gratiam hanc a Deo oblatam acerbitate sua et moribus trucibus repudiet; quare leviter minas insinuat; ita v. 17 ex hebr. *sententia impii impleris? sententia et iudicium cohaerebunt* i. e. si te impleveris sententia illa, qua impii afflicti de Deo iudicant, tunc haec sententia necessario attrahet iudicium Dei condemnatorium, illud scil. quod impios manere dictum est (v. 12-14). Ita iuremerito *W. Del. Hirz. Hitz. Zsch. P. Le Hir* (et partim iam *Mar. Cod. Malv.* I. III.), sed ita, ut in priore membro אם *si* suppleant. In eundem sensum accipiendus est *vulg.* textus v. 17 « *causa tua quasi impii iudicata est, causam iudiciumque recipies* » ; — *Pin.* : « ille videtur simplex et germanus explicatus, ut dicat Eliu Iobum sic suam causam apud Deum egisse atque dixisse, ut impii solent, complendo aures iudicis iniquis querimoniis, impatientia accepti supplicii, criminatione divinae providentiae »; ita quidem sententia est nimis dura in Iobum; at erit temperanda ex hebr., ut explicemus vel *interrogative* vel *conditionate* : si de causa tua quasi impius sentis et contra Deum insurgis, secundum tui oris sententiam Deus te iudicabit.

Hunc animi exulcerati sensum, quem nonnunquam prae se tulit Iobus, ut deponat, graviter hortatur v. 18 in hebr. *nam ne ira te avertat* (ne te incitet) *ad complosionem* (i. e. illusionem, ut scil. Deo insultes) *et multitudo pretii* (propitiationis et redemptionis) *ne te deprimat* i. e. Deus vult te *avertere* ex faucibus angustiae; sed cave, ne ex tua parte ira et impatientia tua te *avertat* ad iniurias Deo audacioribus clamoribus irrogandas; dein consolationis causa addit : magnum

1. *B.* scribi vult *lirevacha*.

utique est pretium quod solvere debes; aerumnae tuae, quibus ad meliora te Deus promovere vult (cf. 33, 17. 18. 30; 36, 15. 16), maximae sane sunt; at macte animo: ne animo cadas; ne haec magnitudo te in errorem abducat; quo maius est pretium, eo pretiosior erit res, quam lucraturus est (cf. *W. Del. Zsch. P.*). Hic sensus et a verbis offertur et ad Eliu doctrinam aptissimus est, neque minus ad contextum: minis ostensis (v. 17) nunc cohortationem addit, docens, quid vitare Iobus debeat; simul ipso loquendi modo concedens Iobum gravissima pati, commiserationis affectum patefacit Iobumque erigit magno illo bono proposito, quod emi possit tribulationibus [1].

Textus hebr. etiam facem praeferre debet versioni *vulg*. v. 18 « *non te ergo superet ira, ut aliquem opprimas; nec multitudo donorum inclinet te* »; — i. e. ne cedas affectui indignationis, ita ut furas contra alium (Deum) et in convicia prorumpas; vel forte melius: ne ita irascaris, ut *aliquem* (indefinite dictum est, sed subintellige *teipsum* [2]) ad exitium adducas; neque multitudo donorum, quibus bona illa ex aerumnis oritura tibi emere debes, te deiiciat; ne censeas tuum λύτρον quod solvere debes esse nimis grave ac molestum!

Ei admonitioni affinis est haec: v. 19 in hebr. *num constituet* (te) *clamor tuus absque tribulatione et omnes conatus roboris?* i. e. num clamores, quos omni conatu edis, putas tibi salutem et liberationem afferre posse? [3]. Ad eundem sensum facile accommodatur *vulg*. v. 19 « *depone magnitudinem tuam absque tribulatione et omnes robustos fortitudine* »; — i. e. depone tumorem, insolentiam, fastum; animi affectus truces compesce, ita ut ad illos comprimendos non ulteriore et maiore tribulatione sis adigendus; vel « antequam novis a Deo afflictionibus vel invitus humilietur et in ordinem redigatur » (*Cord. Men. Tir. Pin.*), et ad alterum membrum iam scribit *Phil.*: « omnes motus depone fortitudine superbiae roboratos », et consentit *Pin.*

Aliorum explicationes alii acceptioni vocis שׁוּעַ et בָּצַר innituntur; illam enim explicant vel *salutem, prosperitatem* (*W.* — at gratuito prorsus assu-

---

1. Quod alii volunt: non effugies flagellum ullis datis muneribus, sacrificiis opimis — ne te sinas decipere multis tuis opibus, quibus redimas Dei iram — (cf. *Mar. Malv.* II. *Cod. Hirz. Hitz. Le Hir*) neque ad contextum, neque ad Iobi conditionem congruum est, utpote qui sit fortunis omnibus spoliatus.

2. Et revera scholion antiquum legitur adscriptum ad aliquem *temetipsum*; cf. *S. Hier.* div. bibl. Migne t. 28 c. 1115.

3. Ita שׁוּעַ *clamor* cf. 30, 24 (hebr.) a שָׁוַע clamare 35, 9. 13 et al.), ut sit idem ac שֶׁוַע Ps. 5, 3 et vox usitatior שַׁוְעָה (cf. *Fürst* L. *Del. Zsch. P.*) et ita iam *Chald.* intellexit; לֹא בָצַר ipsa punctatione monetur צַר *angustia* esse intelligendum; et de phrasi cf. 4, 21; 34, 20 (hebr.).

mit vocem adhiberi pro יִשְׁוַע) vel *opes*, *divitias* (cf. 34, 19); haec vero = בְּצָר explanari debere vel posse opinantur, unde vertunt : num sufficient opes tuae? non aurum neque omnes facultates divitiarum (cf. *Hitz.*), vel : num aestimabit opes tuas? etc. (cf. *Mar. Cod. Malv. Hitz. Le Hir*). Sed haec explanatio corruat necesse est cum illa, quam ad v. 18 reiecimus Et certe, perquam absurdum est Eliu ita loqui ad Iobum bonis cunctis spoliatum.

Ex hac adhortatione consequitur alia : ne scil. impotenti desiderio ita anhelet ad noctem mortis et ad umbram inferorum (cf. 3, 11 et seq. 20; 10, 18; 17, 15); v. 20 in hebr. *ne appetas noctem* (ne anheles noctem), *quae aufert populos e sede sua* (cf. *Mar. Cod. Hirz. Del. P.*) [1]. Textus hebr. est satis obscurus, sed iam fulcitur versione LXX τοῦ ἀναβῆναι λαοὺς ἀντ' αὐτῶν, *Theod. Sym.* (ἐπαναβῆναι λαοὺς ἐπὶ τόπους αὐτῶν) et versione *S. Hier.* v. 20 « *ne protrahas noctem, ut ascendant populi pro eis* »; — versus est mire vexatus et in omnem partem versatus (cf. *Pin.*, qui recenset tres expositiones « minus idoneas », duas alias « non omnino simplices », duas « non valde cohaerentes »); falsa est certa expositio illa, quam voces latinae aliquibus imposuerunt « ne velis nimis dormire » (*S. Thom.*) ; nam somnolentiae periculum certe aberat a Iobo diris doloribus cruciato ; insuper cf. 7, 3. 14. Unde etiam h. l. valet, quod saepe iam advertere licuit : ut versio latina *rite* intelligatur, e textu originali, unde desumpta est, aestimanda est; quare explicamus : ne noctem illam desiderio tibi quasi attrahas, ne noctem appetas, ad quam ingrediuntur populi successione non interrupta (populi pro populis = Volk um Volk? vel pro se quisque?). Concludit, ne perseveret in tali animi exacerbati dispositione; v. 21 « *cave ne declines ad iniquitatem; hanc enim coepisti sequi post miseriam* » ; — i. e. *a miseria* (hebr.) i. e. a tempore miseriae, ex quo es in afflictione, audacia quadam et insolentia peccasti (cf. 33, 8. 12 ; 34, 5 et seq. 37) [2].

Eliu igitur Iobum graviter adhortatur, ut ab animo amarulento quem conceperat, recedat, ut consilio Dei qui bona ex afflictione intendit, considerato cum spe ac fiducia divinae providentiae acquiescat.

---

1. Concipiunt scil. לַעֲלוֹת infin. hiphil per syncopen eodem significatu quo Ps. 102, 25 ; alii : ubi populi abeunt sub se i. e. in locum suum (*Malv.*); ubi populi succedunt in locum aliorum (? *W.*); ubi populi tolluntur e loco suo (*Zsch.*); ne desideres illuc ascendere, sub quo populi sunt (*Hitz.* — id satis obscurum, neque ad verba accommodatum).

2. Bene igitur S. Hier. מִן h. l. *post* vertit, cum saepissime haec particula de tempore usurpetur, *ex quo* aliquid fiat; nam quod alii vertunt : iniquitatem elegisti *prae* miseria i. e. magis amas iniquitatem quam afflictionem (cf. *W. Hirz.*), languidum est neque ad rem; si sensum comparativum omnino retinere volueris, verte *prae submissione* vel *prae humilitate* (cf. *Del. Zsch. Hitz. P.*), quae significatio utique ab עֹנִי non abest.

Hac monitione s. auctor dura illa, quae in Iobi verbis nonnunquam inesse videri possunt, emollit et emendat.

d) Dei maiestas extollitur 36, 22-33.

Eliu et doctrinam praeclaram proponit et in arte animos tractandi et inflectendi non parum excellit. Id iam v. 16-21 ostenditur. Praeclarius in subsequentibus elucet. Solatus erat Iobum, commiserationem ostenderat, ad animi submissionem praeclaro Dei bono proposito adhortatus erat. Iam quo hanc submissionem faciliorem reddat et suaviorem, qualis sit Deus, quam magnificus, potens, benignus, sapiens, sublimi prorsus eloquentia prosequitur. Ita nobiles excitat animi sensus fidei, amoris, admirationis *talis* Dei : quibus praeeuntibus quis tali Dei se plene ac plane tradere renuet? quis non *submissionem* ambabus manibus amplectetur?

Unde ad animum inflectendum arguit v. 22 « *Ecce, Deus excelsus in fortitudine sua et nullus ei similis in legislatoribus* » ; — hebr. *quis sicut ipse doctor?* i. e. cur dubitas vel cunctaris tali te doctori ex integro tradere? Primo generali sententia Dei sublimitatem in potentia et sapientiam eamque communicandi studium ac voluntatem proponit — utrumque enim includitur in ultimo membro — dein haec per singula enucleatius evolvit. Incipit a Dei sublimitate ; v. 23 « *quis poterit scrutari vias eius aut quis potest ei dicere : operatus es iniquitatem* »? — hebr. *quis ei praecepit viam suam* i. e. quis potest Deo praescribere, quali ratione et via uti, agere debeat (cf. 34, 13), aut dicere : perverse agis? Quam audax, si homuncio Deum sublimem crisi subiicere velit! Aptissime monet Eliu hominem ad *laudem* Creatoris esse vocatum; ita in hebr. v. 24 *memento, ut extollas opus eius, quod cecinerunt viri* i. e. id tuum esse memento, non ut accuses, sed ut magnifices Dei opus; quod quo alacrius praestet, seriem illam et concentum virorum sanctorum effert, qui per saeculorum decursum laudes Dei cecinerunt ; eorum choro ut voce et animo se iungat, hortatur. Praeclara sane monendi et movendi ratio ! [1]

In *vulg.* v. 24 « *memento, quod ignores opus eius, de quo cecinerunt viri* » ; — « urget Iobum, ut recordetur se modici captus esse, ignorareque mira Dei facta, virosque antiquiores non sic egisse, ut opera

---

1. Similiter hebr. expresserunt LXX et *vet. lat.* « memento, quod magna sunt opera eius » ; similiter *Syrus* et omnino *Chald.* ; ita intellexerunt *Mar. Malv. Cod. Vav.* etc. et ita vox (aram.) יְשַׁגֵּא omnino exigit. Versionem *vulgatae* inde tamen facile explicare possumus, quod S. Hier. hanc vocem cum שָׁגָה *errare* per errorem commutaverit.

Dei reprehenderent, sed cum animi demissione decantarent » (*Cord.*). At sensus textus hebr. praeferendus est, neque ulla adest ratio, cur Eliu *talis* ignorantiae Iobum accusare censendus sit. Praesertim cum sequatur v. 25 « *omnes homines vident eum, unusquisque intuetur procul* » ; — hebr. בּוֹ potius ad *opus* referendum erit : omnes homines opere Dei delectantur et cum reverentia quasi a longe stantes (idque saltem obscure [1] intuentes) ad Dei gubernationem mentes et oculos attollunt ; iterum efficax ponitur ratio, ne Iobus a tam communi laudis et admirationis consensu dissonet.

Ut vero eum ad communem concentum invitet, pergit describere, quam optimo iure Dei maiestas laudibus celebretur, v. 26 « *ecce Deus magnus, vincens scientiam nostram ; numerus annorum eius inaestimabilis* » ; — hebr. *ecce Deus sublimis et non scimus* (i. e. nos eius magnitudinem comprehendere vel intelligere nullo modo possumus) ; *numerus annorum eius et non investigatio* i. e. inscrutabilis est. Igitur Deus *excelsus* et *aeternus* ad sui admirationem homines rapere potissimum debet.

Hanc vero celsitudinem, cui Iobus se libenter subdat, ulterius ex Dei operibus adumbrat, idque primum ex iis, quae in aere fieri cernimus : ex imbre, nubibus, tonitru. Nam quam sapienter *pluviam* instituit ? v. 27 « *qui aufert stillas pluviae et effundit imbres ad instar gurgitum*, v. 28 *qui de nubibus fluunt, quae praetexunt cuncta desuper* » ; — clarius in hebr. *qui in altum tollit* (scil. per vapores ascendentes cf. *Cod. Men. W. Hirz. Hitz. Zsch. Le Hir*) *guttas aquae* ; *stillant pluviam ad vaporem eius* (i. e. guttae et pluvia descendunt, dum simul adsunt nebulae, nubes Dei ; ita *Mar. W. Del. Zsch.* [2]) *quam nubes effundunt, defluunt super homines multos ;* igitur describit vapores ascendentes, qui in nubes (nebulam) condensantur ; dein nubes effundunt imbrem, isque in hominum commodum defluit. Notat Eliu ita ordinari pro homine, ut Dei gubernatio fieri cernatur in hominis bonum.

Dei maiestas porro relucet in celerrima illa totius coeli obnubilatione (de qua vulg. iam in altero membro versus antecedentis) et in fremitu tonitruum ; ita v. 29 in hebr. *profecto, si (quis) intelligeret extensiones nubium, fremitum umbraculi eius ;* v. 30 *ecce, extendit circum se lumen suum et radices maris operit ;* primam sententiam lege

---

1. Illud *procul* bene expendit *S. Thom.* : « cognitio hominis longe distat a perfecta comprehensione divinae essentiae, tum quia non potest homo nisi per opera cognoscere, quae in infinitum distant ab excellentia essentiae eius, tum quia etiam opera eius perfecte homo non cognoscit ».

2. Alii : colant pluviam vaporem eius i. e. nebulam eius tamquam imbrem demittunt *Hitz.*

per exclamationem, vel per interrogationem *num quis intelliget?* v. 30 de fulgure est sermo, quod totum coelum illustrat et totum mare usque ad extremitates tangit radiis lucis vel operit (cf. *Sa, Mar. Vav. Del.*); haec explicatio simplex est et optime fulguris splendorem longe lateque emicantem depingit [1]. Nubes dicuntur Dei tentorium (cf. Ps. 17, 12 *et posuit tenebras latibulum suum* i. e. nubes atras et densas); tonitru, quod per nubes sonitu tremendo volvi videtur, fremitus vocatur Dei tabernaculi. Ad eundem sensum accedunt verba *vulg.* v. 29 « *si voluerit extendere nubes quasi tentorium suum*, v. 30 *et fulgurare lumine suo desuper, cardines quoque maris operiet* »; — a firmamento usque ad maris profunda eius cernitur maiestas, quae in nubium extensione et fulgure relucet [2].

Iam iterum notat Eliu fulgura et imbres Deo *gubernatori* inservire : v. 31 « *per haec enim iudicat populos et dat escas multis mortalibus* »; — i. e. iis utitur ad homines castigandos, ad beneficia praestanda (cf. diluvium, catastrophen sodomiticam, varia in Aegypto patrata etc. *Cord.*). In hebr. *dat escas ad copiam* (abundantiam *Sym.* τροφὴν παμπόλλην ; cf. *Malv. W. P. Zsch. Le Hir*).

Prius membrum accuratius declarat; v. 32 in hebr. *super manus tegit lumen, et ei mandat contra adversarium;* ita LXX καὶ ἐνετείλατο... ἐν ἀπαντῶντι et *W. Hirz. Zsch. P. Le Hir* i. e. fulgura apprehendit manibus, eaque iaculatur in inimicos, fulguribus manus obtegit, circumquaque vestit (cf. Ps. 17, 15 *fulgura multiplicavit et conturbavit eos*, scil. adversarios), iis armatus est et quasi sagittis utitur. Varietas est in voce מַפְגִּיעַ explicanda; *intercessor* (Is. 59, 16) h. l. repugnat, ergo sensu contrario *adversarius?* alii (cum Beth essentiae) ad Deum referunt : *scopum attingens* (*Del.*); *Hitz.* luci mandat, *ut percutiat;* alii, uti 7, 20 מִכַּגַּע legentes : luci locum designat, quo percutiat. Sed prior explicatio optima est, ut sit quasi *in occurrentem, in occursum. Sym.* habet ὥστε ἀναντῆσαι.

In *vulg.* v. 32 « *in manibus abscondit lucem et praecipit ei, ut rursus adveniat* » ; — eam subtrahit et ad lubitum emittit; vel quasi manu obducta tenebras efficit lumen intercludens et denuo, ut fulgeat, praecipit (cf. *Malv. Cord. Men. Tir.*). At sensus hebr. textus magis ad v. 31 aptus est.

Ultimus demum v. 33 mira interpretum varietate conspicuus est. Iam veteres versiones in varias partes abeunt; id tamen omnibus commune subest, ut easdem consonantes hebr. plus minusve clare suppo-

---

1. Alii ultimum membrum de aquis superioribus, de mari coelesti intelligunt, cuius fundamenta Deus tegat, operiat et ponat supra nubes fulgure illustratas (cf. *W. Zsch. Hitz.*); sed nubes יָם vocari, nimis singulare est.

2. *S. Hier.* omisit in versione vocem תְּשֵׁאוֹת, quae tamen in textu adfuisse ex LXX, *Chald.* et *Syro* probatur.

nant adfuisse. *Vulg.* v. 33 « *annuntiat de ea amico suo, quod possessio eius sit et ad eam possit ascendere* », — concipi potest ita : lucem quasi possessionem propriam Deus suis amicis promittit et annuntiat, dicitque illos post tenebras visuros lucem, post miseriam prosperitatem (cf. *Cord. Tir. Gord.*). At sane displicere debet, quod subito *lux* metaphorice accipitur, secus ac v. 32.

Plerisque placet רֵעַ explicare, uti Ex. 32, 17. Mich. 4, 9 *strepitus, fragor* (cf. *Malv.* III. *Cod. Del. Zsch. P. Hitz. Le Hir*) : *fragor eius de eo annuntiat*, i. e. tonitru Dei maiestatem indicat. Pro altero membro *Sym.* sua versione ζῆλον περὶ ἀδικίας et LXX περὶ ἀδικίας suadent, ut מִקְנֵה [1] accipiamus quasi a קנא (cf. Ez. 8, 3) et pro עַוְלָה legamus עֲוֹלָה (iniquitas); unde : *iram accendens* (zelans) *de iniquitate;* ita ad v. 31a sensus quam arctissime accedit, Deum tempestate et tonitru inimicos suos persequi, uti etiam v. 32 hebr. enuntiatur (cf. *Hitz.*). Ex aliorum interpretationibus pauca addam : iis annuntiat consilium suum, gregibus quoque et herbis (i. e. Deus greges-possessionem et prata impiorum tempestate devastat *W.*); eum annuntiat fragor eius, immo et greges (nuntiant, praesagiunt), quod venturus sit (in tonitru; volunt exprimi, greges praesagire adventum tempestatis, cf. *Ros. Del. Zsch. P.* — sed Deus non dicitur *ascendere* in tonitru, sed ad terram *descendere ;* cf. Ps. 17, 10; Mich. 1, 3). Plura, si vacat, reperies apud *Pin. Malv. Houbig. Ros. Hirz. Del.*

e) Dei maiestas variis commendatur 37, 1-13.

Haec Dei maiestas reverentia et timore animos repleat necesse est ; v. 1 « *Super hoc expavit cor meum et emotum est de loco suo* » ; — i. e. cor trepidat, saltitat (cf. *Malv. Cod. Calm. W.*). Alii v. ad subsequentia referunt (*Pin. Cord. Sa, Mar. Men. Zsch.*), ita ut Eliu audito tonitru terrore quodam sacro perfusus praesagiat rei magnae futurae eventum. *Hoc* sensu utique non male. Nam solent homines expavescere, si divinae accedunt ad eos apparitiones (cf. Is. 6, 5 hebr. Ez. 2, 1. Dan. 10, 7. 8) — unde non mirum, si Eliu iam appropinquante in turbine Domino sacro quodam terrore perfunditur.

Interea enim, dum loquitur, nubes atrae conglomerantur et fragor tonitrui auditur, quem ipse maiestatis divinae testem esse indicat, v. 2 « *audite auditionem in terrore vocis eius et sonum de ore illius procedentem* »! — hebr. cum emphasi *audite audiendo fremitum vocis eius* i. e. tonitru, quod saepe vox Domini vocatur (cf. Ps. 28). Iam quomodo haec vox per aethera volvatur et fulguris coruscationes longe lateque emicent, pulchre depingit v. 3 in hebr. *subter universum coelum emittet illum et lumen illius super terminos terrae* i. e. facit, ut

1. *Possessionem* refert fragmentum *Aq.* in cod. syr. hexapl. asservatum; κτίσεις σφόδρα ἐπὶ παρανόμοις cf. l. c. p. 352. 630.

per omnia spatia aeris discurrat tonitru et ut fulgura discurrant in oras terrae (*Malv. Vav.*). שָׁרָה (aram.) est *solvere, emittere ; S. Hier.* a שׁוּר derivavit, unde vertit v. 3 « *subter omnes coelos ipse considerat et lumen illius super terminos terrae* » ; — omnia Dei nutu atque consilio fiunt ; sicut fulguratio maxima celeritate ad terrae extremos usque fines extenditur, ita Dei consilium ac providentia omnia amplectitur. Sed textus hebr. et ad antecedentem v. et subsequentem magis congruit ; v. 4 « *post eum rugiet sonitus, tonabit voce magnitudinis suae, et non investigabitur, cum audita fuerit vox eius* » ; — bene *Cord.* : « significat nostro intelligendi more Deum quasi super ventos regionemve aeris alte gradientem, transituque suo terribiles illos crepitus excitantem ». Textum hebr. magis commode vertes : *post id* (scil. lumen, fulgur) *rugit tonitru... et non cohibet ea* (scil. fulgura), *cum auditur vox eius* (cf. *Mar. Malv. Cod. Vav. W. Zsch. P.*) i. e. fulmina et tonitrua inter se crebro succedentia describit[1]. Rem fieri innuit, quae unde et quomodo fiat, non perspicit homo, vel melius : Deus etiam in hisce operibus inscrutabilem prae se fert maiestatem ; ita idem habetur, quod emphatice repetitur v. 5 « *tonabit Deus in voce sua mirabiliter, qui facit magna et inscrutabilia* » ; — hebr. *et non intelligimus*, uti 36, 26. Iam si effectus isti naturales magnitudine sua nos ad admirationem excitant neque plene a nobis comprehendi possunt, quanta *Dei* reverentia nos obrui decet (cf. *Tir.*)!

Ad hanc potentiam delineandam alia prosequitur v. 6 « *qui praecipit nivi, ut descendat in terram, et hiemis pluviis et imbri fortitudinis suae* » ; — hebr. *nam nivi dicit : cade in terram* [2].

Iam quid homo exinde discere debeat, v. 7 « *qui in manu omnium hominum signat, ut noverint singuli opera sua* » ; — i. e. Dei opera ; nam in hebr. *ut cognoscant omnes homines creationis eius* [3], ut omnes quos ipse fecit, inde cognitionem hauriant. Obscurum est membrum prius.

Aliqui *manui sigillum apponi* explicant manus cohiberi propter frigus, ne aperiantur ad laborem (cf. *Mar. Malv. Men. Del. Hirz.*), vel generatim hominem tempore hiemis ab agriculturae laboribus prohiberi (*Ol. Vav. Pin.*

---

1. Verbum עִקֵּב *S. Hier.* interpretatus est, ut etiam *Symm.* h. l. οὐκ ἐξιχνιασθήσεται et ut *S. Aug.* habet (pro ἀνταλλάξει LXX), « et non poterit investigari ».

2. הַוָּא aram. a הֲוָא = הָוָה cf. 6, 2. 30 nomen הַוָּה. *Bis* pluviae mentio fit. *B.* id vocat dittographiam manifestam et duo verba e textu delet. At haec verba prostant apud LXX, *Chald. Sym. S. Hier.* Hanc repetitionem iam *Chald.* ad duplicem pluviam serotinam et temporaneam refert et *W. P.* haud immerito assentiuntur. Ad phrasin hebr. cf. Zach. 10, 1 ; *hiemis* mentionem faciunt etiam LXX et *Sym.*

3. Vel, uti certe textus masor. emendandus est : *ut cognoscat omnis homo opus eius*, ita et sensus suadet et LXX, *Chald. Syrus, S. Hier.* textum exhibent, et *B.* scribit.

W. Zsch. P.), vel Deum sua potentia ostendere, se omnes homines omnesque res obsignatas habere quasi sera et claustro et plene sibi consignatas, quibus ad lubitum utatur suo servitio mancipatis (cf. *Cod. Cord. Tir.*); aliter *S. Thom.* : « Deus posuit signum in manu i. e. in operativa virtute, ut sciant congrue distribuere opera sua diversis temporibus » ; unde alii ex hoc versu *chiromantiam* deduxerunt (cf. apud *Pin.* et *Cord.*).

Explicatio « manum hominis cohibet » omnino amplectenda est, sed in eum sensum inflectenda, ut dicatur : Deus hominem reddit impotentem, quippe qui effectus illos neque impedire, avertere, coercere, neque adducere possit; si v. g. siccitas vel inundatio regionem affligit, homo impotentiae suae et dominii divini admonetur. Quare optime subiungitur, *ut cognoscant* homines Dei opus, vel ut LXX et *vet. lat.* habent : « ut sciat omnis homo infirmitatem suam ».

Homo ex effectibus illis cognitionem hauriat necesse est, bestiae illos sentiunt et *suo modo* Dei potentiam in illis experiuntur et testantur; Eliu, uti 35, 11, hominem et bestias opponit et quantum ille praecellere debeat, effert v. 8 « *ingredietur bestia latibulum et in antro suo morabitur* »; — bene advertit *S. Thom.* : « ista providentia usque ad animalia bruta protenditur, quae scil. quodam naturali instinctu diversis temporibus diversa operantur ».

Ad alia progreditur Eliu v. 9 « *ab interioribus egredietur tempestas, et ab arcturo frigus* »; — hebr. *e penetrali* (cf. 9, 9; i. e. ex penu, ex promptuariis, ut *vet. lat.* habet, vel austri — cf. Is. 21, 1; Zach. 9, 14 — vel generatim coeli cf. 38, 22; Ps. 134, 7 *qui producit ventos de thesauris suis*) *egreditur turbo et a dispersoribus frigus* i. e. a ventis aquilonaribus, qui nubes dispergunt et frigus efficiunt (*Malv. Mar. Calm. Del. Hitz.*), unde alii vertunt : a septentrione (cf. *Cod. W. Zsch. P.*), vel *ab arcturo*; est stella lucidissima prope caudam ursi maioris.

Dei potentiam praeterea cernere fas est, v. 10 « *flante Deo concrescit gelu et rursum latissimae funduntur aquae* » ; — i. e. flante Deo quoque solvitur acris hiems, solvuntur flumina glacie constricta; cf. Ps. 147, 17. 18 *flabit spiritus eius et fluent aquae*. In hebr. de una glacie est sermo [1] etiam in altero membro *et latitudinem aquae in coarctationem* scil. Deus dat (cf. *Mar. Malv.* III. *Cod. Calm. W. Del. Zsch. P. Le Hir*). Uti Deus aquam constringit, ita ad lubitum nubes aqua onerat et ditat; ita v. 11 in hebr. *irrigatione quoque aggravat nubes et dispergit nubem luminis sui* (cf. *Malv.* III. *W. Hitz.*); est enim רִי = רִיִּי a רָוָה

---

1. יִתֵּן *dabit*, quis? vel Deus, vel = dabitur? *Hitz.* vult יֻתַּן legi cf. 2 Sam. 21, 6 qeri. Sed aptius *Deus* est subiectum in utroque membro, uti v. 11 in hebr.

(cf. *Cod.* irroratio); ergo aquis onerat nubes et longe lateque diffundit et dispergit nubes, quae fulgura continent, vel e quibus fulgetra emicant. Nubes illas Dei nutu circumduci et Dei mandata in hominum utilitatem vel castigationem implere, docent v. subsequentes 12 et 13.

In v. 11 *S. Hier.* בְּרִי legit et vertit בַּר uti LXX et *Sym.*[1]: unde v. 11 « *frumentum desiderat nubes et nubes spargunt lumen suum* » ; — i. e. frumentum irrigari cupit ab aquarum pluvialium influxu, et votis nubes opportuna largitate respondent (*Cord.*) [2].

Illas Dei nutui obsequi delineat v. 12 « *quae lustrant per circuitum, quocumque eas voluntas gubernantis duxerit, ad omne quod praeceperit illis super faciem orbis terrarum* » ; — optime vertit *S. Hier.* ; ad verbum ita hebr. *et haec in circuitu vertitur in eius gubernatione ad operandum omne* etc. Sapienter notat Eliu Dei consilia in rerum naturalium cursu et insinuat, si in istis rebus Deus sapienter et consulto agit, quanto magis in hominum gubernatione! Quare ea non sine occulta quadam Iobi reprehensione proferuntur.

Haec vero Dei consilia adumbrat v. 13 in hebr. *sive ad flagellum sive propter terram suam sive in misericordiam obvenire illam iubet* (cf. *Mar. Malv. Calm. Vav. Cod. Del.*) ; uti triplex אִם indicat, tria membra discernit : primum ac tertium homines vel puniendos vel misericordia afficiendos pluviis, alterum ipsam terram, Dei scil. possessionem (cf. Ios. 3, 11. Mich. 4, 13. Ps. 23, 1) imbribus in suum commodum irrigari dicit; idque optime, nam terra producere debet herbas, gramina, ut rerum ordo et animalia consistere possint. Quare nullo modo opus est membrum secundum quasi primo adnexum et subordinatum considerari : sive ad flagellum si id terrae suae debetur (cf. *W. Zsch. P.*), qua explicatione et concinnitas sententiae perit et unus finis providentiae universalis perperam omittitur; bene enim iam *Malv.* monet, *tres* proponi superioris administrationis meteororum fines. *S. Hier.* שִׁבְטוֹ, quam vocem LXX, *Theod.*[3] h. l. παιδείαν, *Chald.* ultionem explicarunt, *tribum* vertit, uti saepe vox usurpatur et h. l. etiam *Sym.* intellexit εἰς φυλήν; unde in *vulg.* v. 13 « *sive in una tribu, sive in terra sua, sive in quocumque loco misericordiae suae eas iusserit inveniri* » ; — cf. Am. 4, 7 *plui super unam civitatem et super alteram civitatem non plui ; pars una compluta est et pars, super quam*

---

1. *Sym.* καιρῷ ἐπιβρίσει νεφέλη; forte legit בְּרִי. Vocem בֹּר *S. Hier.* rite vertit Deut. 1, 12. Is. 1, 14; h. l. negotium sibi facessere, pondere desiderii ferri vel sim. vocem sibi explanasse videtur.

2. Alii (*Chald. Ros.*) vocem componunt cum בָּרַר et vertunt : serenitas nubes dispellit (cf. *Mar. Malv.* I); *Syrus :* molliter (rakikoith) expanduntur nubes.

3. Cf. cod. syr. hexapl.

non plui, aruit; modo ad hanc tribum, modo ad integram terram etc. illas misericordiae i. e. fertilitatis hominumque commodi administras mittit. Exemplum adest in Elia coelum claudente (3 Reg. 17, 1) et postea pluviam efflagitante (l. c. 18, 41) et 3 Reg. 8, 35. 36; et supra 36, 31.

f) Quam debilis sit homo 37, 14-24.

Dei providentiam et consilia consulto delineavit Eliu, ut Iobus Deum istis non carere si calamitates immiserit, disceret. *Tali* Deo Iobus ausus est querelas obviam ferre, cum *tali* Deo expostulare! Quare monet v. 14 « *Ausculta haec, Iob, sta et considera mirabilia Dei* »! — *sta* i. e. attente et cum mora, assiduo rem perpende. Iam ut pudoris sensus de nimia illa audacia excitetur, eum ironicis interrogationibus exagitat, quibus spiritus altiores et tumores reprimuntur et homo suae ignorantiae et infirmitatis admonetur. Eliu Iobum ad animi submissionem et humilitatem adducere vult; sed talia ei exprobrat, *postquam* Dei consilia in bonorum afflictionibus et in mundi gubernatione eum edocuit. Quare etsi Iobum reprehendit, *talis* reprehensio non est, uti trium aliorum, qui Iobo nullam commiserationem ostendentes nihilque novae afferentes doctrinae, sed falsis argumentis eum scelestum declarantes, aerumnas tantum aerumnis addiderunt.

Igitur v. 15 « *numquid scis, quando praeceperit Deus pluviis, ut ostenderent lucem nubium eius* »? — i. e. quomodo et quando Deus *illis* (hebr. cf. v. 14) praecipiat, quomodo et quando lucem nubis suae, i. e. fulgura emicare iubeat (cf. *W. Zsch. Hitz. P. Le Hir* et similiter iam *Mar. Malv.*) [1]. Sed si homo talia ignorat, non est cum Deo de providentiae suae dispositione altercandum (cf. *Cord.*).

Unde urgere pergit v. 16 « *numquid nosti semitas nubium magnas et perfectas scientias* »? — clarius in hebr. *numquid nosti librationes nubium, miracula eius qui perfectus est scientiis*, scil. Dei (cf. *Mar. Malv. Cod. Vav. W. Del. Zsch. P. Le Hir*) « quasi dicat: nosti nubium pondus et libramentum? scil. quo pacto usu veniat, ut tanto et non maiore intervallo a terra eleventur ac ferantur » (*Cord.*), cur non in terram praecipites agantur, sed in aere suspensae maneant etc. Et quam parum valeat homo, innuit v. 17 « *nonne vestimenta tua calida sunt, cum perflata fuerit terra austro* »? — i. e. ne nimium quidem aestum a te depellere potes; in hebr. *cuius vestimenta incalescunt, dum terra*

---

1. Idque recte nam שׂוּם עַל est *mandare* cf. Ex. 5, 8. 14 et h. l. optime id congruit; supplere לֵב et vertere : animum ad ista advertit — uti *Hirz. Del.* — frigidum est et inutile dictum.

quiescit a meridie i. e. dum calor ab austro ortus tepore quodam ac tranquillitate terram involvit. Ne id quidem incommodi homo a se arcere potest; et talis disceptat cum Deo, quasi Dei iudex? Etiam magis urget v. 18 « *tu forsitan cum eo fabricatus es coelos, qui solidissimi quasi aere fusi sunt* »? — hebr. *expandisti cum eo aethera firmum sicut speculum fusum*? veterum enim specula ex metallis fusa erant [1]; duo igitur notat: firmitatem et pelluciditatem aetheris (cf. *Vac. Malv.*); in tanta claritate ac limpiditate conditi sunt coeli, ut videantur quasi speculum aeneum politissimum (*Cord. Pin.*). Ex aspectu, qui praebetur, coelum et firmamentum depingit. Hisce illas interrogationes, quibus Iobus in Deum usus est, exagitat, quasi dicat: toties Deum tu voluisti interrogare; quid, si Deus te interrogat? quid respondebis? Cum ironia insinuat: nihil scies, quod reponas; v. 19 « *ostende nobis, quid dicamus illi, nos quippe involvimur tenebris* »; — si Deus nos velit interrogare, doce nos, quid illi haud inepte respondere possimus; tu quippe scientia polles, ut qui de Deo ipso conquereris et cum eo expostulas, nos enim nihil eorum assecuti sumus (cf. *Cord.*); in hebr. *non disponemus* (verba) *propter tenebras* i. e. nos nihil afferre possumus (cf. 32,14) propter ignorantiae caliginem.

Iam Iobum, qui saepius arbitrum quendam et sequestrum inter se et Deum desideraverat, sequentibus reprehendere videtur v. 20 « *quis narrabit ei, quae loquor? etiamsi locutus fuerit homo, devorabitur* »; — i. e. numquid aliquis audebit ei referre, quae ego Deo dici cupio, vel potius quae tu de Deo conquestus proferre non veritus es? nonne talis a divina maiestate prorsus opprimendus foret (cf. 9,19. 33)?

Haec explicatio a reliqua orationis serie non aliena videtur, et in parte priore prorsus ad hebr. accedit: *num narratur ei, si ego loquor*, quis ei referet, me loqui velle et disceptare cum ipso? *numquid dixit ei, quia destruetur?* i. e. num quis dicet Deo, iniuste secum agi, se opprimi (cf. *W.*)? Alii: num quis suum ipsius interitum exoptat, indicit? i. e. si quis illud attentaret, censendus esset suam ipsius ruinam exoptare (cf. *Del. Zsch. Hitz.*). Quod plerisque placet: neminem cum Deo de rerum naturalium effectibus admirandis digne posse disceptare (cf. *S. Thom. Cord. Pin. Vir.*), neque ad verba neque ad argumenti seriem satis convenire videtur.

Dum talia loquitur, turbo ille, de quo 37,2 et 38,1 sermo est, magis magisque ingruit; unde v. 21 « *at nunc non vident lucem; subito aer cogetur in nubes et ventus transiens fugabit eas* »; — i. e. solis lux iam nubibus operta est, quae magis magisque conglomerantur et condensantur et quas ventus, qui tonitru praecedere solet, circumagitat et

1. Olim placuit ex hoc loco tamquam argumento scripturistico [probare. coelos esse natura sua incorruptibiles, indivisibiles, plane solidos etc. cf. *S. Thom. Est. Cord.*

propellit. Verba *vulg.* ad tempestatis oriturae descriptionem prorsus apta sunt. Eodem modo etiam hebr. interpretantur *Del. Zsch. Hitz. et nunc non videtur lumen* (quod) *splendidum* (est) *in aethere, et ventus transit et fugat eas*; at simul symbolum ibi cernunt, Dei gubernationem a nobis abscondi, sed facile posse, sicuti solem nubibus abactis, nobis Deo donante manifestari: sol nubibus obvolutus splendet in aethere, quamvis in terra non cernatur; ita adest Dei gubernatio sapientissima; nubibus discussis, si Deo placuerit, utrumque innotescit.

Alii verba ad turbinem iamiam appropinquantem non referentes, sermonem de divina maiestate concludi censent comparatione ; vel : oculos figere non possumus in solem quando lucet in aethere, postquam ventus nubes disiecit, quanto minus Dei maiestatem acie ingenii nostri intueri vel metiri poterimus (cf. *Malv. W.);* vel : saepe non videmus solem... quid igitur mirum, si alia quae dixi ignoramus et Dei consilia non comprehendimus (cf. *Mar. Tir.*) ? Rationem lucis et serenitatis non perfecte intelligimus, quid mirum si divinae providentiae ratio sit nobis perobscura (cf. *Pin.*) ? Sed turbinem accedentem omnino retinendum esse, et vulg. verba et 38,1 suadent.

Obscuritatem autem illam simul tamquam rei altioris symbolum intelligi, commendatur v. 22 « *ab aquilone aurum venit et ad Deum formidolosa laudatio* » ; — hebr. *et circa Deum terribilis maiestas*; locutio est proverbialis et comparationem inducens, uti 28.1 ; auri locum homo investigat, id unde haberi possit cognoscit, at Dei maiestas est inaccessa, est summa reverentia expavescenda, neque ullo pacto audacius, insolentius alloquenda. Locutio proverbialis *ab aquilone aurum venit* fortasse in illa veterum opinione fundatur, sacrum montem auro gemmisque splendentem et deorum habitaculum in parte aquilonari inveniri (cf. Is. 14,13. Ez. 28,14.16 ; *Delitzsch* Wo lag das Paradies p. 118) — praeterea, in regionibus aquilonaribus aurum nasci, veteres opinati sunt, cf. Herod. 3,116 ; Iudaeis aurum e Colchide, Armenia, Phaside, et Hevila regione septemtrionali advectum esse, *Calm.* in sua de Ophir dissertatione ostendere conatur — alia apud *Del.*

Alii זָהָב non de auro sed de *splendore* vel solis vel Dei intelligunt, vel vento aquilonari nubes pelli solemque reduci [1] (cf. *Vat. Mar. Malv.* II. *Men. Gord.* — at aptus nexus minime apparet), vel, uti LXX : « a borea veniunt nubes coloris aurei » i. e. Dei appropinquantis et apparentis manifestatio, quae ab aquilone (Ez. 1, 4) accedat (cf. *Hitz.*). At si ipsa Theophania iam adeo illustris *auri* splendore emicaret, vix probabile foret Eliu pergere in sermone et hunc splendorem 38, 1 *turbinem* dici. Quare prior expositio omnino retinenda est.

1. Uti *Barh.* « i. e. ventus purgans aerem sicut aurum ».

Dei maiestatem inaccessam Eliu praedicat et commendat v. 23 « *digne eum invenire non possumus, magnus fortitudine et iudicio et iustitia et enarrari non potest* »; — i. e. eum non attingimus (hebr.), eius consilia scrutari et eminentiam comprehendere intellectum nostrum superat; hebr. *magnus fortitudine et iudicio et multa iustitia, non opprimit* (cf. *Mar. Malv. W*[1]. *Le Hir*). Quare Deus omni reverentia prosequendus est v. 24 « *ideo timebunt eum viri et non audebunt contemplari omnes qui sibi videntur esse sapientes* » ; — i. e. non audebunt litigare cum Deo, vehementius conqueri, curiosius Dei consilia scrutari.

In hebr. *non videbit omnes sapientes corde* i. e. Deus non respicit eos qui sibi sapientes sunt, minime curat, sed eos spernit, abiicit. Ita Eliu duo illa, in quibus tantum momenti posuit, in fine nervose repetit: Deus ius non flectit, sed a superbiae tumore sese avertit. Quare cum humili submissione Deum esse adeundum docet: *timebunt Deum*; assignat idem, quod etiam Iobus tamquam veram sapientiam homini concessam indicaverat (28,28), postquam, in quibus Iobus normam illam perfecte non expressisset, sapienter correxit.

Nota. Quae de Eliu sermonibus exposuimus ut compleantur, duo paucis tractanda sunt:

1° Plerisque inter protestantes fixum ratumque est, sermones Eliu esse spurios et a posteriore quodam poeta libro perperam additos (cf. *Hirz. Del. Hitz.* — Studien und Kritiken, 1878 p. 153). Ita *Renan* quoque censet. At sermones hos ad libri consilium prorsus pertinere, neque ullo pacto avelli posse, elucet *a*) quia istis demptis quaestio principalis, cur boni affligantur, in ipsa disceptatione nullo modo solvitur, *b*) immo istis demptis necessario in errorem induceremur : non esse alias iustorum aerumnas, quam illas de quibus in prologo sit sermo. Iis autem retentis proponitur *a*) vera doctrina de multiplici sapientissimi Dei consilio, quo etiam bonos a malis perferendis non eximat, *b*) Iobus ceteriique rite docentur, *c*) ipsa Dei responsio ad Iobum praeparatur, *d*) quid in reliquorum disceptationibus sit veri vel falsi, et quomodo sint aliorum disputationes ex ipsa auctoris mente corrigendae, in istis demum sermonibus potissimum declaratur. Quare nisi totum opus mancum atque truncatum esse velimus, Eliu ab eo abesse nullo modo potest.

Idem patebit perpensis rationibus, quibus innixi hos sermones expungere volunt. Inter praecipuas *Hirz.* has affert: *a*) 38, 2 necessario supponere,

---

1. Vel ut alii verba iungunt : *iudicium et multam iustitiam non flectit* (*Aq.* κρίσιν καὶ πλῆθος δικαιοσύνης οὐ κακουχήσει — *Del. Hitz. Zsch. P.*); sed cur tum *eximiae* iustitiae mentio fieret? Alii legi volunt יַעֲנֶה *non respondebit* i. e. temere contendenti non dat responsum (ita *Syrus*, *Hirz.*); *S. Hier.* legisse videtur יְעַנֶּה significatione *enuntiandi* (cf. Ier. 23, 35. Mich. 6, 3). Sed textus hebr. יְעַנֶּה, cui *Chald.* adstipulatur, *non affliget*, ius non flectit, sensu apto minime caret.

Iobum hucusque locutum esse — sed nullo modo; Deus enim apte dicitur Iobum alloqui, etsi Eliu antea de Iobo et cum Iobo disceptaverit.

b) Deum postulare *coecam* submissionem; sed Eliu sermones declarare, cur pii affligantur : ergo Dei responso illos excludi — at cognitio haec et illa submissio non inter se opponuntur; verum *coecam* submissionem exigi sine ulla nova Dei cognitione et mentis illustratione, ab indole verae religionis longissime abest.

c) Non fieri mentionem Eliu neque in prologo, neque in epilogo — hoc quidem verissimum est, at rem non evincit. Nam cum in epilogo tantum tres illi *reprehendantur*, Eliu, qui non est reprehensus neque reprehendendus, induci nullo modo debuit; porro Eliu *accedere poterat* ad disputationem iam inchoatam, unde in prologo non erat, cur nominaretur.

d) Genus dicendi a reliquo libro differre — et optime quidem, quia Eliu iunior est et cur s. auctori non licebat, huic interlocutori, qui rem ex parte dirimit et reliquos edocet, peculiarem dicendi colorem tribuere? Num omnes dramatis personae eodem modo loquuntur?

e) Iobum non respondere, qui tamen reliquis semper responderit — at *Hirz.* supponit, Eliu vanas accusationes in Iobum congessisse.

Pleraque ex his etiam *Renan* (Le livre de Job p. LI seq.) affert. Addit sermonibus Eliu ea quae antecesserint fere solum repeti et Dei sermonem subsequentem vigore suo et effectu magna ex parte privari — quae quam falso asserantur, ex ipsa sermonum Eliu explanatione constat. Ceterum quam parum valeant rationes ab adversariis allatae, ipse *Renan* fatetur, cum l. c. p. LVII opinetur fieri potuisse, ut demum isti sermones adderentur ab ipso libri reliqui auctore; « qui sait si l'auteur lui-même, reprenant son œuvre après un long intervalle, à une époque où il avait perdu sa verve et sa manière (??), n'a pas cru perfectionner son poëme en y ajoutant ce morceau qui en réalité le dépare »? Et generatim quam falso iudicet de indole libri, inde conclude, quod affirmare non dubitat : « d'un bout à l'autre du poëme la question ne fait pas un seul pas » (l. c. p. LXV)?!

Alio modo *Del.;* censet enim, solutionem ab Eliu datam contradicere illi, quam s. auctor prologo expressit; s. scil. auctorem non agnoscere piorum aerumnas, nisi tales, quales in prologo exhibet, Eliu autem *has* ignorare et alios fines assignare — sed quis probabit *a*) sacrum auctorem veros illos fines, quos Eliu prosequitur, aut ignorasse aut negare voluisse? *b*) Eliu silentio suo rationem illam in prologo expressam *negasse?*

Demum *Hitz.* urget : Iobum ab Eliu condemnari, dum tamen Iobus a Deo, ergo ex auctoris mente, iustus declaretur; ergo Eliu sermones non ab auctore libri esse profectos. Sed non advertit, *quid* in Iobo reprehendatur; non advertit, quo munere Eliu fungatur, ut illa, quae in Iobi sermonibus audaciora sunt et offensioni obnoxia, resecentur; non advertit, quomodo Eliu ab ipso illo, qui Eliu sermones composuit, consideretur (32,3).

2° Mira est sententiarum de Eliu moribus varietas. Ad triplex genus revocari potest : *a*) eorum, qui et *scientiam* et *mores* Eliu impugnant : nihil verae et sanae doctrinae eum attulisse, sed loquacitate inani, fastu et fuco tantummodo turgere. Ita iam *Phil.* : « hunc itaque Heliu, qui est Balaam,

figuram habere gentium diximus, adversantium Christo, sicut et illos amicos beati Iob haereticorum figuram » ; at non omnem prophetiam ei negat, verum multa de propriis, ut diabolus locutus est, non ex Deo eum protulisse asserit. Eum tamquam philosophastrum et nebulonem traducunt ex protestantibus : *Herder*, *Umbreit*, *Hahn* (cf. apud *Del.*), *Sachs* (Studien und Krit. 1834 p. 916).

b) Eorum, qui vera dici ab Eliu et salutaria agnoscunt, at vero *mores* eius, utpote superbi, arrogantis, garruli, in Iobum iniuriosi, condemnant. Omnibus his facem praefert *S. Greg.* qui in Eliu typum cernit et figuram doctorum fidelium, sed *arrogantium*, et *amatorum vanae gloriae ;* immo « Eliu quamdiu tacuit sapientior fuit »... « quae recte potest sentire, commaculat » etc. (cf. Migne t. 75 c. 521. 527. t. 76 c. 250. 252. 256. 258. 265. 267 etc.). Eadem ratione loquuntur *S. Isidorus* (Migne t. 83 c. 108. 163), *Br. Rup. S. Thom. Cord. Caiet. Sanct.*[1] etc., immo *Pin.* dicere non veretur : « omnium suarum virium ignes subiicit satanas athletae suo, quo Iobum deiiciat » ; hisce etiam adnumerandi sunt *Cod. Calm. Est. Gord.*, qui iniquius de Eliu sentiunt et ex recentioribus *Antonio Martini* (La sacra Bibbia t. II) et *P. Rosario Parisi* S. I. (il divino libro di Giobbe, esposto in lezioni teologico-critico-morali), atque ad eorum sententiam aliqua ratione etiam accedit *Le Hir* (p. 221).

c) Eorum, qui Eliu *digna digne* locutum esse censent ; illis ex veteribus fere accenseri potest *Ol.* v. g. : « cum Eliu de divina sapientia et magnificentia admirabiliter et praecipue sub finem disseruisset, Iobus quidem nihil contra locutus est, Deus vero calculo suo sermones eius approbavit, quod ex divinis eius verbis quae postea sequuntur, intelligere licet » ; iis accedunt *Vav. W. Zsch. P. Loch*, *Vigouroux* (Manuel bibl. II, 232), *Kaulen* (Einl. p. 253). Haecque sententia vera esse videtur. Id enim ostenditur ex ipso sermonum Eliu argumento, quod explicavimus, ex scopo et munere, quo Eliu ex auctoris mente fungitur, et demum ex eo, quod Deus loquens *eidem argumento et modo*, quo utitur Eliu, insistit.

Quid nos censeamus, in ipsa explicatione iam satis indicavimus ; proponere scil. Eliu veram quaestionis solutionem, at in aliquibus durius ferre de Iobo iudicium et utpote iuvenem verbosius causam suam agere ; ceterum praeclara proferri documenta Iobumque ad animi submissionem egregie praeparari.

---

1. *Sanct.* inter alia de Eliu haec habet : « impie et insipienter egit — putat, Deum esse in coelis procul, qui est gravis et infantilis error — argumentum illius indicat insignem ignorantiam ; coarguit arrogantem illum philosophastrum crassae cuiusdam ignorantiae » ; haec ad cp. 35, et ad 33, 17 : « si quid in somniis accepit Eliu, id a malo spiritu potius quam a bono oblatum esse constat », et putat Eliu « nihil afferre ad praesentem statum et necessitatem opportunum » (34, 1).

VI. THEOPHANIA

Cap. 38-41.

PRIMUS SERMO DIVINUS, CAP. 38. 39.

Arg. — Deus ostendit, quanta sit hominis ignorantia et impotentia, ut Iobus intime sentiat, quantopere dedeceat conqueri de Deo vel cum eo expostulare, si quid in divina gubernatione homo non perspiciat. Quare primo Iobum exagitat quaestionibus de creatione propositis, scil. de prima terrae formatione et aquarum congregatione (cf. Gen. 1, 9); idque 38, 1-11; dein transit ad praesentem mundi cursum, ad ea, quae Iobus fieri cernit, si de hisce fortasse melius rationem reddere sciat, vel aliquid valeat : quaerit de quotidiano diei ortu, de terrae dimensionibus, de lucis tenebrarumque vicissitudine, de iis, quae in aere fiunt : nive, grandine, fulgure, ventis, pluvia, pruina (38, 12-30); tum quaestionibus ascendens ad sidera Deus interrogat, num Iobus in coelum stelliferum potentia valeat, vel saltem in coelo inferiore nubium aliquid efficere possit tonitru, fulguribus, imbribus (38, 31-38). Sed si haec altiora sunt, iam ad animalia Deus descendit; a rege brutorum incipiens decem animalia Iobo proponit, ex quorum indole et vitae ratione maxime varia discenda sit multiformis Dei rerum cura, sapientia, potentia; quem in finem quaerit de leone, corvis, ibice, cervis, onagro, rhinocerote, struthione (38, 39-39, 18), equo, accipitre, aquila; quibus auditis Iobus animo demisso audaciorem suum loquendi modum repudiat (39, 19-35).

Deus rationem, cur boni mala experiantur, aperit nullam ; infinitae et incomprehensae ut quis se tradat sapientiae postulat. Apte quidem, postquam ab Eliu ostensum est, hominem posse aliquas sapientiae Dei rationes intelligere. Iobum vero eodem modo, quo Eliu inceperat [1], audaciae arguit.

---

1. Idem *Sanct.* agnoscit : « eodem artificio usus est Eliu cp. 36. 37.,. immo videtur Deus explicare magis et augustius premere voluisse, quod Eliu 37, 18 dixit ». Bene; sed quale tunc iudicium de Eliu ferendum erit?

a) Iobus quaestionibus de creatione propositis exagitatur 38, 1-11.

Theophania fit in turbine. In tempestate Deus descendit in montem Sinai; Deus iudex magna cum terrae commotione descendens in Psalmis (17. 96) et apud Prophetas (Is. 64, 1. Mich. 1, 3) describitur; insuper turbo ad Dei maiestatem adumbrandam et homines reverentia imbuendos aptus est, aptus, ex cuius caligine Deus invisibilis verba faciat ad hominem; v. 1 « *Respondens autem Dominus Iob de turbine dixit* »: — bene notat *Ol.*, per turbinem circumstantes stupore ac metu percelli. Censet quidem *S. Thom.*, posse intelligi *metaphorice* dictum « ut haec responsio dicta sit inspiratio interior divinitus facta », censet *Caiet.*, rem hanc universam fuisse imaginariam, in somniis vel in ecstasi apparente Deo (et similiter *Rup.* et pauci alii apud *Pin.*); at merito interpretes verborum proprietatem retinentes *turbinem*, remque vere gestam, sonumque vocis in aere efformatum explicant (cf. *Ol. Pin. Cord.*). Dei autem manifestationem ope angelorum fieri, communis est et vera veterum doctrina (cf. *Suarez* de angelis, lib. 6, cap. 20; *Sanct.* ad h. l. et ad 3 Reg. 22, 22 et ad Act. 7, 38. — cf. 1, 6). Bene addere possumus cum *Cord.*: « quod turbo quoque potuerit fuisse symbolum calamitatis, quae Iobum oppresserat, in qua Deus apparuit ei ».

De nube igitur caliginosa Dominus loquitur v. 2 « *quis est iste involvens sententias sermonibus imperitis* »? — vel in hebr. *quis est iste obscurans consilium sermonibus absque scientia* i. e. non sine aliquo contemptu quaerit Deus, quis sit qui Dei consilio, quod adsit in aerumnis, verbis insipienter prolatis tenebras offundat, illud obscurum reddat, querelis suis et expostulationibus illud ex oculis hominum removeat. Iam ad quem haec Dei verba diriguntur? Illi fere omnes, qui Eliu multum vituperant, ad *Eliu* dicta esse volunt, immo iniquum suum de Eliu iudicium a Deo approbatum esse gloriantur (cf. *S. Greg. Phil. exp. in. Rup. S. Thom. Lyranus, Stunica, Titelmann, Sa, Sanct. Tir. Cord. Cod. Calm.*). At aperte falluntur. Verba enim ad *Iobum* dirigi, certum est; nam 1° Dominus dicitur respondere *Iobo;* quare LXX et *vet. lat.* clare id indicant: « et postquam quievit Eliu loqui, dixit Dominus ad Iob per turbinem nubis »; 2° ipse Iobus haec verba ad se dicta esse agnovit, cf. 42, 3; ergo omne dubium, si quod adsit, sublatum est; 3° ad Eliu dicta esse nullo modo possunt; *a*) Eliu enim primus Dei consilium interlocutoribus *aperuit; b*) Deus in genere arguendi ab Eliu incepto pergit, ergo hoc genus non repudiat; repudiaret autem et seipsum reprehenderet (quod perabsurdum est), si talia ad Eliu dicerentur; *c*) si ipse Eliu obvolveret tenebris Dei consilium, iam in tota disceptatione nil remaneret, quo Dei consilium patefieret.

Ita ad Iobum ex veteribus referunt *S. Chrys. S. Aug. Caiet.*[1] *Eugub. Malv. Men. Vav.*, sententiam hanc *Sanct.* putat non improbabilem, eam *Pin.* censet solidiorem, eam *recentiores* iuremerito amplectuntur *omnes*. Consilium vero Dei Iobus obscuravit, cum assereret, in se, utpote innocente, non adesse causam calamitatis, cum tamen Deus multiplices fines in aerumnis immittendis prosequatur. Iobi expostulationes hominum oculis tenebras offundere poterant, ne ad Dei consilia attenderent vel ut *benignam* providentiam in dubium vocarent. Hoc enim fixum esse debet, Deum semper uti consilio et sapientia, sed ex loquendi et arguendi modo, quem Iobus quandoque adoptavit, sequitur, hanc Dei sapientiam homini innotescere non posse, quantum requiratur et sufficiat ad hominem erigendum et consolandum. Demum ipso suo exemplo tenebris obvolvit Dei consilium; nimis importune a Deo postulavit, ut sibi rationem redderet de calamitatibus, animus autem impatientia commotus aptus non est, cui Dei cognitio illabatur. — Cum Deus argumentationem Eliu suam faciat (cf. 37, 18) eamque augustius prosequatur, etiam explicari potest, cur *explicite* de Eliu mentionem non faciat. Est enim satis approbationis et commendationis, quod Deus eidem argumento eodem modo insistens similem texere pergit sermonem. Quod aliquibus videtur, *interrumpi* sermonem Eliu a Deo, verum non est; nam 37, 24 apte et nervose *finem suae orationi imponit* Eliu, illa repetens, quae per integram suam argumentationem inculcaverat (cf. 37, 24).

Toties Iobus desideravit, ut coram Deo causam suam agere posset; immo professus erat « sicuti princeps adibo illum » 31, 37 — iam Deus adest, sed eius prima vox altiores illos spiritus plene deprimere et exstinguere censenda est. Ausus est Iobus dicere : *voca me et ego respondebo tibi — disputare cum Deo cupio* (13, 22. 3). Deus votis eius annuens, dicit v. 3 « *accinge, sicut vir, lumbos tuos; interrogabo te, et responde mihi* »! — i. e. para te, omnem tuam virtutem exsere; in hebr. *interrogabo te et tu doce me* magna cum ironia[2]. Iam Dei sublimitatem, potentiam, sapientiam, hominis vero imbecillitatem, ignorantiam eodem modo, quo Eliu, declarat sed dicendi genere etiam sublimiori et argumentis Deo loquente dignis. Et primo quidem de ipsa terrae creatione varia ex eo quaerit; v. 4 « *ubi eras quando ponebam fundamenta terrae? indica mihi, si habes intelligentiam* »? — i.

---

1. *Caiet.* ita : « verba enim Iobi multa fuerunt scandalosa, utpote habentia speciem mali et propterea quantum in ipsis erat, reddebant obscuram veritatem divini consilii ».

2. Bene *Caiet.* : « peccavit Iob *specie* arrogantiae, quia verba eius prae se ferebant arrogantiam, quia sunt suapte natura verba arrogantis... Deus non reprehendit intentionem sed verba publica habentia speciem arrogantiae et (ut addit 39, 34) parvipensionis Dei ».

e. Iobus quasi *hesternus* est, ineptus, qui de Dei opere iudicium ferat; cum de mundo hoc aspectabili dicere nullatenus possit, quando, quomodo conditus sit, quanto minus ergo praesumere debet Dei consilia in hominum gubernatione in dubium vocare! *Fundare* terram, metaphora est ab aedificio deprompta, quam in subseq. quoque prosequitur; v. 5 « *quis posuit mensuras eius, si nosti? vel quis tetendit super eam lineam* »? — i. e. quis magnitudinem terrae, variasque aedificii huius dimensiones descripsit ac definivit? quis usus est regula, seu libella, seu linea, qua aedificii lineamenta, longitudo, latitudo, ordo describuntur (cf. *Vav.*)? Quibus determinatis ad fundamentum iaciendum proceditur, v. 6 « *super quo bases illius solidatae sunt, aut quis demisit lapidem angularem eius,* v. 7 *cum me laudarent simul astra matutina et iubilarent omnes filii Dei* »? — i. e. quomodo fit, ut terra suo pondere in spatio libretur? quis stabilitatem illam condidit et firmiter a prima rerum creatione terrae indidit? nos quaestionem poneremus de gravitatis attractionisque legibus [1]. Dicit ei Deus : tu non exsistebas, et ego quid operatus sum? hocque opus feci, *dum exsultarent simul stellae matutinae et iubilarent omnes filii Dei*, dum coelum stelliferum et angelorum agmina de huius operis magnitudine, sapientia, splendore laetitia exsultarent. Praeclara sane et magnifica scena : Deus lapidem ponit angularem terrae : stellae lucidissimae laeto splendore assistunt gaudentes, angeli Creatoris laudes iubilantes concinunt : et Iobus de Dei providentia murmurat? ! Astra dicuntur *matutina,* i. e. recenter creata *(S. Thom. Men. Est.)*, vel splendidissima *(Malv. W.)* ; *laudant* « in quantum propter sui claritatem et nobilitatem sunt materia divinae laudis » *(S. Thom.)*, cum ipsa sua pulchritudine, mole, ordine Deum creatorem commendent; cf. Ps. 18, 1 *coeli enarrant gloriam Dei*... Ps. 148, 3 seq. Eccli. 43. 1 seq. Dan. 3, 59 seq. — neque opus est nomine astrorum iam angelos intelligere *(Mar.)*. Angeli *filii Dei* (cf. 1, 6; 2, 1; Ps. 28, 1) in terrae fundatione bene dicuntur iubilare propter gloriae Dei manifestationem [2] et quia illis habitaculum praeparatur, qui etiam ut filii Dei et angelorum consortes Dei laudes concinere debent et quos angeli ad tam excelsum finem suo ministerio provecturi sunt. — Lapides angulares cum sollemnitate et cantu ponebantur, cf. Zach. 4, 7. Esdr. 3, 10. Lapidis angularis positio terrae primam formationem et quasi in mundo positionem certo loco et ordine factam dicit; cum huic positioni iam astra dicantur adstitisse, evidens est s. auctorem

1. Bene notat *Humboldt* (Kosmos II, 48 1 ed.) proponi quaestiones, die unsere heutige Physik zwar wissenschaftlicher zu formuliren, aber nicht befriedigender zu lœsen weiss. (Cf. *Le Hir* p. 389).

2. Cf. *Barh.* « angeli eum laudabant, quando admirabilem creaturam videbant ».

opus diei quarti (Gen. 1, 16) non ita intellexisse quasi post terram plantis ornatam tum demum astra sint condita.

Post primam terrae formationem transit ad opus illud congregationis aquarum (cf. Gen. 1, 9) ; v. 8 « *quis conclusit ostiis mare, quando erumpebat quasi de vulva procedens* » ? — terrae abyssus (i. e. fons maris, *Barh.*) quasi vulva est, ex qua Dei manu obstetricante effusum est mare [1], quod ab ipso suis terminis est conclusum ac circumscriptum. Dei bonitatem ac sapientiam praedicat, qua maria intumescentia compescuntur ac sapienter ad utilitatem disponuntur; litoribus quasi ostiis concluduntur vel, ut *S. Ephraem* dicit, arena vili ea obsignavit. Iam opus illud « congregationis aquarum » etiam distinctius delineat ; v. 9 « *cum ponerem nubem vestimentum eius et caligine illud quasi pannis infantiae obvolverem* » ; — i. e. aquae tenebris et densis nebulis involutae et obtectae erant ; istis quasi fasciis mare obvolvebatur, cum de terrae visceribus erumperet. Terram densis vaporibus obvolutam, ex quibus aquae paulatim concrescebant, etiam recentissimi, qui de cosmogonia scripserunt, adstruunt. Aquis vero et maribus demum certi termini assignati sunt, v. 10 « *circumdedi illud terminis meis et posui vectem et ostia,* v. 11 *et dixi : usque huc venies et non procedes amplius et hic confringes tumentes fluctus tuos* » ; — hebr. proprie *fregi circa illud terminum meum* i. e. alveos eius velut cunas exaravi (*Malv.*), vel litora varios in modos fracta et circumducta ei ut terminum assignavi *et hic ponatur* (terminus) *contra superbiam fluctuum tuorum ;* « ut mirum sit, ipsos furentes ac tumidos fluctus in se ipsos reduci et in se ipsis debilitari et frangi » (*Pin*) ; *mirabiles elationes maris, mirabilis in altis Dominus !*

b) **Iobus impar quoque est quaestionibus de mundi cursu ordinario 38,12-38.**

Operi creationis utique Iobus non interfuit ; v. 4 *ubi eras ?* unde non adeo mirum, si de illo rationem nequit reddere. Quare Deus transit ad mundi cursum et gubernationem, quae fit *Iobo cernente*, eumque etiam in hisce impotentiae et ignorantiae convincit. Et primo quidem de constantissimo diei ortu quaerit ; v. 12 « *Numquid post ortum tuum praecepisti diluculo et ostendisti aurorae locum suum* » ? — hebr. *num ex diebus tuis* (i. e. dum tu vivis ; cf. v. 4) *praecepisti matutino* (tempori) *et assignasti aurorae locum suum?* tot scil. dies iam vixit Iobus ; num *unum* unquam adduxit ? aut num cum effectu illis cooperatur, quae ortu diei eveniunt in terra ? haec enim tanguntur in subseq. v. 13 « *et tenuisti con-*

1. *B.* bene scribit in textu hebr. uti vulg. habet *quis conclusit* umi sakh.

cutiens extrema terrae et excussisti impios ex ea » ? — hebr. *ad tenenda oras terrae et excutientur impii ex ea*, scil. aurora totam terram occupat et perlustrat; luce autem exorta impii *excutiuntur*, utpote lucifugae fugantur (cf. 24, 13) et latebras quaerunt; tenebris impii grassantur; aurora quasi Dei ministra excutit a terra, arcet, abigit in latibula impios (cf. *Pin. Cord. Vav. Cod. Malv.* III). — Porro describit luce exorta rebus suum colorem atque figuram restitui v. 14 in hebr. *transformat se* (terra) *sicut argilla sigilli et stant* (res) [1] *sicut vestimentum* i. e. terra tenebris obtecta omni quasi forma et pulchritudine caret; luce vero quasi sigillo impresso varias prodit formas, species, figuras; rerum varietate ut pulcherrimo ornatu vestitur.

In eundem sensum vulg. v. 14 « *restituetur ut lutum signaculum, et stabit sicut vestimentum* »; — bene *Cord.* : « sigillum illud aut forma rerum, quae luce se prodit, tenebris velut emoritur, apparente luce reponitur, restituitur, reparatur, qua facilitate lutea materia in varias formas compingitur, variasque impressiones recipit et sigilla... illud vero *stabit sicut vestimentum*, significat lucem esse pulcherrimum quoddam rerum indumentum », vel potius terra luce collustrata quasi pulcherrimo ornatu variaque veste induitur; ex tenebrarum aequalitate ad varias rerum species et formas emergit (cf. *Pin. Cod. W.*). Impiis vero lucis reditus ingratus exsistit, v. 15 « *auferetur ab impiis lux sua et brachium excelsum confringetur* »; — cf. v. 13; 24, 13; impiis enim *lux* est nox; die appropinquante illis dies quasi aufertur; opera illorum et facinora impediuntur (*Caiet. W. Zsch. Del. P.*); quod alii volunt, statum felicem impiorum ruina everti (*Mar. Malv. Vav. Cord.*) vel lucem vitae iis adimi (*Men.*), a proposito est alienum neque ad 24, 17 aptum, ad quem locum hic aperta adest allusio, neque impiorum ruina vel mors ullo modo cum quotidiano aurorae recursu connectitur. Alias magis etiam contortas explanationes vide, si lubet, apud *S. Thom.* et *Pin.*

Secundo ex Iobo quaerit, num terram, quam diu iam inhabitat, perambulaverit eamque penitus cognoscat; v. 16 « *numquid ingressus es profunda maris et in novissimis abyssi deambulasti* » ? — LXX et *vet. lat.* : « venisti ad fontem maris »? ita hebr. communiter intelligunt (cf. *Malv. W. Del. Hirz. Zsch. P. Le Hir*) *et in fundo abyssi deambulasti?* num scil. abdita et ima terrae cognoscis? Istis contiguae censentur inferorum foveae; quare v. 17 « *numquid apertae sunt tibi portae mortis et ostia tenebrosa vidisti* »? — Deus haec omnia penetrat, uti ipse Iobus asseruerat (26, 6) — sed homo? eo minus ergo decuit talem cum Deo expostulare. — At haec abdita sunt et obtecta. Transit ad ea, quae

1. *B.* textui inserit *opera mea.*

oculis patent; v. 18 « *numquid considerasti latitudinem terrae, indica mihi, si nosti omnia* » ! — hebr. *latitudines terrae* i. e. varias dimensiones; *indica, si nosti eam totam.* Terram pedibus calcat, at quantam demum partem novit ?

Quid magis quotidianum, quam lucis tenebrarumque vicissitudo ? Sed quotidiana, quae maxime adiacent — non, uti terrae latitudines, oculos prorsus effugiunt — tamen ignoramus. Unde etiam hic cernitur gradatio; v. 19 « *in qua via lux habitet, et tenebrarum quis locus sit* » ? — hebr. *ubi via* (quo) *habitat lux?* quae ducit ad lucis habitaculum (cf. *Malv. W.*) i. e. ubi lux et tenebrae sedem suam habent, ex qua quotidie in orbem terrarum egrediuntur ac diffunduntur. Bene perpendit *Cord.* : « cum lux et tenebrae alternatim statis horis velut e domicilio ad terram occupandam procedant et redeant, poetice pro libri huius stilo interrogatur Iobus, quis sit lucis ac tenebrarum locus, quae via, quis recessus. Videtur enim obscuritas nocturna velum quoddam, quod nocte appetente explicetur, orbique terrarum iniiciatur, summo mane replicetur, seponaturque in locum abditum, in solis occubitu resumendum... ». Num Iobus quotidiana illa administrare potest ? v. 20 « *ut ducas unumquodque ad terminos suos et intelligas semitas domus eius* » ? — num potes adducere et reducere lucem et tenebras? num scis multiplices illas rationes et vias, quibus e domo sua diffunduntur illucque redeunt? Sed si quotidiana haec ignorat, quomodo cum Deo audet disceptare?

Hoc magna cum ironia ei exprobratur v. 21 in hebr. *novisti, nam tum* (*olim*) *natus es et numerus dierum tuorum est magnus* i. e. hoc debes scire; LXX ὅτι τότε γεγέννησαι ; cf. 15, 7. Aliter *vulg.* v. 21 « *sciebas tunc, quod nasciturus esses et numerum dierum tuorum noveras* » ? — i. e. cum ego talia molirer, non eras uspiam; immo ne illud quidem nosti te nasciturum aliquando ; « mens Dei est se sempiternum esse, Iobum autem paucos ante annos natum, ac proinde sapientiam divinam infinite perfectam venerari debere nec illam curiosius perscrutari » (*Cord.*). Verum cum satis mirum sit aliquem interrogari, num scivisset se nasciturum, versio *vulg.* sensum textus originalis non attigisse censenda est ; neque obstat imperf. תִּוָּלֵד ; nam אַתָּה ita saepe de actionibus praeteritis cum imperf. iungitur (cf. Ex. 15, 1. Ios. 8, 30. 1 Reg. 26, 21; 2 Reg. 15, 16 — Ewald, Lehrb. § 136 *b*.).

Illa quoque, quae in aere fiunt et variis tempestatibus in terram devolvuntur, nescimus ; v. 22 « *numquid ingressus es thesauros nivis aut thesauros grandinis aspexisti* » ? — nives et grandines unde veniant, quo reponantur, quomodo tanta vi irruant, qua postea ratione coerceantur, Iobus ignorat; cf. Ps. 134, 7 ; uti prius luci et tenebris certus

constitutus est locus, ubi se definitis temporibus condant, sic nunc nivi et grandini sua tribuuntur reconditoria ac horrea, *thesauri;* ibi illa ad tempus pugnae promenda asservantur, v. 23 « *quae praeparavi in tempus hostis, in diem pugnae et belli* » ; — cf. 36, 31. 32. Ps. 148, 8. Ez. 13, 13. Agg. 2, 17. Eccli. 39, 35; et quandoque istis hostes fudit fugavitque ; Ex. 9, 23 (de quo iam *Chald.*), Ios. 10, 11.

Hebr. etiam *quae asservo in tempus angustiae*, quando scil. homines angustiis et poenis coercere vult, et hostes suos rerum naturalium eventibus debellare. Uti Eliu, ita etiam Deus explicite effert, illa a Deo *ad certos fines* ordinari. Ita enim multis Iobi querelis fundamentum subtrahitur.

Transit ad alia, quae in aere fieri cernimus : ad fulgura v. 24 « *per quam viam spargitur lux, dividitur aestus super terram* » ? — hebr. קָדִים ventus orientalis urens; *lux* [1] melius de fulgure (cf. 36, 30 ; 37, 3) intelligitur (cf. *Men. Calm. W.*), quam de lucis diurnae diffusione, de qua v. 12 et 19 sermo erat. Fulminibus bene adiungitur ventus urens. Unde veniant, quo vadant, quomodo excitentur, coerceantur, et quomodo tam stupendam vim et vastationem efficere possint, homo ignorat; et tamen cum Deo congredi audet? Quare interrogatione mutata iterum ad *Dei* sublimitatem potissimum efferendam sermo dirigitur (cf. v. 5) ; v. 25 « *quis dedit vehementissimo imbri cursum et viam sonantis tonitrui* »? — hebr. *quis divisit inundationi* (i. e. magnis imbribus) *canales* i. e. ut rite et ordinate pluviae effundantur ; alterum membrum cf. 28, 26 *viam procellis sonantibus* ; i. e. Deus iis mandat, qua via, quo ordine ingruere debeant ; eaque *apte* disponit et dirigit, v. 26 « *ut plueret super terram absque homine, in deserto, ubi nullus mortalium commoratur*, v. 27 *ut impleret inviam et desolatam, et produceret herbas virentes* » ; — uti Eliu 37, 13 statuerat; nota, quantopere Deus illam arguendi viam teneat, quam Eliu prior ingressus erat. Ipsi quoque deserto Deus pluviam suam et providentiam non denegat, « quod ad liberalitatem et magnificentiam Dei pertinet, qui in desertis etiam herbas alit » (*Men.*). Ita enim belluis atque feris et avibus se providere declarat; quanto magis homini (cf. *Vav. Pin.*).

Haec, ut Iobus perpendat, monet v. 28 « *quis est pluviae pater vel quis genuit stillas roris* » ? — hebr. *estne pluviae pater ?* i. e. num homo ea efficere potest? quo auctore fiunt ? v. 29 « *de cuius utero egressa est glacies? et gelu de coelo quis genuit* » ? — hebr. *et pruinam coeli quis genuit ?* cf. Ps. 147, 16. 17; i. e. frigus aeris (*Barh.*) ; et quanta vi omnia constringantur, declarat v. 30 « *in similitudinem lapidis aquae*

1. *B.* corrigit רוּחַ ventus; LXX habent pro אוֹר πάχνη pruina; *Syr.* et *Chald.* textum hebr. exprimunt.

durantur et superficies abyssi constringitur » ; — cf. 37, 10 ; Eliu sermonem Deus adoptat ; superficies aquarum, lacus, maris gelu et glacie constringitur.

חָבָא proprie *abscondere ;* unde etiam h. l. aliqui explicant : aquae absconduntur sub specie quasi lapidis, cum in glacie delitescant aquae (cf. *Mar. Malv. Cod. W. Del. P.*) ; alii vero aptius חָבָא se retrahere, condere, inde hithp. *indurari, arcte inter se colligari* exponunt (cf. *Hirz. Hitz.*), quare optime *vulg. aquae durantur* (cf. *Zsch.*).

Per totum creationis ambitum Deus Iobum circumducit. Iam eum iubet oculos attollere ad astra lucidissima et ex coeli stelliferi maiestate et amplitudine discere, *quoniam qui haec fecit, fortior est illis, et quanto his dominator eorum speciosior est* (Sap. 13,3.4)? Unde v. 31 « *numquid coniungere valebis micantes stellas Pleiadas, aut gyrum Arcturi poteris dissipare* » ? — hebr. *num ligabis fasciculos Pleiadum* (cf. 9,9)? sunt enim stellae valde inter se propinquae, quae quasi armillam coeli stelliferi efficiunt ; unde quaerit, num ille hanc armillam composuerit, iunxerit iunctamque conservet.

Similiter LXX δεσμὸν δὲ Πλειάδος ἔγνως ; *vet. lat.* « intellexisti nexus Pleiadis » ? מְעֲדַנּוֹת proinde non *deliciae* sunt, sed explicanda vox est per metathesin ex עָנַד (cf. *Malv. Hirz. W. Hitz.*)[1]. Sunt Pleiades latinis *Vergiliae* in Tauri parte anteriore infra pectus eius (cf. *Cod.*). Uti haec sidera coniungere non valet Iobus, ita e contrario alia non potest inter se separare, tollere ; hoc in altero membro : *num vincula* (*Hirz. Del. Zsch.* zonam, cingulum *Hitz.*) *Orionis solves ?* LXX ἢ φραγμὸν Ὡρίωνος ἤνοιξας ; de voce cf. 9, 9 ; LXX vertunt ἕσπερος et ὡρίων, uti h. l. ; *vulg. Orion* et *Arcturus*. Rem ita explicat *Ol.* : « quae necessitas, quod vinculum illa constringit et sidera in unum coire facit ? num tuae prudentiae opus est, quod ita vinciantur et in hunc modum simul sitae sint stellae, quae Pleiadem conficiunt ? vel an causam nosti, ob quam ita inter se copulentur ? Cum Orion certo tempore appareat, an tu, inquit, causa es, quod quasi sepimento interposito occultetur et rursus appareat » ?

Eadem ratione pergit v. 32 « *numquid producis Luciferum in tempore suo et Vesperum super filios terrae consurgere facis* » ? — i. e. uti astra neque posuisti nec auferre potes, ita ut oriantur et luceant illa, minime in tuo arbitrio est positum ; nihil vales.

LXX retinent vocem hebr. Μαζουρώθ ; item *vet. lat.* « an aperies Mazuroth

---

1. Quare etiam aliqui h. l. מַעֲנַדּוֹת scribi volunt. — *Aq.* et *Sym.* ἢ (εἰ) συνάψεις μόρια Πλειάδος.

in tempore suo »? Interpretantur vel *signa Zodiaci*[1] (cf. *Cod. Mar.* apud *Malv. Hirz. Del. Zsch.*), vel *coronam* (*W. P.* בֶּזֶר corona), vel planetam *Iovem* (*Fürst L.*) vel *stellam Veneris, Luciferum*, uti *S. Hier.*, cui accedit *Hitz.* — ultimum ex altero membro Ἔσπερον commendatur; hebr. עַיִשׁ (cf. 9, 9) *ursam* intelligunt (*Hirz. W. Del.*); et *arcturum cum suis filiis deducis?* an simul cum stellis, quae ipsum comitantur, tu girare facis?

Quaestiones de coelo stellifero generali interrogatione absolvit v. 33 « *numquid nosti ordinem coeli et pones rationem eius in terra* »? — i. e. num *statuta* (hebr.) et leges noscis quibus coeli reguntur; num tu *ponis*, i. e. ordinas vel constituis *rationem coeli*; habitudinem, *dominium* (Gen. 16, 1) coeli, quod exercet in terram (cf. *Mar. Malv. W. Del. Le Hir, Zsch.*)? i. e. quae munera exerceat coelum, quomodo gubernatione sua valeat in terram, quae ratio mutua inter utrumque intercedat.

Sicut Iobus nullum exercet imperium in coelum superius stellarum, ita etiam in coelum inferius nubium plane impotens est; id v. 34-38 prosequitur; v. 34 « *numquid elevabis in nebula vocem tuam et impetus aquarum operiet te* »? — clarius in hebr. *num elevabis ad nubem vocem tuam* i. e. num potes nubi praecipere, ut copiose pluat; num tuae voci obediet (cf. *Tir. Mar. Malv. Men. Vav. W. P. Zsch.*), ut pluviam demittat? De tonitru explicare (*S. Thom. Calm.*), vocibus et contextui non satis cohaeret. De tempestatibus enim agit subsequens versus: v. 35 « *numquid mittes fulgura et ibunt? et revertentia dicent tibi: adsumus* »? — hebr. *et dicunt tibi: ecce nos* i. e. num tibi dicto audientia sunt, ad tuum imperium plane accincta et parata? *ecce nos* vox est humiliter servientium.

Cum etiam v. 37. 38 in hebr. apud LXX, Syrum et unum Targum de nubibus sermo sit, versus 36 certe de eadem nubium regione erat explicandus: *quis posuit in nubibus sapientiam vel dedit meteoris intelligentiam* scil. ut ad fines praestitutos agant, Dei mandatis obsequantur sive ad hominum terraeque utilitatem sive ad castigationem (cf. 37, 13. 38, 23). Ambiguae sunt voces טָחוֹת et שֶׂכְוִי; illa alias *interiora, abscondita* (Ps. 51, 8) significat et similiter etiam h. l. a *Chald.* et *S. Hier.* et *Syro* (*occultum*, anima *Barh.*) explicatur. At vox potest ex *arabico* significare *obscurum*; unde et Ps. 51, 8 interiora hominis utpote *obscura* dicta sunt et h. l. *atrae* nubes (cf. *Hirz. W. Zsch. Hitz. P. Le Hir*).

---

1. Cf. *Ol.*: « coetum siderum *Mazuroth* vocat, quae usu loquendi ζώδια vocantur. Quomodo igitur, inquit, haec claustris includuntur ac stato tempore apparent? Alii vero... significare dicunt sidereum *canem* ». 2 Reg. 23, 5 מַזָּלוֹת legitur, quo loco LXX etiam μαζουρώθ habent, *vulg. duodecim signa*, sicut etiam rabbini illas *mansiones* explicant et *Chald.* nostro loco habet מַזָּלַיָּא; unde non est improbabile, etiam in hac voce, uti saepius, ר et ל inter se commutari. *Sym.* σκορπισθέντα vertit. Similia ex *Aq.* affert cod. syr. hexapl.

Altera vox φαινόμενον, *figmentum* explanari potest; cf. שָׂכָה *cernere, imaginari* מִשְׂכִּיּוֹת Ps. 73, 7 *figmenta* cordis; unde varia illa dici possunt, quae in aere apparent, cernuntur (cf. *W. Zsch. Hitz. P. Le Hir*). Haec cum antecedentibus et subsequentibus congruunt.

S. Hier. traditionem rabbinicam secutus, qua vox hebraica *speculator, gallus* explicatur[1], ita vertit v. 36 « *quis posuit in visceribus hominum sapientiam vel quis dedit gallo intelligentiam* »? — idem ex hebr. vertit *Del.*; congruit *benedictio* illa ei praescripta apud Talmudistas, qui galli cantum audivit : « benedictus, qui gallo intelligentiam dedit ad distinguendum inter diem et noctem », et de tali cantu nocturnas horas distinguente textum lat. explanant (cf. *Cord. Men. Tir. Mar. Vav.*), ita v. g. *S. Thom.* : « intelligentia hic sumitur pro naturali quadam aestimatione secundum quam ad motum intelligentis operatur, quia ipsa eius naturalis aestimatio ab intellectu divino ei datur. In hoc autem videtur gallus quandam intelligentiae similitudinem habere, quod determinatis horis in cantum prorumpit, ac si cognosceret proportiones coelestium motuum ». Sed bene notat *Pin.* : « in quibus semper illud desideravimus: cohaerentiam et nexum cum praecedentibus et sequentibus ».

Ipse voces etymologice explicat : quis in *occultis* (scil. de quibus sermo erat : viis lucis, fontibus maris, cellariis nivis) posuit sapientiam et in *conspicuis* (tonitru, glacie, sideribus) intelligentiam ? i. e. ubique relucet divina sapientia[2].

Ad textus hebr. explanationem arcte adiungitur v. 37 in hebr. *quis dinumerat aethera in sapientia et utres coeli quis effundit ?* v. 38 *dum funditur pulvis in massam fusilem et glebae inter se adhaerescunt* i. e. quis in sapientia aethera, nubes, vapores suo ordine et numero disposuit et *utres coeli*, quibus aquae reconditae sunt, pluviarum igitur promptuaria quis effundit? cf. Gen. 7, 11 *cataractae coeli apertae sunt. S. Hier.* נֵבֶל (alias vertit *lagena* Is. 30, 14; amphora 1 Reg. 1,24 ; uter 2 Reg. 16, 1 etc.) h. l. ut instrumentum musicum (νάβλα, nablium) interpretatus *concentum coelorum* expressit et שָׁכַב nativa sua significatione *iacere, dormire* accepit.

Unde vulg. v. 37 « *quis enarrabit coelorum rationem et concentum coeli quis dormire faciet* »? — i. e. vel ordinatissimum cursum stellarum quis cessare faciet (*Men.*), vel « concentus ille, quem elementa

---

1. Ita iam alterum Targum — locos ex Talmude cf. apud *Del.*, et alia rabbinica testimonia apud *Cod. Pin.*

2. Mira habent LXX et *vet. lat.* : —« quis dedit mulieribus texturae sapientiam et varietatum scientiam »? (ποικιλτικὸν ἐπιστήμην). Targum prius : quis posuit in *renibus* sapientiam, aut quis dedit *cordi* intelligentiam? *Syrus :* quis posuit sapientiam in abscondito aut quis dedit perspicacitatem intelligentiae? *Sym.* ἢ τίς ἔδωκε μεμωραμένῳ ἔννοιαν.

efficiunt, qui consurgit ex pluvia, tonitruis, fulminibus, tamquam ex proportione numerorum musicorum » (*Pin. Cord. Tir.*). Melius LXX textum hebr. intellexerunt : τίς δὲ ὁ ἀριθμῶν νέφη σοφίᾳ, οὐρανὸν δὲ εἰς γῆν ἔκλινεν ; sed *Theod.*[1] *Sym.* et *vet. lat.* iam habent : « *organa* coeli in terram declinavit ». Verum ista organa et ille concentus satis iam refutantur v. sequenti, qui utique *utres coeli declinatos* et effusos aperte supponit v. 38 « *quando fundebatur pulvis in terra et glebae compingebantur* » ; — i. e. pluviis terrae pulvis funditur in massam fusilem (hebr.), colliquescit aridus pulvis et fit materia fluens et glebae arcte inter se compinguntur ; effectus designantur pluviae in terram siccitate exustam. Subito enim Deus aspectum et quasi faciem terrae mutare potest.

c Hominis impotentiam illustrari ex ipsis animalibus 38, 39-39, 18.

Sed haec merito censeri possunt altiora, quam ut ab homine attingantur. Unde quo magis pateat hominis infirmitas magisque Iobus pudore suffundatur, Deus cum ipso ad terram et ad ipsa *animalia* descendit ; v. 39 « *Numquid capies leaenae praedam et animam catulorum eius implebis*, v. 40 *quando cubant in antris et in specubus insidiantur* » ? — incipit a rege brutorum ; num tu leaenae et catulis cibum providere potes ? Simul Deus indicat, quam provide ipsa animalia pascat eorumque curam gerat ; unde Iobum perstringit acerbius querentem de divina circa homines providentia. In hebr. *sedent in umbraculo ad insidias*. Bestiarum *indolem* delineat ; Deus unicuique secundum *indolem* et *naturam* providet ; in tanta varietate et sapientia et potentia cernitur. Est igitur haec ironica interrogatio : qui audes cum Deo expostulare, num eius vice mundum gubernare vis ? ne leaenae quidem et corvis cibum posses subministrare ! Hanc Dei curam in *corvis* exhibet v. 41 « *quis praeparat corvo escam suam, quando pulli eius clamant ad Deum vagantes, eo quod non habeant cibos* » ? — *clamant ad Deum* S. Thom. exponit : « hoc non est intelligendum, quasi pulli corvorum Deum cognoscant ; sed hoc dicitur, quia quaelibet res naturalis suo desiderio in hoc ipso, quod aliquod bonum appetit, quasi intendit aliquid a Deo inquirere, qui est auctor bonorum omnium » ; cf. Ps. 146,9 : qui dat iumentis escam ipsorum et pullis corvorum invocantibus eum.

Varias veterum fabellas de pullis corvorum speciali modo a Deo enutritis vide apud *Ol. S. Thom. Pin. Tir. Calm.* et praecipue apud *Bochartum*, Hierozoicon p. II. l. 2 cap. 11.

Iobus animalibus providere non posset ; neque id mirum, cum plu-

1. Cf. cod. syr. hexapl.

rima de ipsis animalibus ignoret ; simul cum impotentia *ignorantia* eius perstringitur ; unde 39,1 « *numquid nosti tempus partus ibicum in petris, vel parturientes cervas observasti* » ? hebr. proprie appellantur *ascendentes petram*, unde *rupicaprae* aliqui vertunt (cf. *Malv. Vav. Ros. W.*) et illud *in petris* (quod abundat in latina versione) explicatur. *Observationem* dicit, quae curam, sollicitudinem, adiutorium includat. Et in quantum haec omnia necessario desint Iobo, latius explicat v. 2 « *dinumerasti menses conceptus earum, et scisti tempus partus earum* » ? — hebr. *dinumeras menses* (quas) *implent*? i. e. num tu definis, ordinas.. ? Sine ulla *hominum* ope pariunt, idque facile v. 3 « *incurvantur ad foetum et pariunt et rugitus emittunt* » ; — hebr. *incurvantur, pariunt foetus suos, dolores suos dimittunt* ; quam *facile* edant foetus, describit ; etiam statim doloribus partus defunguntur. Mox etiam sine *humana* ope vel industria pulli earum adolescunt, roborantur ; v. 4 « *separantur filii earum et pergunt ad pastum* ; *egrediuntur et non revertuntur ad eas* » ; — hebr. *convalescunt... adolescunt in campo* (cf. *Malv. Cod. W. P.*)[1].

Deus etiam *onagro* providit et ea illi assignat, quae eius indoli conveniant ; v. 5 « *quis dimisit onagrum liberum et vincula eius quis solvit* » ? — Sine ulla *hominum* ope vel cura vivit et per deserta liberrime vagatur[2]. Quam nihil homo ei tribuat, exhibet v. 6 « *cui dedi in solitudine domum et tabernacula eius in terra salsuginis* » ; — hebr. *cui posui* (assignavi) *solitudinem domum et habitacula eius salsuginem* i. e. terram incultam et sterilem, [3] sale impraegnatam (cf. Virgil. Ge. 2.238 salsa tellus et quae perhibetur amara frugibus infelix) ; ibi procul ab hominibus libertate sua gaudet v. 7 « *contemnit multitudinem civitatis, clamorem exactoris non audit* » ; — hebr. *ridet tumultum urbis* ; servitutem non servit ; suo modo iucundam degit vitam ; « absque hominum providentia gubernatur.. habet per divinam providentiam sibi habitaculum praeparatum » (*S. Thom.*) et cibum abundanter etiam in deserto subministratum, v. 8 « *circumspicit montes pascuae suae et virentia quaeque perquirit* » ; — similiter LXX κατασκέψεται ὄρη νομὴν αὐτοῦ et *Chald.*

Unde יָתוּר legendum erit, vel יְתוּר ad formam aramaizantem referendum est

---

1. בָּר est *ager*, saltus, (igitur in silvis, sub dio adolescunt et pinguescunt) significatione ex aram. petita, quae hic certe non incongrua est ; *ad pastum* respicit בָּר *frumentum* ; similiter LXX πληθυνθήσονται ἐν γεννήματι.

2. עָרוֹד in altero hemistichio *fugax, currens* nomen est chald. eiusdem significationis ac פֶּרֶא (onager) a cursu citissimo.

3. Cf. *Barh.* terra quae non scritur.

(cf. *Zsch. Hitz.*); alii ut substantivum explicant : *indagatio montium* i. e. id quod in montibus exploratur est pascua eius (cf. *Mar. Malv. Hirz. W. Del. P.*); at parallelismus priorem explanationem commendat; insuper valde incertum est, num vocis forma sensum *passivum* prae se ferat; analogia cum יְקוּם (Gen. 7, 4. 23; Deut. 11, 6) et forma ipsa sensum *explorans* omnino suadet. Alii gratuito = יִתֵּר *abundantia* vocem accipiunt.

Quam *debilis* homo sit, alio exemplo *bubali feri* (v. 9-12) illustratur. Ex ipsa descriptione opponi animal hoc *bovi* domestico laboribus et aratro assueto elucet. Quare רֵים *bubalum ferum* explicamus (cf. *Hirz. W. Zsch. P. Le Hir*); certe idem est ac רֵם, רְאֵים, רְאֵם; LXX vertunt μονοκέρως (Num. 23, 22. Deut. 33, 17. Ps. 21, 22; 91, 11; 28, 6) semel Is. 34, 7 ἁδρός *robustus; S. Hier.* explicat *rhinoceros* (sim. *Aq.* h. l.) semel (Is. l. c.) *unicornis;* in *vet. lat.* et in Ps. legitur *unicornis;* alii interpretantur *oryx* (cf. *Ros. Del.*), vel *antilope leucoryx* (cf. *Schrader*, Keilinschr. u. A. T. 2 ed. p. 160); *Fillion* explicat *bos urus* (Atlas d'histoire naturelle de la Bible). In monumentis assyriacis saepius cernitur animal robustum, tauro fero haud absimile, cui nomen *rimu* (cf. *Schrader* l. c. p. 456).

Uti v. 5-8 asinus ferus domestico ita v. 9-12 bos ferus domestico tacite comparatur; v. 9 « *numquid volet rhinoceros servire tibi, aut morabitur ad praesepe tuum?* v. 10 *numquid alligabis rhinocerota ad arandum loro tuo, aut confringet glebas vallium post te* »? — hebr. v. 10 *num ligabis bubalum ad sulcum funis sui*; *num occet convalles post te?* sed textus vix est sine corruptione; nam *ligare ad sulcum funis* et *valles occare* nimis mirum est; melior textus est LXX et *vet. lat* : « alligabis in loris iugum suum, aut ducet tibi sulcos in campo »? — cf. *Syrus* : num ligabis iugum super cervicem eius?

Quare non immerito ex vestigiis LXX *Hitz.* textum hebr. emendat, scribens in priore membro pro תַּלֵּם vocem ex Prov. 1, 9 עֲנָקִים : num ligabis ad bubali *collare* funem eius; et in altero יְהַלֵּם *et occet sulcos post te*, i. e. tibi obsecutus; unde facile עֲמָקִים *valles* (*Sym.* κοιλάδας) quomodo vitio scribarum irrepserit, patet. *S. Hier.* ad sensum textum hebr. transtulit, quem nunc legimus, sed absurditatem *vallium* sentiens *glebas* addidit, uti in priore membro ad *sulcum* scil. faciendum = *ad arandum* exposuit. *Le Hir* vertit : l'attacheras-tu d'une corde dans *tes* sillons ? traînera-t-il *la herse* derrière toi ? Sim. *Renan.*

Homo nimis debilis est; non potest maximum illius robur ad servitutem adigere; v. 11 « *numquid fiduciam habebis in magna fortitudine eius et derelinques ei labores tuos* »? — hebr. *num ei fides, quia magnum robur eius?* num propterea potes ei labores, agriculturam committere? utique robur eius tibi commodo foret; sed non potes eum domare. Ironia est. Neque ad messis labores eum adigere vales; v. 12 « *numquid credes illi, quod sementem reddat tibi et aream tuam congreget* »? — i. e. etsi desideras uti eius viribus, non vales; fruges maturas, quae sunt quasi usura sementis, in aream plaustro tibi non trahet; *aream congregare* forte durius est dictum pro *in* aream, nisi

per synecdochen continens pro contento (Deut. 15, 14?) positum esse dixeris. Quomodo hisce Iobus imbecillitatis suae admoneatur, *Pin.* alio parumper modo ita prosequitur : « tibi, o Iob, mansuetae illae asinae, boves pauci serviebant... at mea familia amplissima, quippe serviunt mihi etiam ipsi onagri iugi impatientes et servitutis inexperti... mihi obsequuntur, ad praesepe meum commorantur rhinocerotes... ».

Quam multiplex et varia sit divinae administrationis ratio, in *struthione* illustratur v. 13-18; et primo adnotatur,in quantum eadem species externa dissimilem etiam indolem et naturam admittat; v. 13 « *penna struthionis similis est pennis herodii et accipitris* » ; — hebr. sic recte vertes [1] : *ala struthionis* (quae) *laetabunde exsultat, num penna pia* (*iconiae*) *et pluma?* עֲלַס cf. 20, 18 et Prov. 7, 18; rite expressit *Chald.*, dum LXX vocem hebr. νεέλασα retinent; in voce חֲסִידָה pulchra est allusio : vox enim significat *pia* et avem piam = *ciconiam* [2] dicit: נוֹצָה *pluma*, uti ipse *S. Hier.* Ez. 17, 3. 7 transtulit. Sensus igitur est : num struthio avis eandem habet indolem ac naturam erga pullos piam sicut ciconia? habet alam, pennam, plumam et in hac re non adeo dissimilis est a ciconia; sed quantum indole et moribus distet, a v. 14 declaratur [3]. Iam quanta intercedat in similitudine *dissimilitudo*, bene proponitur v. 14 « *quando dereliquit ova sua in terra, tu forsitan in pulvere calefacies ea?* v. 15 *obliviscitur, quod pes conculcet ea, aut bestia agri conterat;* v. 16 *duratur ad filios suos, quasi non sint sui; frustra laboravit, nullo timore cogente* » [4]. —

De indole struthionum hic descripta in excludendis ovis cf. veterum sententias apud *Malv. Pin.* ; in altero hemistichio תְּחַמֵּם *calefacies* cum *S. Hier.* verti *potest*, quamvis desideretur et pronomen personale, quod ob oppositionem exigitur, et interrogationis signum ; at iam LXX vertunt ἐάλψει, *vet. lat.* « et in pulvere calefiunt » et similiter *ea sint*

---

1. *Aq.* habet πτερύγιον αἰνούντων συναναπλέκει — *Sym.* πτερὸν ἀγλαϊσμοῦ περιφύεται.

2. Ita recentiores omnes; LXX varie vertunt : ἔποψ, ἐρωδιός, πελεκάν ; et ipsam etiam vocem hebr. ἀσίδα retinent. *Sym.* h. l. κύκνος praebet, *Aq.* ἐρωδιός ; *S. Hier.* etiam pro lubitu variat : *herodio* (Lev. 11, 19 — cf. Ps. 103, 17), *onocrotalus* (Deut. 14, 18), *milvus* (Ier. 8, 7. Zach. 5, 9) h. l. *herodius*, dum LXX vocem hebr. servaverint. De ciconia, symbolo pietatis apud veteres, cf. *Pin. Ges.* Thes. s. v. *Ol.* refert secundum *Aq.* ἀσίδα esse ἐρωδιόν; secundum alios, quos tamen ipse *Ol.* erroris damnat, πελαργόν (ciconiam) — « ciconia enim non humi ova ponit, sed in proceris arboribus » at haec ratio h. l. minime ostendit, ἀσίδα non esse ciconiam.

3. Uti iam *Malv.* notat, *S. Hier.* etiam h. l. בֵּץ legisse videtur, unde *accipiter* in versione; cf. infra v. 26, Lev. 11, 16; Deut. 14, 15; LXX etiam hic vocem hebr. νέεσσα retinent; quare *Cod.* notat : « ex hoc satis patet versionem graecam libri Iob esse opus cuiusdam *male docti* viri ».

4. Hebr. v. 14 כִּי rationem reddit sententiae antecedentis *negativae* = *quia;* vel non est *pia, immo, potius.*

calefieri ipsa scil. avis, recentiores (*W. Hitz. Zsch. P. Le Hir*), vel alii : *ea calefaciet*, fovebit, excludet (cf. *Mar. Malv. Del.*). Pulchre v. 15 avis incuriam describit, v. 16 hanc ut duritiem et crudelitatem proponit; hebr. *dure tractat filios suos* (cf. *Mar. W. Zsch. Hitz. Le Hir*) [1].

Alterum hemistichium in hebr. *in vanum labor eius, non timor* i. e. frustra ova peperit, sed minime curat: etsi ova conculcentur vel pulli non excludantur, tamen etiam hac in re dissimilis est ab aliis avibus, quae in tali periculo et privatione terrorem et anxietatem manifestant. In sensum non adeo dissimilem textus lat. inclinare videtur, quem *Vat.* bene proponit : « frustra ova edidit, quae per tantam incuriam abiiciat, cum nullus eam metus, ut interdum alias animantes, eo adigat; vel frustra ova peperit, quae eis non metuat, neque caveat ». Quare optime Lament. 4, 3 *filia populi mei crudelis quasi struthio in deserto* (*Calm.*). Cur ita agat, explanat v. 17 « *privavit enim eam Deus sapientia, nec dedit illi intelligentiam* »; — deest illi quodammodo ille naturalis impulsus (instinctus), quo aliae aves pullos nutriant etc., vel « facit haec propter defectum naturalis industriae » (*S. Thom.*). Urget etiam hac in re contra Iobum, Deum *care* agere. Locos veterum de struthionis soliditate vide apud *Malv. Pin. Bochart.* p. II. l. 2. cp. 17.

Neque tamen ei desunt, quibus excellat et quibus sibi vitaeque consulere possit — sic etiam divina providentia omnibus benefica in struthione commendatur — v. 18 « *cum tempus fuerit, in altum alas erigit, deridet equum et ascensorem eius* »; — i. e. si opus fuerit, *suo tempore*, quando scil. venatores equites ei insidiantur; bene LXX κατὰ καιρόν. בָּרָא ἅπ. λεγ. ex arabico est *stringere flagello, ad cursum impellere*; unde h. l. de struthione qui alarum plausu tamquam flagello se ipsum ad citissimum cursum impellit et alarum agitatione cursum adiuvat (cf. *Ges.* Thes. *W. Hitz. Renan*), *in altum*, non quasi *volet*, sed apte cursus iste, qui quasi volatus est et volatu, scil. alis agitatis adiuvatur, ita describitur (cf. veterum descriptiones apud *Pin. Malv. Calm.*), tendit enim et nititur in altum [2].

d) Multis convictus Iobus audaciam deponit 39, 19-35.

Aliud exemplum *multiformis* Dei potentiae et sapientiae in *equo*, cernitur, qui alia prorsus indole praeditus viro bellatori maximae est utilitati eiusque servituti se facilem et promptum praebet. Sic ex ipsa

---

1. Forma verbi *mascul.* integram *speciem* avis complectitur; quare non est opus vel *infin.* legere, vel ה addere, vel in *fut.* mutare (cf. *Hirz. Hitz. B.*).

2. Quare non opus est בָּרוֹם cum *Hitz.* mutare in מֵרוֹץ *cursus* (Eccl. 9, 11).

hac ad antecedentia oppositione *varietas* et *ubertas* divinae administrationis illustratur. *Notum* animal Deus describit, ut Iobo ostenda quomodo ex illis ipsis, quae novimus, quae usu et aspectu quotidiano circa nos sunt, ad Dei maiorem cognitionem ascendere et ad nostrae infirmitatis sensum descendere possimus [1]. Iam *domesticum* animal in medium profert et cicur, ita antea silvestria et ferocia, ut eadem veritas ex omni genere illustrata splendidius atque uberius innotescat. v. 19 « *Numquid praebebis equo fortitudinem, aut circumdabis collo eius hinnitum* »? — *S. Hier* interpretatio [2] ipsa voce רַעַם *tonitru* et *Sym.* et *Theod.* versionibus commendatur ; *colli* meminit, quod hinnitus e collo prorumpat; quare cum vibrantibus colli musculis hinnitus edatur, tropus non erit adeo insuetus, si collum veluti tonitru amictum et praeditum repraesentatur. *Chald.* robore, *Syrus* armis collum vestit. *Ol.* equum terribilem dici explicat vel colli extensione elata cervice, vel hinnitu, qui ex collo exit.

Iam equi saltum, quo totus in sublime fertur, describit v. 20 « *numquid suscitabis eum quasi locustas? gloria narium eius terror* » ; — hebr. *num tu facies eum exsilire*? magnos ergo saltus equi, quibus locustae instar fertur, admiratur; *fremitus eius magnificentia, terror* i. e. sonitus, quem naribus concrepantibus edit, aliquid habet robusti, magnifici, terrifici; quod per modum exclamationis dictum magnam habet emphasin. — Explicatione a *S. Hier.* proposita duo versus pulcherrimo parallelismo inter se conveniunt : robori (v. 19) correspondent magni saltus (v. 20), roboris documenta maxima, quibus equi fossas largas et septa transiliunt; hinnitui (v. 19) narium orisque fremitus (v. 20), equo adeo peculiaris, quem poetae cecinerunt : Silius :

... frenoque teneri
Impatiens, crebros exspirat naribus ignes.

Nemesianus :

Fumant humentes calida de nare vapores.

(Cf. *Pan.Calm.*).

---

1. Haec et similis ratio (cf. v. 32) valet etiam contra eos, qui *literalem* horum locorum sensum non sufficere, sed necessario *mysticum* assumi debere volunt, quia Deo indignum esse censent in animalium descriptione immorari — ita *Duguet* v. g. pro *mystica* explanatione ratiocinatur.

2. רַעְמָה ἁπ. λεγ. a רָעַם *tremere, tonare ;* unde רַעַם tonitru; et ita cum *Sym.* (κλαγγήν) et *Theod.* (χρεμετισμόν) *S. Hier.* intellexit, quem multi sequuntur (cf. *Mar. Malv. Cod. Ros.*), sed aliis *collum vestire tonitru*, collum amicire hinnitu, non satis placet; vocem explicant de *iuba tremente* (LXX? praebent φρίβον : an legendum φόβην? iubam?), de qua *vestire* aptius dicitur (cf. *W. Hirz. Del. Zsch. Hitz. P.*) alii : *tremore inducere* indicari volunt tremulum illum et alacritatis plenum motum, quo equus inter humerum collumque distinguitur.

Iam « commendatur nunc generosus ac bellator equus » (cf. *Pin.*); v. 21 « *terram ungula fodit, exsultat audacter, in occursum pergit armatis;* v. 22 *contemnit pavorem, nec cedit gladio* »; — optime *S. Hier.* הָפַר *ungula fodere* expressit; est Virgilianum illud : « cavatque Tellurem et solido graviter sonat ungula cornu » (Ge. 3, 87); dein *exsultat robore* i. e. gaudet in fortitudine sua, « sentire videtur gloriam, amat blanditias et laudem » (*Calm.*); v. 22 in hebr. *ridet timorem et non paret, nec cedit gladio* ; bene LXX et *vet. lat.* : « nec se avertit a ferro »; proprie in hebr. non retrocedit a facie gladii. Unde in proelii tumultu neque sagittarum stridore neque armorum fulgoribus terretur; v. 23 « *super ipsum sonabit pharetra, vibrabit hasta et clypeus* »; — hebr. *flamma lanceae et teli* (cf. *Malv. Pin.*) [1].

Alii versum non de pugnae strepitu, de quo nondum hoc loco sermo sit, sed de equitis equo insidentis et armati sonitu intelligunt; cuius scil. arma equi exsultatione et cursu inter se collisa strepitum edant; ad quem sensum commode dicitur *super eum* (cf. *W. Del. Zsch.*). At versus subsequens nullo modo dicit, proelium nondum esse inceptum; nam velocitas et tubae clangor etiam inter proeliandum, vel pugna facta ad hostes persequendos omnino requiruntur; v. 24 « *fervens et fremens sorbet terram nec reputat tubae sonare clangorem* »; — hebr. *nec consistit ad tubae vocem* (proprie : cum vox tubae, scil. insonat). Optime dicitur *sorbere terram* cum fremitu et concussione (hebr. *Sym.* ἐν σάλῳ καὶ ὀργῇ ὡς καταπίνων) de cursu celerrimo, quo ipsam humum deglutire ac devorare videtur; phrasis est Arabibus usitata (cf. *Ros. W. Hitz.*). LXX ὀργῇ ἀφανιεῖ τὴν γῆν, *vet. lat.* « iracundia evertit terram ». Ceterum optime locus illustratur illo Virgilii (Ge. 3, 85) :

si qua sonum procul arma dedere
Stare loco nescit, micat auribus et tremit artus
Collectumque fremens volvit sub naribus ignem;

et (acri) carpere prata fuga (Ge. 3, 143) et eo, quod Silius habet (lib. 3, 308) : campumque volatu Cum rapuere, pedum frustra vestigia quaeras.

Ardorem bellicum egregie depictum et summatim propositum cernimus in v. 25 « *ubi audierit buccinam, dicit : vah! procul odoratur bellum, exhortationem ducum et ululatum exercitus* »; — hebr. *tonitru ducum et clamorem;* bene *Hier. exhortationem* i. e. mandata etc. voce fortissima prolata. « Gaudere dicitur ad sonum buccinae, unde *dicit*

1. כִּידוֹן *S. Hier.* vertit *clypeum* aut *scutum* (Ios. 8, 18. 1 Reg. 17, 6. Ier. 6, 23; 50, 42) sed etiam *hastam* (infra 41, 20).

[illegible], i. e. emittit exsultationis vocem » (*S. Thom.*). Equos pugnam praesagire etiam Plinius (8, 42) asserit. « Est graphica generosi equi descriptio » (*Cord.*).

Demum Deus in *accipitre* et *aquila* alia providentiae suae sapientis et beneficae documenta refert: v. 26 « *numquid per sapientiam tuam plumescit accipiter, expandens alas suas ad austrum* »? —

Cum [illegible] אֶבְרָה sit *penna*, [illegible] omnino potest significare *plumescere* [illegible], sed cum pennis et plumis vestiri omnibus avibus sit commune, et etiam [illegible] indui (si id vox enuntiet — uti [illegible] textum post *S. Greg.* exponunt) minime sit accipitri proprium, recentiores [illegible] explicant [illegible] *in altum* [illegible] cf. *Ges. Thes.* [illegible] *Hitz.* [illegible] *Le Hir*; verum etiam hoc non est uni accipitri peculiare, sicut etiam, quod regionem petat calidiorem australem, non [illegible] valet. Quare interpretatio *S. Hier.* hoc nomine carpi non potest.

Si [illegible] intelligimus: [illegible] id quod ad אֵבֶר optime quadrat [illegible] fortes et duriores, sensus etiam ad alterum hemistichium optime congruit. Idem *Cord.* [illegible] probabilissime dicit. Praedicatur ergo [illegible] naturae impulsus, quo aves statuto tempore calidiores regiones petunt viamque longissimam invicta volandi virtute conficiunt; quare recte *alarum* mentio fit.

A rege quadrupedum oratio profecta est, desinit in principis volatilium descriptione; v. 27 « *numquid ad praeceptum tuum elevabitur aquila et in arduis ponet nidum suum* »? — hebr. *in alto* ponit nidum: in aquila [1] praecelsus volatus, quo nubes ingredi videtur, admirationi proponitur, cf. Abd. v. 4 [illegible] *sicut aquila et si inter sidera posueris nidum* [illegible] manere in excelsissimis rupibus, homini plane inaccessis, iisque locis familiariter uti, homini glebae et humo affixo praecipue mirum videtur; unde v. 28 « *in petris manet et in praeruptis silicibus commoratur atque inaccessis rupibus* »; — hebr. ad [illegible] *rupis* [illegible]. Porro admirationi sunt in aquila acies oculorum acerrima et rapidissimus ex aeris sublimitate ad praedam descensus: v. 29 « *inde contemplatur escam et de longe oculi eius prospiciunt*; v. 30 *pulli eius lambent sanguinem et ubicumque cadaver fuerit, statim adest* »; — hebr. ubicumque *interfecti* sunt; bene *Isidorus* scri-

---

[1] [illegible] complectitur; cf. Mich. 1, 16. [illegible] v. 30 [illegible] cf. Ges. Thes. s. v. Ceterum opportune monet ad h. l. *Le Hir*: « tous les aigles se nourrissent des corps morts avant [illegible] », cf. *Fillion*, Atlas d'Hist. nat. de la Bible p. 76.

bit eas tanta pollere oculorum acie, « ut cum super maria immobili penna feratur, nec humanis pateat obtutibus, de tanta sublimitate pisciculos natare videat ac tormenti instar descendens raptam praedam pennis ad litus pertrahat » (Etym. 12, 7; Migne t. 82 col. 460 — alios veterum locos cf. apud *Pin.* et *Bochartum*).

Quem in finem haec dicta sint, ipse Deus declarat; v. 31 « *et adiecit Dominus et locutus est ad Iob :* v. 32 *numquid qui contendit cum Deo, tam facile conquiescit? utique qui arguit Deum debet respondere ei* »; — Deus Iobi *silentis* submissione non acquiescit. Vult, ut (quod humanae naturae prorsus adaptatur) defectum suum humiliter confiteatur et voce et signo externo agnoscat et veniam precetur. Quare eum interpellat, idque non sine ironia : « siccine vero qui descendit in certamen cum Deo et experiri ausus est, recedit tam facile nunc ac pedem refert ex proelio et quiescit? Legit enim noster יִסּוֹר » (*Vav.*). Hebr. יִכַּח vertes : *num disceptabit cum Omnipotente reprehensor?* i. e. tu, qui reprehendisti Dei providentiam conquestus de eius agendi modo, num disceptare vis cum Deo? Et extorquet Iobi responsum : *arguens Deum* (Dei reprehensor) *respondeat ad ea* i. e. qui ausus est de Deo conqueri, nunc loquatur, respondeat ad propositas quaestiones! Hic versus et 38, 2 Dei iudicium de *modo* loquendi Iobi enuntiant [1].

Iam quid Iobus respondere poterit? Deus ea protulit, quibus provida eius ac sapientissima cura elucet, ea ex Iobo quaesivit, quibus homo ignorantiae atque debilitatis suae quam maxime admonetur. Explicuit Dei sapientiam, quae nihil temere faciat, qua ea, quae naturae cursu fiunt, ad fines altiores dirigantur (38, 13. 23), qua singulas creaturas optime variis dotibus instruat; explicuit *providentiam* variam pro indole varia, *bonitatem* multiplicem, *potentiam*, qua immanes naturae vires coerceat (38, 8) etc.. *talis* Deus in hominum gubernatione non potest a seipso deficere; unde hac consideratione proposita Iobus iure merito se humiliat; v. 33 « *respondens autem Iob Domino dixit :* v. 34 *qui leviter locutus sum, respondere quid possum? manum meam ponam super os meum* »; — hebr. nervosius magisque ad rem : *ecce, vilis sum* (contemptibilis), *quid respondebo tibi?* homo sum abiectus, debilis, contemptu dignus [2]; venerabundus vult silere et cum

1. De eius *sententia* cf. 42, 7. Ceterum advertatur, quomodo hoc Dei iudicium cum sententia ab Eliu prolata congruat; Deus utitur רוּב de Iobo; usus est Eliu 33, 13; Deus Iobum vocat *reprehensorem, increpatorem;* cf. 34, 7. 18. 33; 36, 23 et totam indolem sermonum Eliu.

2. Cf. קָלַל Gen. 16, 4. 5; 1 Reg. 2, 30 ubi *S. Hier.* rite transtulit *despectui haberi, ignobilem esse.* Quare *Le Hir* haud male vertit : homme chétif.

admiratione et stupore Dei magnalia adorare i. e. manum super os ponere; cf. 21, 5; 29, 9. Adiungit post hanc sui humiliationem actum confessionis, contritionis, propositi : v. 35 « *unum locutus sum, quod utinam non dixissem, et alterum, quibus ultra non addam* »; — actus doloris (*utinam..*) aequivalenter etiam in hebr. adest : *semel locutus sum et non repetam, bis, et non addam* i. e. semel et iterum imprudenter locutus sum ; actum doloris *explicitum* addit post alterum Dei sermonem 42, 6. — Notatu dignum est, quantum haec verba [1] distent ab illa animi fiducia et sui ipsius laude, qua supra professus erat se ad Deum esse accessurum (31, 36. 37). Iam hanc fiduciam sui humiliatione, laudem humili sui accusatione expiat. Et ad hunc sensum adductus est sermonibus Eliu, quos Deus prosecutus approbavit et auxit. Inde id etiam elucet, sacrum auctorem velle omnino nimiam illam Iobi de sua innocentia gloriationem et acerbiores in Deum clamores et audaciores expostulationes reprehendere. Quare ex hac Iobi dispositione, ad quam per Deum demum adducitur, etiam concludatur oportet, sacrum auctorem sermonibus Eliu id voluisse revera efficere, quod supra assignavimus.

Demum notare libet cum *Phil. Pin.*, decem in universum esse animalia, quae Creatoris oratione celebrantur : terrestria sex, volatilia quatuor, « et in hoc decalogi perfecto numero videri potest, quod omnem creaturam intelligi voluerit Deus... ergo hoc ait : ego qui omnia iusta dispensatione procuro, circa te tantum, o Iob, videor iniustus » (*Phil.*)?

ALTER SERMO DIVINUS. CAP. 40. 41.

Arg. —Reprehenditur Iobus a Deo, quod iniustitiae speciem et umbram Dei gubernationi irrogaverit, et suae admonetur infirmitatis (40,1-9). Divinae potentiae documentum profertur et describitur robur et vitae genus Behemoth (40,10-19); humana impotentia vero illustratur eo, quod homo Leviathan non sibi subiicere potest; et *talis* homo audet Deo obsistere (40,20-41,2)? Demum Dei potentia altero documento commendatur, quod in robore et membris belluae immanis (41,3-15) et in terrore, quem spargit, et in virtute invicta cernitur (41,16-25).

---

1. Apud LXX et *vet. lat.* ita efferuntur : « quid ergo iudicor commonitus et increpatus a Domino, audiens talia, cum nihil sim? quod responsum dabo? manum ponam ad os meum; semel locutus sum; iterum non adiiciam ». Ad quod *S. Aug.* inter alia notat : « quid ergo mihi iudicium comparo, cum me arguit Dominus?... tenebo et cohibebo loquacitatem meam ».

Finis, quem Deus in altero hoc sermone prosequitur, facile colligitur : *a*) ex Iobi reprehensione (40,3), *b*) ex Dei verbis, quae sermoni inserit 41,1.2, *c*) ex Iobi responsione 42,2-6, quae certe illum fructum, quem Deus adesse et in animo Iobi effici voluit, enuntiare censenda sit. Iobus autem maiore animi demissione, maiore audaciae suae agnitione, maiore impatientiae suae detestatione, quam in prima sua responsione, Dei veniam precatur. Quare quo perfectius ad hanc animi dispositionem adducatur, Deus altero eum sermone docere non dedignatur.

a) Iobus infirmitatis humanae admonetur 40, 1-9.

Iobus agnovit suam indignitatem, promisit se non iam adeo audacter cum Deo disceptaturum (39,34.35). At Deus hac culpae agnitione non contentus — praeter ea, quae Iobus iam fatetur, maius quid Deus innuerat 38,2 — maiorem ab eo exigit animi demissionem et illius culpae confessionem apertam et sinceram, de qua Deus ipse Iobum arguerat (38,2).

Quare secundo : v. 1 « *Respondens autem Dominus Iob de turbine dixit* : v. 2 *accinge sicut vir lumbos tuos, interrogabo te et indica mihi* » ! — hebr. *et doce me* cf. 38,1.3, ubi eadem. Repetitio haec, postquam Iobus se contemptibilem confessus acrem suam disceptationem retractavit, non caret vehementi quadam ironia, qua Iobus ad maiorem pudorem et animi humilitatem propellendus sit. Cur vero tali acerba ironia etiamnum utatur, declarat v. 3 « *numquid irritum facies iudicium meum et condemnabis me, ut tu iustificeris* » ? — i. e. num revera ius meum infringere, destruere vis? et quomodo hoc ? num me iniustum revera declarare vis, ut tu iustus et innocens appareas? Bene rem expendit *Cord.* : « tu conquestus es de me, quod te insontem ceciderim, et ita locutus es, ut videreris velle me coarguere, mecum in iudicio disceptare, mihi in iudicio quasi iniusto vexatori praevalere ; quod nihil videtur aliud quam me iniustitiae damnare, ut tu tandem iustus appareas... Cum ergo Iob tam aperte iactaret cupere se cum Deo de reddito adversus se iudicio disceptare, adeoque causae aequitati confideret, ut Deo dicere non dubitaret : *scio quod iustus inveniar* ; *voca me et ego respondebo tibi ; aut certe loquar et tu responde mihi* (13,18), putare videbatur se Deum in disputatione victurum. Acutissime igitur Deus hoc incommodo gravissimo urget eum ». Optime quoque *S. Thom.* : « ulterius procedit ad arguendum Iob de hoc quod suam iustitiam commemoraverat, per quod aliquibus sonare videbatur in derogationem divini iudicii... hoc ipsum reprehensibile videbatur, quod sic suam iustitiam commendabat, quod aliis videbatur hoc redundare in

derogationem divinae iustitiae ». Similiter *S. Greg.* : « quisquis contra Domini flagella semetipsum defendere nititur, flagellantis iudicium evacuare conatur ; nam cum culpa sua se feriri negat, quid aliud quam iniustitiam ferientis accusat... iuste nunc corripitur, ut occultis iudiciis subderetur ».

Eadem etiam in *exp. in.* et apud *Rup.* et *Br.* habentur, et similiter loquuntur *Pin. Vav. Malv. Men. Tir. Gord.* Deus igitur offendiculum illud, quod Iobi verba creare poterant, removet et propter offendiculi periculum Iobum vituperat. Mirandi sane sunt ii interpretes, qui hoc iuste fieri *nunc* demum agnoscunt, postquam *idem* in Eliu sermone acerbe reprehenderunt et ab Eliu disputationem de Dei iustitia frustra institui contenderunt. Est igitur iste loquendi modus Dei egregium documentum, quo Eliu sermones ac vituperationes in Iobum prolatae comprobantur. Id autem discriminis adest, ut Eliu ita a Iobo esse factum *asserat* (34, 5-9; 35,2), Deus vero *interroget*. Eliu enim Iobi mentem non est assecutus, quippe qui acerbiores etiam expostulationes ita variis conditionibus adiectis temperavit, et in eum sensum locutus est, ut Deum iniustitiae proprie non accusaret. Deus autem *interrogat*, ut responsionem Iobi coram amicis eliciat, qua demum ablata omni ambiguitate pateat, quid revera sentiat. Unde *interrogatio* a Deo ponitur, quia *species* iniustitiae Deo irrogatae revera aderat; supra vero 39,32 id quod Iobus revera *fecit* (arguit Deum, conquestus est), per *assertionem* a Deo vituperatur; vocatur enim Dei reprehensor.

Per ironiam dicere pergit Deus : certe, qui ita Deum ad certamen iudiciale provocare audet, divino suo adversario suppar esse censendus est; quare v. 4 « *et si habes brachium sicut Deus et si voce simili tonas* »? — *brachium* symbolum est potentiae, quam in subsequentibus ex rerum natura (tonitru) et divinae apparitionis maiestate et a v. 11 allusione facta ad varia Dei iudicia in impios exercita describit. Ironia vero adhuc continuatur : si Deo suppar es, manifesta tuam celsitudinem, ut aliis etiam divina in maiestate appareas; v. 5 « *circumda tibi decorem et in sublime erigere et esto gloriosus et speciosis induere vestibus* »! — Deus enim in turbine et tonitru apparens Divinitatis symbolum prae se fert; tali adversario decet eadem vel saltem simili maiestate obviam ire. Praeterea simile quid Iobus gloriabundus dixerat 31, 36. 37 ; quare tali ironia iure punitur. In hebr. *orna te maiestate et sublimitate* (cf. 22, 12. Is. 24, 14), *celsitudinem et gloriam* (cf. Ps. 104, 1) *indue!* Bene LXX et *vet. lat.* : « assume igitur altitudinem et virtutem, gloriam et honorem vestire » !

Si cum Deo contendere vel congredi audeat, ostendat praeterea similes potentiae suae effectus; unde v. 6 « *dispergе superbos in furore tuo et respiciens omnem arrogantiam humilia* »! — hebr. *effunde fluctus*

furoris tui, respice omnem superbiam et humilia illam : ecce, ego uno obtutu elatum subverto; fac idem; cf. Ex. 14, 24 *et ecce respiciens Dominus super castra Aegyptiorum interfecit exercitum eorum, et subvertit rotas curruum... et involvit eos in mediis fluctibus* et Is. 2, 12. Ez. 22, 19. Hab. 3, 6. Ps. 67, 1. Cum emphasi repetit v. 7 « *respice cunctos superbos et confunde eos et contere impios in loco suo* » ! — i. e. subito, ita ut statim concidentes de loco suo iam non recedere vel ruinam effugere possint, uti Ps. 72, 18 *deiecisti eos, dum allevarentur*[1]; conferri possunt Dei iudicia in diluvio, in Pentapolim, in Aegyptios. Plenam illorum destructionem effert v. 8 « *absconde eos in pulvere simul et facies eorum demerge in foream* » ! — in hebr. *in abscondito vultus eorum obvolve* i. e. perpetua oblivione eos sepeli (*Malv.*), ita eos dele, ut memoria eorum penitus oblivioni detur, vel ut quasi aperto terrae hiatu absorbeantur; cf. 20, 7. — Iobus de statu florenti impiorum saepius conquestus est; ostendat igitur, si quid valeat, potentiam suam in iis perimendis, quorum fortunam aegre fert! Egregia ironia et ad Iobum pudore suffundendum facta. Cum huiusmodi potentiae documenta praebuerit, v. 9 « *et ego confitebor, quod salvare te possit dextera tua* » ; — hebr. *etiam ego laudabo te* i. e. praedicabo, potentiam tuam agnoscam, qua non sis indignus, qui mecum disceptes, et qua alieno auxilio iam non ad salutem et prosperitatem tuam indigeas (cf. Is. 63, 5 — *Pin.*). « Hic autem semper ea est comparatio, ut, cum quid sit Deus eiusque natura et officium cognoverimus, vicissim nos intueamur, ut id ex una parte Dei gloriam incomprehensibilem, ex altera tot miserias, quae in nobis sunt, magis elucere faciat » (*Cord.*).

b) Divinae potentiae documentum cernitur in Behemoth 40, 10-19.

Iobus amicis dixerat : *nimirum interroga iumenta et docebunt te, et volatilia coeli et indicabunt tibi* (12, 7 ; iam ei aliud potentiae divinae documentum et simul humanae infirmitatis argumentum a Deo proponitur in *Behemoth ;* uti Eliu ex rerum natura Dei maiestatem elucere probat (36, 26-33; 37, 1-24), ita Deus ipse eandem arguendi seriem per plura etiamnum prosequitur; ita v. 10 « *Ecce Behemoth, quem feci tecum, foenum quasi bos comedet* » ; — i. e. quem feci, sicut et te creavi; longius abest, quod *S. Thom.* placet : sexto die simul cum homine terrena animalia sunt producta (sim. *Mar. Cord. Var.*); LXX et *vet. lat.* « apud te », ut tecum habitaret (cf. *Malv.*

1. Idem est sensus hebr. תַּחְתָּם *sub se* i. e. eo loco et statu, quo consistunt.

Men. Tir.); habes igitur hoc documentum potentiae divinae iuxta te; inde erudire! Iam quale animal? Veteres plerumque *elephantum* explicant (cf. *S. Thom. Est. Sa, Mar. Malv. Cod. Pin.* [1] *Cord. Tir. Gord. Vav. Calm.*), *Sanct.* taurum intelligi vult; verum recentiores communi consensu cum *Bocharto* (p. II. l. 5 cp. 15) *hippopotamum* describi iure dicunt; ad hippopotamum enim omnia ad amussim adaptantur [2].

Uti v. 10 indicat, primum ipsum animal describitur (v. 11-14), dein vitae eius ratio (v. 15-19). Primo loco fortitudo eius effertur v. 11 « *fortitudo eius in lumbis eius et virtus illius in umbilico ventris eius* »; — hebr. *ecce fortitudo in nervis ventris eius* [3]. Haec ventris firmitas minime quadrat in elephantum, quippe qui ea parte mollis est et vulneri maxime patens, optime vero in hippopotamum, qui ventre non minus quam reliquo corpore tectus sit et quasi cataphractus impenetrabili corio tantae soliditatis et spissitudinis, ut hastis et missilibus non cedat. Porro v. 12 « *stringit caudam suam quasi cedrum; nervi testiculorum eius perplexi sunt* »; — plerumque intelligunt : inflectit, retorquet caudam, quae cum brevis sit et crassa et valde firma et tamen ab eo ad libitum moveatur, roboris argumentum est; *quasi cedrum* i. e. cauda est quasi cedri ramus ratione glabritiei, rotunditatis, spissitudinis, firmitatis (cf. *Bochart. Ros. W. Del. Zsch.*). Alii vocem arabico-hebr חִפֵּץ explicant : caudam *firmam* et *immobilem* habet; recte et immobiliter eam demittit (cf. *Hitz.*); femorum vel lumborum nervi implicati sunt i. e. multos magnosque nervos insertos habet et proin maximum robur; פַּחַד vox arabica est *femur*. Alia roboris documenta praebet v. 13 « *ossa eius velut fistulae aeris, cartilago illius quasi laminae ferreae* » ; — ossa veluti tubi ahenei, ita firma, solida; vertebrae eius (גְּרָמָיו) sicut vectes ferrei.

---

1. Qui alios multos allegat. — *Barh.* locustam omnia devorantem intelligit.

2. Ipsum nomen *Behemoth* alii alio modo ad hippopotamum accommodare studuerunt. Et *Birch* quidem secutus *Champollionem* vocem hieroglyphice scriptam *bechama* legit, unde nominis quaedam affinitas adesse videbatur (cf. The Speaker's Bible ad h. l.). At, uti ex *Brugsch* Lexic. hierogl. p. 1030 videre est, signa illa propter variantes scribendi rationes non *bechama* sed *cheb* legenda sunt et tale est hippopotami nomen apud Aegyptios; alia eius animalis nomina vide Zeitschr. f. aegypt. Spr. II, 26 scil. *aput, reret.* — Alii ex voce coptica quam efformarunt explicare tentarunt p-ehe-mou ,*p* articulus; *ehe* bos; *mou* aqua); cf. *W. Del. Hitz, Zsch.* At etiam haec explicatio valde dubia est; nam haec vox coptica non invenitur et secundum regulas linguae copticae potius dicendum esset p-mou-che.

Hippopotami descriptionem vide apud *Ros.* (Das alte und neue Morgenland t. 3 p. 369) *Winer* (s. v. Nilpferd), *Schrader* in Bibellexicon (ed. *Schenkel;* s. v. Behemoth) qui derivationem ex copt. denuo proponit, *Fillion* in Atlas d'histoire naturelle de la Bible p. 81.

3. שְׁרִירֵי nempe nervi sunt, ligamenta lacerti, tori ventris (cf. *Ges. W. Del. Hitz. Zsch.*); alii *firmitatem* interpretantur (*Ros.*).

Tale animal robore praecipuum locum inter reliqua Dei opera occupat; ita v. 14 « *ipse est principium viarum Dei; qui fecit eum, applicabit gladium eius* »; — i. e. excellentissimum est specimen operum Dei, quae *viae* Dei dicuntur (cf. *Mar.*), κεφάλαιον (*Aq. Sym. Theod.*); hoc animal praecipuas ac primas partes obtinet inter reliqua (*Barh. Malv. Men. Pin. Le Hir*). Hebr. *porrigit gladium eius* i. e. Deus ei dedit, praebuit dentes exsertos, molliter flexos, acutos, praelongos, quibus tamquam *harpe* (חֶרֶב) vel ense curvato [1] in modum falcis fruges demetit et etiam contra aggressores se defendit (*Ros. W. Del. Zsch. Hirz.*). Isto *gladio* bene [2] fit transitus ad vitae genus, ad pabulum eius; v. 15 « *huic montes herbas ferunt; omnes bestiae agri ludent ibi* »; — hippopotamus campos et agros noctu devastat, colles frugibus consitos; at non est animal ferox, carnivorum; quare reliquae bestiae ibi *ludere* possunt. Quando fruges demessuit, placide quiescit satiatus, v. 16 « *sub umbra dormit in secreto calami et in locis humentibus* »; — צֵאל quam vocem *S. Hier.* cum *Chald.* צֵל *umbram* explicuit, recentiores melius ex arabico interpretantur (secuti *Ibn Ganach* et *Saadia*, cf. *Fürst* L.) de *loto* silvestri [3]; neque LXX et *vet. lat.* per *umbram* explicant, sed « sub omnimodis arboribus dormit »; idem adverte pro v. 17 « *protegunt umbrae umbram eius, circumdabunt eum salices torrentis* »; — in hebr. *obtegunt eum loti arbusta umbra eius*, illa umbra, qua opus habet, quam expetit, opaca loca quaerit et umbracula; textum lat. explica : praebent ei umbracula illam, quam desiderat, umbram eumque fovent, a nimio quasi defendunt calore. Et in hac quiete neque aquarum subito irruentium mole ullo modo turbatur, cum etiam aquae ei sint familiares; v. 18 « *ecce absorbebit fluvium et non mirabitur; et habet fiduciam, quod influat Iordanis in os eius* »; — hebr. proprie : *en, vim exserat fluvius* (i. e. intumescat), *non tremit*, omnino non formidat, immo *fiduciam habet*, securus est ac quietus, *si prorumpat Iordan ad os eius*; Iordanis nomen pro quovis flumine h. l. poetice usurpatur eo magis, quia Iordan statis temporibus valde intumescit et proin optimam imaginem praebet aquarum cum impetu ingruentium, quarum tumorem hippopotamus secure fert — simili

1. Signo aliquo simili hippopotami nomen in hierogl. quandoque distinguitur; cf. Brugsch l. c.

2. Unde non opus est, cum *B.* secundum textum gr. lectionem hebr. mutare; neque adest in hebr. « obscurus et affectatus loquendi modus ». *Chald.* et *Syrus* agnoscunt *gladium*. Ps. 103, 26 lectionem graecam minime confirmat, cum ibi de bellua marina sit sermo.

3. Fortasse nomen referri debet ad aegyptiacum *tzal* vel *tzar* rami, folia; cf. Brugsch l. c. p. 1677.

modo יאר et de Nilo et de flumine generatim adhibetur. Eadem imago maiore tamen hyperbole prolata in textu lat. exprimitur : integrum quasi fluvium ebibit; neque si fluvius intumescens versus eum volvitur, e placida quiete surgit confisus, se ore et faucibus fluctus ingentes sine ullo incommodo excipere posse.

Descriptio roboris eius absolvitur interrogatione, num capi queat v. 19 « *in oculis eius quasi hamo capiet eum et in sudibus perforabit nares eius* »? — i. e. an aliquis eum capiet *in oculis* i. e. ipso cernente, manifesta vi. Vel sententia verti potest per *exhortationem ironicam* : capiat eum aliquis, perforet nares eius (cf. *Ros. W. Hirz. Del. P.*); *quasi hamo* ab interprete explicationis causa additum est vel ex v. 20 huc assumptum. — Sententia ita concepta ad roboris descriptionem maxime congrua est et ipsa difficultate comprobatur, quam praecipue veteres in capiendo hippopotamo experti sunt; narrant enim saepe magnam hominum multitudinem aperta vi belluam propter pellem durissimam telis et sagittis non potuisse superare, immo globulos etiam sclopetis eiectos saepe prorsus innocue corio condi (cf. *Bochart.* l.c. *Ros.*).

Neque quod desit interrogationis signum, aliquem offendere debet. Nam deest saepe; deest in v. subsequenti in hebr., quem tamen omnes interrogative legunt. Et hoc loco id eo magis fieri debet, cum alias sensus congruus non habeatur. Nam hippopotamum *in oculis* i.e. quasi scientem et advertentem facile capi, non est verum; id vero, quod *Zsch.* vult: si talis bellua placide captivitatem subeat, cur demum Iobus de impiorum prosperitate excandescit, cur non immanis belluae quietem placidam imitatur? orationis serie minime innuitur, neque verbis neque comparationi consonum est. Quare etiam probari nequit h. l. versio quam dat *Le Hir :* « Cependant on le prend en face, on lui perce les narines pour le brider ».

Restat, ut interpretationis apud veteres communis paucis mentionem faciamus. Versione enim LXX et *vet. lat.* « hoc est initium figmenti Domini quod fecit; *illudatur ab angelis eius* » inducti sunt, ut de *diabolo* explicarent; cf. *S. Aug.* (de Gen. ad lit. 11, 20. M. 34, 439 — de Civ. Dei, 11, 15. M. 41, 330), *Theodoret.* in Ps. 103 (M. 80, 1703), *S. Hier.* (ep. 22. M. 22, 401), *S. Ephraem* ad h. l. — *Phil.* Behemoth de daemonibus unice explicat; *S. Greg.* pariter : « quem sub Behemoth nomine nisi antiquum hostem insinuat »? eodem modo *exp. in. Br. Rup.* Versio graeca habet θηρία; ut *Ol.* refert, alii vermes Iobi ex putredine ortos interpretati sunt, alii adversarias potestates. Etiam *S. Chrys.* iam refert, multos κατὰ ἀναγωγὴν de diabolo explicare; addit : « historiae vero ratio in primis habenda est, neque cum ad auditorem utilitas aliqua ex anagogia quoque redundare potest, id negligendum est ». *S. Thom.* praeter literalem allegoricam [1] explanationem

1. Allegoricae explanationis inter alias etiam mentionem facit *Barh.*

reputat necessario indicari v. 14 *ipse est principium viarum Dei* ; ita enim habet : « sed quod proprietates horum animalium in figuram alterius describantur, manifestum est ex hoc quod proprietatibus positis ad figuram pertinentibus subditur veritas ; nam praemissis proprietatibus Behemoth, id est elephantis, quasi exponendo veritatem subdit : *ipse est principium* »... Id enim exponi posse ait : quia Satan inter primas creaturas est conditus, vel etiam, quia secundum quosdam fuit excellentior inter ceteras creaturas, vel quod ipse praefert, quia in diabolo primo via Dei puniendi est inventa. Verum manifestum est, nos v. 14 ad allegoriam minime cogi, et rationem illam, qua *S. Thom.* exponi *veritatem* censuit, nullam esse (cf. v. 14). Multos huius interpretationis patronos recenset *Pin.*, qui illam fuse quoque proponit, neque tamen omnino approbat ; nam observat, dum alia de bestia, alia de diabolo explicentur, uti interpretes frequentibus saltibus et transitionibus ; deiu eadem ratione fortitudinem proponi Behemoth, qua aliorum animalium, quae non ad specimen malitiae et fraudis proferantur, sed ad commendandam divinam providentiam, potentiam, sapientiam ; nexum ergo, si de diaboli nequitia et improbitate accipiatur, praedifficilem esse, dum alius literalis omnino sit simplex et lenis ; praeterea sensum istum allegoricum non posse literali superstrui, quia illa quae in bestia ad commendationem Dei dicantur, non possint statim ad vituperium et nequitiam in diabolo usurpari ; « oportuisset enim malitiam moralem daemonis in malitia naturali bestiae significari, saevitiam in crudelitate, turpitudinem in obscoenitate, ingluviem in voracitate » ; denique interpretes minime sibi constare in unica allegoriae ratione, sed suam quemque afferre significationem suumque symbolum.

Hisce rationibus satis illa explanatio premitur ; illam tamen proponunt et amplectuntur *Sa*, *Cord.* *Tir.* et praesertim, fere excluso sensu literali, *Duguet*. Verum bene iam *Gord.* : « neque quod alii intelligunt de daemone, quadrat verbis textus ». Et certe, *diabolum* proferri hoc contextu, cum de operibus Dei providentissimi et sapientissimi agatur, satis mirum foret. Et cur demum post alia animalia unus hippopotamus symbolum sit diaboli, quis probabili aliqua ratione suadere potest?

c) In Leviathan humana illustratur infirmitas 40, 20-41, 2.

Homo infirmitatis suae iam v. 19 denuo admonitus est ; huic arcte iungitur ; v. 20 « *An extrahere poteris Leviathan hamo, et fune ligabis linguam eius* »? — cf. 3, 8 ; *Leviathan* Ps. 73, 14 ; 103, 26 a LXX et *vulg.* vertitur δράκων ; ita etiam Is. 27, 1 LXX, dum Iob 3, 8 τὸ μέγα κῆτος ; veteres generatim maximum quendam piscem interpretantur *cete*, vel *balaenam* (cf. *Cord. Sa, Malv. Men. Tir. Est. Mar. Vav. Cod.* vel de pisce *mular* ; aliorum multiplices sententias refert *Pin.*) ; sed recentiores iuremerito *crocodilum* agnoscunt, cui omnia quae dicuntur

apte conveniunt (cf. *Bochart.* [1], *Calm. W. P. Fillion* etc.); *et fune ligabis.* . est expositio praecedentis hemistichii; cum enim hamo pisces capiuntur, ori aut linguae hamus e fune pendens infigitur et lingua quasi ligatur (*Men. Hirz.*). Multis iam delineatur idem, crocodilum non posse capi; erat igitur hoc tempore Iobi vel auctoris res difficillima et inusitata; v. 21 « *numquid pones circulum in naribus eius, aut armilla perforabis maxillam eius* »? — hebr. *iuncum... et spina perforabis...* i. e. funem iunceum, σχοῖνον; videmus enim piscatores minutos pisces traiecto iunco per branchias ad os pendentes venumdare; *spina* certe uncus, uncinus, vel ut alii volunt (*Ros. W. Le Hir*) annulus est ferreus per molliorem capitis anterioris partem circa maxillas transmissus, quo animal ad arbitrium ducatur, regatur, edometur. Unde v. 22 « *numquid multiplicabit ad te preces aut loquetur tibi mollia* »? — animalis ita capti propter dolores ferocia frangitur, ut homini videatur blandiri, eum precari, ne dolores augeat etc. Sed nihil tale crocodilus, utpote qui capi non possit neque servituti subiici; unde v. 23 « *numquid faciet tecum pactum et accipies eum servum sempiternum* »? — scil. ut illi faciunt, qui resistere non possunt, qui in hostium victorumque manus se quibuslibet conditionibus ad servitutem parati tradunt. Nullo pacto homini vult *servire.* Sed neque ad *ludum*, ut aliae cicures bestiolae, et ad aliquam cum homine familiaritatem est paratus : v. 24 « *numquid illudes ei quasi avi, aut ligabis eum ancillis tuis* »? — *illudere* sensu bono h. l. uti *lusitare*, oblectari etc. uti fit, cum filo aut resticula pedi iniecta aviculae ligantur et pueris puellisque ad lusum traduntur. Conferunt illud *Catulli* (2, 1. 3, 4) : « passer deliciae meae puellae ».

Neque ad cibum vel venditionem potest capi et occidi ab homine; v. 25 « *concident eum amici, dividentillum negotiatores* »? — « non id de Leviathan fieri potest, quod de thynnis v. gr. fieri solet, quos captos et in frusta concisos et muria conditos aut amicis donant piscatores aut negotiatoribus vendendos tradunt » (*Men.*).

Hebr. כָּרָה עַל (6, 27) *S. Hier.* explicat fere, ut 4 Reg. 6, 23; sim. LXX ἐνσιτοῦνται, *vet. lat.* « saginantur », *Chald.* « facientne super eum prandium »? sim. *Ros. Mar. Malv.* Alii interpretantur *pacisci, mercaturam exercere* (cf. *Cod. W. Hirz. Zsch. P. Renan*). Idque, quia crocodilus armis illis, quibus homo utitur, est invictus; ita v. 26 ex hebr. *num implebis telis pellem eius et harpagone piscium caput eius?* nam crocodili cutis durissima spiculis, missilibus, est impervia; שְׂכוֹת a שָׂכָה (cf. שַׂכִּין Prov. 23, 2 *culter*) *secare, perforare* arma sunt acuta; צְלָצַל ex etymologia dicit armorum

1. l. c. II p. l. 5 cp. 16.

tinnientium genus; unde *sagittas, fuscinas, harpagones* interpretantur (cf. *Cod. Malv. W. Hitz. Le Hir*).

Crocodilum capi non posse, etiam *S. Hier.* expressit v. 26 « *numquid implebis sagenas pelle eius et gurgustium piscium capite illius* »? — certe ob oculos habuit *S. Hier.* שׂוך *sepire, obsepire, plectere, texere*; unde *sagena* transtulit.

Demum, cum res ita se habeat, ironice Iobus admonetur : v. 27 « *pone super eum manum tuam; memento belli, nec ultra addas loqui* »; — hebr. deest *loqui*, idque bene; nam sensus est : experire, an eum possis capere; aggredere eum, et perpetuo recordaberis tam temerarii proelii et ausus neque ultra tale quid audebis. Nam aggressori tali res pessime cedet : v. 28 « *ecce, spes eius frustrabitur eum et videntibus cunctis praecipitabitur* »; — spe sua cadet; si tentarit, ab immani bellua peribit, devorabitur miser. In hebr. *ecce spes eius fuit mendax* (mentita est), *nonne iam ad aspectum eius prosternetur?* solo visu terribilis belluae iam prae terrore et horrore prosternetur (cf. *Mar. Malv. Cod. W. Le Hir*).

Iam descriptionis huius sequitur applicatio et doctrina : 41, 1 in hebr. *non est tam ferox, ut eum suscitet, et quis ille qui contra meam faciem se sistat?* i. e. nemo audet crocodilum lacessere aut in pugnam provocare, et nunc *a minore ad maius :* quis mecum audebit creatore huius belluae eaque infinite potentiore manus conserere vel contra me consistere? Ita simul nervose indicatur, quem in finem ea omnia sint descripta. Textus lat. prima utitur persona [1] : 41, 1 « *non quasi crudelis suscitabo eum ; quis enim resistere potest vultui meo* »? — ea scil. loquendi forma, qua loquens de se ipso enuntiat id, quod ab aliis fieri et de aliis intelligi vult; i. e. non ero tam audax et ferus; non ausim ego eum provocare; nemini suaderem, ut illum excitet; ergo multo minus, ut me lacessat! Quid aptius dici potuit, ut Iobus de illo disceptandi cum Deo et rationem ab eo exigendi pruritu quam maxime afficeretur pudore? Ad talem animi sensum incutiendum minuta illa descriptio et humanae impotentiae accurata per partes delineatio efficaciter valet. [2]

Et quantopere valeat ista conclusio *a minore ad maius*, Deus inculcat alia interrogatione v. 2 « *quis ante dedit mihi, ut reddam ei? omnia quae sub coelo sunt, mea sunt* »; — Deus potentiam suam et *domi-*

1. Uti *Aq.* et *Theod.* οὐδὲ μὴ ἀσπλαγχνήσω ὅταν ἐξεγείρω αὐτόν.

2. Quare *B.* perperam hos versus collocat ante 38, 2, quasi prima sint Dei apparentis verba — sine ulla necessitate *interna*, sine ullo testimonii *externi* vestigio.

nium exhibet, liberrimam quam habet omnium rerum potestatem, qua nulli aliquid *debet*, unde a nullo in ius vocari potest. Ecce Dei tituli, quibus Iobus nimiae temeritatis convincitur. Omnia ipse *dedit*, omnia ipsius *sunt:* ergo de omnibus liberrime disponit.

d) Eius robore et membris commendatur Dei potentia 41, 3-15.

Hanc potentiam robore huius belluae illustrat. Id primo generatim enuntiat v. 3 in hebr. *non tacebo de membris eius, de ratione roboris et gratia armaturae eius* (cf. *Mar. Malv. Cod. Vav. W. Le Hir*) vel *structurae eius* (*Del. Zsch. P.*) [1]. *S. Hier.* vertit v. 3 « *Non parcam ei et verbis potentibus et ad deprecandum compositis* »; — verba haec ad antecedentia nectenda sunt : si mihi libuerit eum perdere (vel aliquem affligere?), propter nullius minas aut preces ei parcam, sed liberrime agam (cf. *Cord. Tir.*).

Iam membra crocodili describere incipit; praemittit vero interrogationem, qua indicat, accuratiorem investigationem crocodili pro homine non carere periculo; v. 4 « *quis revelabit faciem indumenti eius et in medium oris eius quis intrabit* »? — i. e. quis unquam ei abstulit indumentum, pellem ; quis thoracem illum, quo obtectus est, ei ademit ? In hebr. ad verbum : *in duplicitatem freni eius* (cf. *Mar. Malv.*), i. e. oris interioris, cui frenum vel capistrum inseri solet : unde : in duplicem seriem dentium quis manus immittet (cf. *Ges. W. Hirz. Del. Zsch. Hitz. P. Le Hir*) ? Eundem terrorem exhibet v. 5 « *portas vultus eius quis aperiet? per gyrum dentium eius formido* »; — quis valvas faciei eius, rictum oris immanem aperiet; hebr. ad verbum *circuitus dentium eius terror*, ordines dentium terribiles sunt. « Crocodilus scil. sexaginta numero dentes, eosque maiores habet, quam pro ratione corporis, et in illis quosdam exsertos, alios ferratos et pectinatim coeuntes » (*Bochart.*).

Transit ad squamarum commissuras describendas, quibus dorsum obducitur; v. 6 « *corpus illius quasi scuta fusilia, compactum squamis se prementibus* » ; — hebr. *dorsum* (ita גַּאֲוָה Prov. 14, 3 — idem ac גִּיחַ)

---

1. בַּדִּים cf. 18, 13; proprie *de verbo roboris*, i. e. de eo, quod de robore dicendum et praedicandum est (*Hirz. Hitz. W.*) vel de statu, conditione, modo roboris; חִין forma est aramaizans pro חֵן (cf. גִּיר et גֵּר); עֶרֶךְ cf. Iud. 17, 10 (*vestem* ibi vertit *S. Hier.*) est *dispositio*, conformatio partium, *structura;* vel instructio aciei, armatura.

laminae scutorum; unde *S. Hier.* sensum bene expressit [1]. Etiam alterum hemistichium ad sensum optime vertit; ad verbum in hebr. *compactum sigillo arcto* i. e. dorsum vel unumquodque scutum arcte est conclusum et compactum, quasi sigillo. Id ulterius proponitur v. 7 « *una uni coniungitur et ne spiraculum quidem incedit per eas* »; — squama squamae arcte committitur, ita ut nulla rimula sit, ut ne aer quidem transmeare queat; praeterea nexu insolubili inter se firmissime adhaerent; v. 8 « *una alteri adhaerebit et tenentes se nequaquam separabuntur* »; — hebr. *connectuntur* (inter se) *et non divelluntur* i. e. telum vel hasta non potest nexus illos scutorum vel nodos squamarum dirimere. Bene *Vav.* : « usque adeo squamae cohaerent aliae ex aliis aptae et omnes inter se nexae et iugatae sunt, quasi facta testudine, siquidem cum scutis conferuntur ».

Iam aliqua de *gratia* (v. 3), decore, terribili quadam maiestate subdit : v. 9 « *sternutatio eius splendor ignis et oculi eius ut palpebrae diluculi* »; — hebr. *sternutatio eius radiat lucem;* « cum sternutat, per nares confertim actus spiritus tanto prorumpit impetu, ut scintillare videatur et flammas emittere ; quod ideo huic animali frequentius accidere mihi est verosimile, quia ei sollemne est, ut oculis ad solem obversis apricetur » (*Bochart.*) ; unde aquarum per sternutationem eiaculationes in radiis solis splendescere dicuntur. Oculi crocodili rubro colore sub aqua fulgent, antequam emergat ; unde comparatio cum rubicundo splendore aurorae. Ceterum tradit *Horapollo* de Aegyptiorum hieroglyphicis signis : « auroram significantes oculos crocodili pingunt propterea quod ante totum corpus animalis oculi ex fundo apparent » (cf. *Ros. Calm. W. Del.*). Quodsi ex aqua emerserit, vehementi anhelatione et impetu in aerem difflat aquas, quae ad solem resplendent; unde v. 10 « *de ore eius lampades procedunt, sicut taedae ignis accensae* » : — *faces, scintillae ignis exsiliunt* (hebr.), uti v. 9 *lucem splendescere* dicitur.

Bene *Mar.* : « *lampades* vocat eam subtilem aquam, quam in sublime iacit, *scintillas* aquam comminutam in guttas » ; et *Men.* : « ore enim candicantem et pellucidam aquae vim emittentes, lampades videntur eructare ». Pergit in eadem imagine et hyperbole v. 11 « *de naribus eius procedit fumus, sicut ollae succensae atque ferventis* »; — i.e. insuper e naribus emittit aquae guttulas subtiles adeo, ut in modum fumi et pulveris prosilire videantur; « vehemens respiratio et halitus densus fumi speciem exhibet » (*Men.*), « tum spiritus diu pressus sic effer-

---

1. Alii : superbia sunt laminae scutorum vel *canales* scutorum i. e. quam superbe, magnifice, splendide compinguntur (cf. *Mar. Malv. Cod. W. Del. Zsch.*); sed versio *S. Hier.* quam *Aq.* quoque expressit (cf. *Ol.*), videtur praeferenda (*Vav. Hitz. Le Hir*).

vescit et erumpit tam violenter, ut flammas ore et naribus videatur evomere » (*Bochart.*) [1].

Eadem imago hyperbolica cernitur in v. 12 « *halitus eius prunas ardere facit et flamma de ore eius egreditur* » ; — tales enim sunt poetarum voces et comparationes v. g. Pindari, qui boves flammam ardentis ignis e flavis malis spirare dicit (Pyth. Od. 4, 400, Virgilii : « totoque ardentis ab ore scintillae absiliunt, oculis micat acribus ignis » Aen. 12, 101). Bene notat *Calm.* : « haec autem omnia poetica sunt et elegantissima; neque vivido magis colore pingi potest bellua vorax, avida, violenta, crudelis ».

Deinde rationem fortitudinis prosequitur, v. 13 « *in collo eius morabitur fortitudo et faciem eius praecedit egestas* » ; — hebr. *ante faciem eius* (ante eum) *exsilit terror* i. e. omnia terrore eius et horrore, ubicumque apparuerit, corripiuntur — pulchra antithesi : robur moratur et quiescit apud ipsum, reliqua metu et horrore eo viso dilabuntur [2]. Id peculiare habet robur eius, ut ipsae partes carnis, quae molliores esse solent in aliis animalibus, firmae sint : v. 14 « *membra carnium eius cohaerentia sibi, mittet contra eum fulmina et ad locum alium non ferentur* » ; — i. e. corpus gerit compactum, colligatum ; particulae illae carnis, quae propendere solent et in aliis animalibus sunt laxae ac pendulae, in hoc cohaerent inter se ; tota caro solida est (*Malv.*) ; immo ea est compages ac durities, ut vel ipsa fulmina ab impenetrabili corpore resiliant neque ad interiora corporis ferantur, sed in ipso corporis tegumento deficiant (*Cord.*) ; vel : etsi quis fulmina in eum mitteret, non moverentur membra eius loco (cf. *Pin. Men. Tir.*), non caderet.

LXX habent καταχέει ἐπ᾽ αὐτόν, οὐ σαλευθήσεται, effundet super illum, non commovebitur ; unde et textus hebr. יְצוּק עָלָיו facile deprehenditur et versio *S. Hier.* declaratur : *mittet contra eum fulmina*, vel, ut aliorum [3] olim

---

1. De vocibus hebr. cf. Ier. 1, 13 ; אַגְבּוֹן (non, ut 40, 21) a radice arabica *ardere, fervere* derivatur : unde *fervor*, vel *crater, olla. Hitz.* ex voce sanscritica (!) *açman* lapis, ἄχμων *incus* vocem explanat, vultque χαλκός *aes* significari, dein χαλκίον χαλκεῖον, vas ex aere confectum.

2. LXX et *S. Hier.* pro תָּדוּץ legerunt (vel saltem vertisse videntur) תָּרוּץ uti complures codd. habent ; perniciem quam affert (LXX ἀπώλεια, *Aq.* ἐκλιμία) et damnum *S. Hier.* exprimit ; דֶּאָבָה est *languor virium* prae terrore, ignavia ; est tabes prae angustia.

3. Cf. *Luc. Brug., Pin.*, ita biblia Lovan. et Rob. Stephani. *Phil.* allegat quidem ad h. l. *pluit Dominus a Domino* ; attamen eum etiam *fulmina* legisse, patet ex eo, quod subdit : fulminatur autem a Deo draco diabolus, quando igneis Dei eloquiis de sanctis nubibus increpatur etc.

erat lectio *flumina*. Hebr. verte : *decidua carnis eius cohaerent* (firmiter adhaerent), *compactum est* (unumquodque eorum) *super eum, non movebitur ;* vi verbi opere fusorio quasi metalla fusa et consolidata carnes ei adhaerescere et firmari dicuntur[1] ; cf. *indurabitur*[2] v. seq.

Huic robori iungitur animus intrepidus, ferox, durisssimus ; ita demum bellua exsistit immanis et homini terribilis ; v. 15 « *cor eius indurabitur tamquam lapis et stringetur quasi malleatoris incus* » ; — i. e. adeo impavidum et durum est, ut neque silici cedat neque incudi ferreae (*Cord.*). Hebr. *cor eius firmum est ut lapis, firmum ut lapis molaris inferior* (cf. *Mar. Cod. Vav. W. Zsch. P. Le Hir*) ; iste inferior molae lapis erat immobilis et durissimus[3].

e) Item terrore eius et virtute invicta 41, 16-25.

Quia igitur tanto robori aequalem coniungit animi ferociam et crudelitatem, merito etiam viri fortes expavescunt ; ita v. 16 in hebr. *si se effert, pavent fortes* ; *prae* (cordis) *contritionibus* (prae terrore) *conturbantur* vel *aberrant, diffugiunt* (cf. *Cod. Malc. Calm. W. Zsch. Del. Hitz. P. Le Hir*).

Est enim חָטָא *aberrare a scopo, labi*, in forma hithp. apte explicatur : *aberrare inter se ; in se conturbari, labi ; e statu deiici et errare*[4] ; *cordis* contritiones hic ex contextu intelliguntur ; sunt, uti Is. 65, 14 contritio spiritus, terrores, quibus cor et animus frangitur (שֶׁבֶר). אֵילִים *Chald.* [et *Syrus* rite explicant *fortes* vel *robusti* ; et *S. Hier.* explicuit *robusti* (Ex. 15, 15), *fortes* (Ez. 17, 13) ; cur hoc loco *angeli* posuerit, forte ex scriptione variante אֱלִים multorum codd. *dii* explicatur ; חָטָא eo sensu adhibuit, quo hithp. Num. 19, 12 et seq. 31, 19. 23 occurrit *sese expiare*.

Unde v. 16 « *Cum sublatus fuerit, timebunt angeli et territi purgabuntur* » ; — explicant *nuntios, navigantes* (*Pin. Cord.*), vel *fortissimos* quosque (*Men. Tir.*) ; *purgabuntur* i. e. expiabunt se, timore mortis reconciliationem cum Deo quaerent (ita *Sanct. Cord. Pin.*)[5].

---

1. Ita *vet. lat.* habet : « carnes corpori eius adhaerent, circumfusae ei et immobiles ». M. 29, 111 ; *Sym.* σάρκες αὐτοῦ περικεχυμέναι αὐτῷ ἀκλινεῖς.

2. Hebr. idem יָצוּק bis ; in lat. indurabitur, stringetur.

3. יָצוּק = particip. pass. a יָצַק ; vix est h. l. fut. a צוּק, uti 28, 2 ; 29, 6.

4. Uti bene *Aq.* ὑποσταλήσονταί ἰσχυροί ; et *Sym.* ὑπὸ τῆς κινήσεως αὐτοῦ εὐλαβηθήσονται ἰσχυροί.

5. Nam quod alii proferunt de alvi prae timore solutione — *Sa, Mar. Tir. Vat. Calm.*

Et iure fortes conturbantur, nam arma omnia invalida sunt contra eum ; ita v. 17 in hebr. *si attigerit eum gladius, non stabit*, (non)*lancea, sagitta,* i. e. nihil valent in eum, non infiguntur et haerent; idem in vulg. v. 17 « *cum apprehenderit eum gladius, subsistere non poterit, neque hasta, neque thorax* » ; — i. e. arma nihil valent in eum ; etsi pugnator sit hasta et lorica instructus, nihil proficiet [1]. Et quantopere arma sint invalida, optime depingit v. 18 « *reputabit enim quasi paleas ferrum et quasi lignum putridum aes* » ; — tam parum tangitur, quam si paleis vel ligno putrido percuteretur; adeo impenetrabile habet corium. Quare sagittis et fundis non potest fugari : v. 19 « *non fugabit eum vir sagittarius, in stipulam versi sunt ei lapides fundae* » ; — hebr. *filius arcus* i. e. sagitta; cf. Lament. 3, 13 *misit in renibus meis filias pharetrae suae* ; lapides funda proiecti eum non magis terrefaciunt, quam stipula; v. 20 « *quasi stipulam aestimabit malleum et deridebit vibrantem hastam* » ; — superbam securitatem, contemptum aggressorum optime hic delineatum cernimus [2].

Spernit igitur hostilem impetum, et cum terribili quadam maiestate in terra (v. 21) et in aqua (v. 22. 23) versatur et prae omnibus horrore et robore excellit (v. 24. 25). Primo delineat, quomodo in terra, in litore sua relinquat vestigia v. 21 in hebr. *sub ipso acutae testae* (acumina testae) i. e. habet in ima ventris parte squamas forma et duritie testis similes; id quod illustrari potest ex *Aeliano* (hist. nat. 10, 24) : « in tergo et cauda invulnerabilis exsistit, corticibus quippe cataphractus quasi et armatus squamis, quae testis validis conchisque simillimae sunt » ; unde si corpus trahit per lutum, vestigia in luto apparent impressa quasi tribuli ; *sternit tribulum super lutum* (cf. *Cod. Malv. VI. W. Del. Zsch. P.*), intelliguntur ergo scuta eius aspera et squamosa, quibus ventri pars est obsita, quae tribuli ferramentis similia repens vel iacens bellua in coenum molle imprimit.

Priorem hemistichii partem eodem modo expressit *Chald.* : « sub eo sunt lapilli acuti, quasi testa », *Aq.* ὀξυντῆρες ὀστράκων acumina testarum; LXX illud *sub eo* ita exprimunt, quasi crocodilus diceretur super testas illas cubare : ἡ στρωμνὴ αὐτοῦ

— quamvis, ut ait *Pin.*, ad foedi timoris naturam valde sit opportunum, tamen nimis foedum est, neque Ez. 7, 17 suadetur, et insuper alienissimum a textu hebr.

1. מִסְפֶּא ex arab. *sagittam* explicant (cf. *Hitz.*) : שִׁרְיָה similiter ex *arab. spiculum*, quod utique melius congruit, quam thorax (LXX et *S. Hier.* vocem componebant cum שִׁרְיוֹן 1 Reg. 22, 34 et שִׁרְיוֹן 1 Sam. 17, 5. 38. 2 Chron. 26, 14; Neh. 4, 10 *lorica, thorax*).

2. תּוֹתָח ἁπ. λεγ. LXX, *Sym.* σφυρά (σφῦρα); *Chald. secures*; *Syrus hastile*; S. Hier. cum LXX vocem reddidit *malleum* i. e. plagarum ictus (*Ol.*), vel fustem; alii *catapultam* aut *balistam* etc. interpretantur (cf. *Malv. Cod.*) ; alii recentiores *fustem;* alii aliter cf. *de Rossi.*

ὀβελίσκοι ὀξεῖς, et *vet. lat.* : « cubile eius sudibus ferreis praeacutis »; isti omnes igitur חֲרֻשׁ rite explicant, eandem vocem S. *Hier. testam* interpretatur 2, 8; Is. 30, 14; 45, 9 et similiter Lev. 6, 21; 11, 33; 14, 5. 50; 15, 12; Num. 5, 17; Ier. 32, 14; Prov. 26, 23 etc. (vas fictile); h. l. vero = חֲרֵס *sol* vocem intellexit, unde *acumina* solis = *radios* reddidit. *Theod.* vero חָרַשׁ legit; vertit enim, uti *Sym.* quoque σιδήρια τέκτονος ferramenta fabri (cf. *Ol.*). In altero hemistichio vox חָרוּץ varietati interpretationum ansam dedit; significatione *auri*, quam habet cf. Prov. 3, 14; 8, 10; 16, 16. Zach. 9, 3, vocem acceperunt LXX, *Chald.* [1] *Hier.* Sed cum *aurum* ad antecedentia non congruat, vox sane eo significatu capienda est, quo Is. 28, 27 (vulg. in serris); 41, 15 (cf. vulg. plaustrum triturans) occurrit a חָרַץ *secare, incidere*. Ea enim ratione sensum satis commodum elicimus.

S. Hier. versio v. 21 « *sub ipso erunt radii solis et sternet sibi aurum quasi lutum* »; — intellectu et explicatu difficillima est (id quod in falsa verborum acceptione et a textu originali aliena nemo mirabitur); quare *Cod.* v. g. eam hisce dimittit : « longe abit a recta sententia »; alii, uti *Calm.* nullam explicationem tentant; reliqui in varia abeunt : alii *in radiis* et *auro* squamas intelligunt splendentes, quibus incubans Leviathan quiescat et dormiat; alii : agitatis fluctibus solis lucisque eripi aspectum; alii : nullo solis calore illum affici molestia; alii : res splendentes et pretiosas ab eo sperni, etc. (cf. *S. Thom. Pin. Cord. Sanct. Mar. Men. Tir. Gord. Vav.*).

Iam vestigia et indicia depingit, quibus in aquis eius praesentia et robur dignoscatur, v. 22 « *fervescere faciet quasi ollam profundum mare et ponet, quasi cum unguenta bulliunt* »; — ita, si praecipiti cursu se proripit in flumen et aquas exagitat suis motibus; hebr. *mare ponit ut ollam unguentarii* vel *mortarium unguentarii* i. e. miscet, turbat omnia sui iactatione et aquas facit quasi ebullire, fervescere, spumescere [2]. Ita undarum ebullitione, spumis, turbatione *robur* manifestat; sed cum placide natat, non caret tranquilla quadam gratia (cf. v. 3 חֵן); ita v. 23 in hebr. *post se lucidam reddit semitam, reputabit* (aliquis) *mare canitiem*, i. e. eius natatione aquae albescunt spuma; aquae planities sulcis scissa albescentem spumam excitat, qua cursus eius insignitur; maris *canities*, *mare canum*, uti πολιὴ ἅλς, πολιὴ θάλασσα apud Homerum. Idem bene exprimit vulg. v. 23 « *post eum lucebit semita, aestimabit abyssum quasi senescentem* »; — i. e. canescentem spuma; « natantis vestigia ostendet longus spumae sulcus et aquarum

---

1. *Syrus* hos 3 versus 21. 22. 23 omisit; eos pariter eiici vult *Hitz.*, at perperam, cum et aliarum versionum testimonium habeant et ad descriptionem apti sint.

2. בְּיָצוּלָה non solum de mari, verum etiam de profundis fluminum dicitur Zach. 10, 11 et de limo, luto profundo Ps. 69, 3.

albedo persimilis albae senis comae » (*Calm.* sim. *Mar. Cod. Malv. Men. Tir. Cord.*); mare albescens *dixeris* (3 pers. *aestimabit* in universum accipe, ut saepius iam dictum est).

Demum descriptio concluditur, dum summatim recensetur belluae eminentia; v. 24 « *non est super terram potestas, quae comparetur ei*; *qui factus est, ut nullum timeret* »; — hebr. מִשְׁל h. l. duplici modo capitur: vel *similitudo*, simile = מָשָׁל (ita LXX *Cod. Mar. P. Del. Le Hir*), vel *potestas, dominium* (cf. Zach. 9,10 — ita *Chald. Syr. Sym.* ἐξουσία *Malv.* III. V. *W. Zsch. Hitz. Hirz. Renan*) i. e. nemo in eum dominari potest; utrumque *S. Hier.* videtur coniunxisse; certe neminem potestate in illum valere, alterum quoque membrum edicit: *factus, ut non timeat.* Unde v. 25 « *omne sublime videt*; *ipse est rex super universos filios superbiae* »; — i. e. omnia alia animalia, licet sint robusta, despicit et spernit [1]; bestiis aliis ferocibus quasi rex praeest, iis est timori; bene LXX et *vet. lat.* ambitum huius potestatis circumscribunt: « ipse est rex omnium, quae in aquis sunt ».

Nota. Quod supra de *Behemoth* diximus, etiam de *Leviathan* valet, scil. fere communem esse veterum sententiam, hoc symbolo *diabolum* describi, et alios quidem ita explicare, ut nullum ibi agnoscentes animal omnia directe et immediate ad diabolum transferant et de diabolo dici velint (cf. *Phil. S. Greg. Br. Rup.*), alios vero, ut in bellua descripta imago et symbolum cernatur diaboli (cf. *S. Ephraem, exp. in. S. Thom. Pin. Cord. Sanct. Est. Tir.*). Attamen rem minime ut *certam* proponi apud aliquos notandum est; insuper, cur aliqui in eam interpretationem se adigi fateantur, bene adverte. Audi igitur v. g. *Ol.*: « Deus de dracone verba facit, quem nonnulli iuxta historiae veritatem animal esse volunt, robore et mole corporis eximium, alii vero Leviathan esse dixerunt, qui in initio diabolo inserviit et Evam decepit. Plerique vero eorum qui in Ecclesia claruerunt in commentariis suis et scriptis allegorice quae de Leviathan scripta sunt, ad diabolum referunt. Quod ad me attinet, an tale animal in rerum natura exsistat, dicere non possum... Quod vero ad draconem apostatam... ea referantur, plurimum assentior »; et iterum: « an igitur tale aliquod animal sit, nondum persuasum habeo [2]; quod vero diabolum sacra Scriptura innuat, multis sanctis et in Ecclesia illustribus viris ita visum est ». Etiam *S. Thom.* propterea potissimum hanc de diabolo explicationem suaderi ait, quia

---

1. *Hitz.* corrigit יִרְדֶּה *calcat, conculcat;* at *mala* correctio, qua nimium dicitur; nam quomodo crocodilus omnia sublimia pedibus conculcat? bene vere *non curat, contemnit,* sine timore aspicit. Melior est *B.* coniectura inserentis בּוֹ, neque tamen necessaria, quia בְּ aspectum dicit consideratum, attentum, qui sane ab h. l. exsulat.

2. Etiam *Barh.* commemorat, alios tale animal tamquam mentis figmentum considerare.

censet v. 25 *rex super omnes filios superbiae* aperte et unice dici diabolum (cf. ad cap. 40 lect. II et ad v. 25 : « quia igitur multa praemiserat de proprietatibus Leviathan in figura diaboli, consequenter praedictam metaphoram exponit etc. »). Atque *Sanct.* aliam pandit rationem, cur explicationem hanc amplectatur : « quia aut non, aut saltem non nisi difficile inveniatur ullum animal, cui illa conveniunt omnia, fit verisimile, quasi hieroglyphico animali expressum esse daemonis ingenium ». Sed nemo non videt, hanc rationem non subsistere, verum *poetica* descriptione animalis indolem perbene illustrari ; quare subtracto *hieroglyphico* animali etiam hoc explicationis fundamentum cessat. Neque id omittendum est, ex versionibus gr. et lat., quae *angelos* perperam inserunt textui (v. 16. 24), explanatores in illam devenisse sententiam ; « probant potissimum ex eo, quod non videantur ceto vel ulli belluae convenire *preces, pactum, foedus, cordis duritiem, timor angelorum, potestas regia super filios superbiae*, quare ad naturam intellectualem videntur referenda » ita *Pin.*, postquam huius explanationis patronos : Isidorum, Tostatum, Riberam, Leonem Castrensem adduxit. Eam explicandi rationem ex veteribus non commemorant, nedum sequantur *Cod. Mar. Men.* et saltem de Leviathan non commemorant *Vav. Calm.*

Ceterum recole, quae in introductione de mystica explanatione diximus. Minime vero in animo est negare, aliquam saltem *ansam* huic interpretationi praeberi ab ipsa s. Scriptura, quae draconem, Leviathan aliis in locis adhibet tamquam symbolum inimicorum Dei (cf. Is. 27, 1. Ez. 32, 2. Ps. 73, 14).

CONCLUSIO

Cap. 42.

Arg. — Iobus admissam temeritatis culpam fatetur et dolore expiat (42, 1-6). Dominus vero tres amicos reprehendit, Iobum servum suum laudat eumque intercessoris munere ad expiandam amicorum trium culpam fungi vult. Iobus in pristinam prosperitatis conditionem restituitur gratulantibus omnibus, immo ad maiorem a Deo provehitur, in qua 140 annis exactis beate moritur (42, 7-16).

a) Iobum poenitet temeritatis 42, 1-6.

Descriptionibus istis Iobus altissimo sensu divinae potentiae et scientiae est imbutus et quidem tali cognitione, quam *practicam*, pro vita, moribus, sentiendi ratione efficacissimam dicere debemus; *theoreticam* enim ipse iam saepius et valde praeclaram professus erat; cf. 9, 4-10; 12, 7-25; 26, 5-14; 28, 23-28; attamen non illam pro se *applicationem* collegit, quam nunc a Deo reprehensus et de iisdem rebus monitus toto animo complectitur. v. 1 « *Respondens autem Iob Domino dixit* : v. 2 *scio, quia omnia potes et nulla te latet cogitatio* »; — hebr. *nullum consilium* (molimen) *tibi prohibetur* i. e. nemo unquam Deum prohibere potest vel impedire, quominus consilia sua exsequatur [1] (cf. *Mar. Malv. W. Zsch. P. Le Hir*). Quae consilia sapientissima esse, in ipsa rerum administratione et animalium indole tamquam in imagine quadam Iobo ostensum est; unde non restat, nisi ut humiliter agnoscat id quod Deus ei exprobraverat 38, 2. Id iam facit, eadem verba ad se applicans seque Dei verbis reprehendens; v. 3 « *quis est iste qui celat consilium absque scientia? ideo insipienter locutus sum et quae ultra modum excederent scientiam meam* »; — cf. 38, 2; sibi haec verba dicens, ex animo Dei in se sententiae subscribit, eam plane agnoscit et laudat. Humilis est culpae confessio; audaciorem loquendi modum et acriores illas expostulationes damnat [2], se Dei consilio tenebras offudisse, id obvolvisse suis verbis et querelis; *enun-*

1. Ita etiam LXX ἀδυνατεῖ δέ σοι οὐδέν; item *vet. lat.*
2. Quare *B.* perperam v. eiicit, censens eum omnino praeter rem praemitti.

tiavi et non intellexi, maiora quam pro me, et nescivi (hebr.). Bene *S. Thom.* culpam Iobi in eo ait consistere, quod debitam reverentiam non exhibuerit divinae excellentiae in verbis et quod divina iudicia discusserit. Praedicat nunc Iobus Dei scientiam, ignorantiam suam cum emphasi effert. Uti superbia peccati est initium, ita quam primum quis a Deo edocetur, humilitatem profitetur; antea Iobus de sua scientia nonnihil gloriatur (12, 2. 3), iam nunc non solum Dei vituperationem amplectitur, verum etiam, quae Eliu ei exprobraverat 34, 35; 35, 16 et hebr. 34, 18 scil. locutionem absque scientia et arrogantiorem humiliter agnoscit et in se reprehendit.

Et quid in loquendi modo praecipue reprehensione dignum sit, indicat v. 4 « *audi et ego loquar; interrogabo te et responde mihi* »; — ita scil. antea cum Deo expostulaverat, Deum in ius vocans et ab eo vehementi impatientia rationem exigens, cur innocentem affligeret; cf. 13, 22 et seq.; hisce se insipienter et arroganter locutum esse (v. 3) fatetur. Haec explicatio optime congruit, neque insuetum est Iobum ita verba priora allegare (cf. 27, 13 et seq.).

Aliae explanationes plus minusve contortae videntur; aut volunt dici: precor, ut si quid interrogavero, me benigne doceas (cf. *Ol. S. Thom. Pin. Cod. Malv. Men. W. P.*) aut: si quid dixi, dictum a me volo interrogando ut docear, precando ut tu erudias ignorantem (cf. *Pin. Del.*). Sed in priore iam *Ol.* advertit, mirum esse, quod Iobus post talem precationem iam nihil a Deo interroget; alteri vero verba ipsa minime congruunt. Alii demum volunt haec ut *Dei* verba a Iobo allegari: ita ad me dixisti, o Deus; iam responsum meum est v. 5. 6: pater peccavi, miserere mei (*Zsch.*). At commodius et facilius ex v. 3 fluunt verba, ut iam *Cord.* optime advertit: « haec illa duo verba sunt, quae 13, 22 insipienter locutus est, dicens Deo: *voca me et ego respondebo*..., de quibus, ut a se nimis audacter ac temerarie dictis se dolere significat »; ita quoque *Tir.* [1] et e recentioribus *Umbreit, Hitz.* [2] et, ut videtur, *Le Hir.*

Cur et quomodo ad hanc sui accusationem adductus sit, explanat v. 5 « *auditu auris audivi te, nunc autem oculus meus vidit te* »; — « quasi diceret: Domine, verum est me antea audivisse, cum verba fierent de tua maiestate, sed nunc ipsam alia ratione cognosco, et quidem ut me tibi penitus subiiciam » (*Cord.*); comparationem instituit inter cognitionem priorem et eam quam nunc habet, et dicit se tantum profecisse, ut oculos aperuisse et visum recepisse sibi videre-

1. Quare perperam *Hitz.* putat, hanc optimam connectendi rationem ab *uno* Umbreit esse perspectam.

2. *B.* etiam h. v. eiicit, immo eum *absurde* hic repeti censet, cum Iobus interrogationes annuntiatas non proferat. Sed haec ratio tantum ostendit, explicationem a *Cord.* et *Tir.* datam esse amplectendam.

tur. Unde S. Thom. : « plenius te cognosco quam prius, sicut id quod videtur oculis certius cognoscitur quam quod aure auditur » (sim. *Ol. S.Greg. Mar. Vav. Men. W.*); *vidit* certe ad ipsam Theophaniam referri debet, qua Deum visibili quadam specie praesentem videt vel scit in turbine, eumque loquentem percipit ita, ut cum visione corporali maior etiam mentis illustratio coniuncta sit (cf. *Tir. Calm. Cod. Gord.*). Huius autem fructum ostendit v. 6 « *idcirco ipse me reprehendo et ago poenitentiam in favilla et cinere* »; — hebr. *propterea aversor et ago poenitentiam in pulvere et cinere;* dicta aversor, abominor, detestor: poenitentis animi symbola externa sunt sedere, iacere in pulvere et cinere; cf. Ion. 3, 6. Dan. 9, 3; « convenit enim humilis satisfactio ad expiandam superbiam cogitationis » (*S. Thom.*). Ita Iobus dolet, retractat, expiat audaciores animi motus. Quidquid igitur in eius verbis offensioni esse poterat vel reverentiam Deo debitam laedere, Eliu sermonibus, Dei reprehensione, Iobi confessione et poenitentia abunde est notatum, castigatum, retractatum.

b) Iobi innocentia declaratur, restituitur prosperitas 42, 7-16

Hisce peractis restat, ut Iobi innocentia praeclarum ferat a Deo testimonium coram Iobi accusatoribus tribus. Quae sequuntur, iam prosa oratione proponuntur. Deus Iobo testimonium dat *primo* illos tres reprehendens, Iobum veram sententiam defendisse statuens eumque ut suum fidelem servum declarans. Haec tria proponuntur v. 7 « *Postquam autem locutus est Dominus verba haec ad Iob, dixit ad Eliphaz Themanitem : iratus est furor meus in te et in duos amicos tuos, quoniam non estis locuti coram me rectum, sicut servus meus Iob* » ; — hebr. *non estis locuti de me rectum*, proprie *stabilitum*, id quod stat, i. e. veritatem obiectivam. Illorum igitur sententia a Deo reiicitur, ut Iobus eam reiecerat; erat autem : Iobum esse scelestum, et aerumnas semper esse scelerum castigationes. Deus irascitur; ergo errorem hunc dogmaticum sua culpa vel admiserunt vel contumaciter retinuerunt, quamvis Iobus eos dedoceret. Deus ad Eliphaz verba dirigit; erat igitur inter illos praecipuus (cf. *Ol.*), uti 2, 11 primo loco nominatur et etiam primus semper disceptationis ordinem excipit (cp. 4. 15. 22). Graviter monet et recte *Cord.* : « est in hoc mirabile ac stupendum iudicium Dei, quod hi qui iudicio suo se putabant recta locutos, immo et causam iustitiamque Dei egregie propugnasse, Dei iudicio coarguuntur atque damnantur ut impie locuti ». Mirantur aliqui, cur de Eliu non fiat mentio (cf. *Tir. Calm.*), immo non verentur, eum tribus illis reprehensis accensere (cf. *Pin.* : « Eliu quod aliis dicitur, sibi dictum existimet » ; *Cord.*), vel etiam putant eum Dei silentio gravius puniri;

prorsus enim negligi eum dicunt ac fastidiri, quippe qui ob incredibilem fastum ne reprehensione quidem dignus sit (cf. *Tir.*). At immerito. Eliu non numeratur inter reprehensos, quia vera locutus est. Dei silentio revera approbatur, et omnino veritati consonum est, quod *Cod.* non admittit : multi existimant manere sarta tecta eius hypomnemata et commendari a Domino (cf. *Mar.*). Compellatur Iobus a Deo eadem honorifica appellatione, qua ante pugnam; unde praeclarum documentum fidelitatis in Dei servitio etiam tempore durissimae probationis ei a Deo exhibetur (cf. *S. Greg.*). Et complacet sibi Deus in repetitione huius tituli honorifici; v. 8 ter eum ita compellat; « observa etiam, quemadmodum appellatione servi iustum honorans, Iobum famulum suum vocet, idque non semel, sed saepius facit » (*Ol.*).

Deinde *secundo* Iobus a Domino honoratur, dum sollemmi modo intercessor constituitur a Deo et sacerdos ad tres illos expiandos. Quem scelestum traduxerunt, iam supplices adire debent tamquam virum Deo gratissimum, qui *ipsis* peccati veniam a Deo obtineat; ita v. 8 « *sumite vobis septem tauros et septem arietes et ite ad servum meum Iob et offerte holocaustum pro vobis; Iob autem servus meus orabit pro vobis. Faciem eius suscipiam, ut non vobis imputetur stultitia, neque enim locuti estis ad me recta, sicut servus meus Iob* »; — bene *Ol.* : « numerus septenarius in Scriptura in honore est et perfectus censetur; perfectas igitur hostias offerre iubentur, utpote qui gravia peccata admisissent » (sim. *S. Thom. Pin. Cord.*). Locus est notatu dignus, quo sancti viri apud Deum intercessio efficax ab ipso Deo commendatur (cf. Ex. 32, 31. Num. 12, 13; 16, 37; 21, 7. Deut. 9, 18. 1 Reg. 7, 5; 12, 23. 3 Reg. 13, 6. Iudith 8, 28-31. 1 Esdr. 6, 10 etc. — alia intercessionis exempla); — iam si amici Dei in terra peregrinantes adiri possunt, ut pro nobis orent, quare non iidem in gloria consummati Deoque quam maxime uniti? Praeclarum igitur habemus doctrinae catholicae documentum. In hebr. efficacius *tantum eius faciem suscipiam*, i. e. tantum eius rationem habebo; solum propter eius orationem Deus peccati poenas ab illis non exigit (cf. Gen. 19, 21. 4 Reg. 3, 14 de hac locutione).

Hebr. proprie *ne faciam vobiscum stultitiam* i.e. poenam temeritatis ne vobis infligam (cf. W. *Zsch. Le Hir*); nominatur scil. peccatum et id quod necessitate quadam cum eo coniunctum est, *poena;* ita etiam עָוֹן et חַטָּאת quandoque pro *poena* culpae debita ponitur. *Cord.* vertit : « ne quid exitiale vobis contingat » — sed a vocis vera significatione alienum est. Rite LXX et *vet. lat.* : « et nisi propter ipsum perdidissem vos ».

Fit, sicut imperatum est a Deo; v. 9 « *abierunt ergo Eliphaz The-*

manites et Baldad Suhites et Sophar Naamathites et fecerunt, sicut locutus fuerat Dominus ad eos. Et suscepit Dominus faciem Iob » ; — i. e. propter Iobi orationem veniam concessit amicis ; uti LXX et *vet. lat.* habent : « et solvit peccatum eorum propter Iob ». Ergo illi, qui Iobum contemptui habebant, iam humiliter eum adeunt ; « et ita per obedientiam et humilitatem suam digni facti sunt, ut pro eis oratio Iob exaudiretur » (*S. Thom.*).

Tertio Iobo victori a Deo corona imponitur, dum sanitati restitutus omnia quae amiserat duplicia recipit, ab omnibus honoratur, vitam agit prosperrimam et numerosa eaque praeclara prole felicem (v. 10-15).

V. 10 « *Dominus quoque conversus est ad poenitentiam Iob, cum oraret ille pro amicis suis. Et addidit Dominus omnia, quaecumque fuerant Iob duplicia* » ; — hebr. *et Iahve restituit quod captum erat* (abductum) *Iobi* [1] (cf. *Malv. Vav. W.*) ; alii *captivitatem Iobi* eius miserias et aerumnas interpretantur (cf. *Cod. Zsch. Hitz.*) ; has Deus aufert, dum oraret *pro amico suo* (hebr.), scil. Eliphaz, qui praecipuus omnium instar nominatur. Iobus dum iniuriae acceptae immemor pro calumniatoribus suis precatur et actum exercet insignis charitatis, ipse victoriae praemium a Domino sortitur Deo aperte ostendente, quam grata ipsi sit oratio illa pro aggressoribus fusa (cf. *Pin. Cord.*). Id quod in abundantissima illa bonorum largitione quoque manifestatur.

Iobus, antea despectus, iterum honorifice consalutatur ab iis, qui eum reliquerant : v. 11 « *venerunt autem ad eum omnes fratres sui et universae sorores suae et cuncti qui noverant eum prius, et comederunt cum eo panem in domo eius et moverunt super eum caput et consolati sunt eum super omni malo, quod intulerat Dominus super eum, et dederunt ei unusquisque ovem unam et inaurem auream unam* » ; — i. e. veniunt cognati utriusque sexus et noti (cf. 19, 13-15) ; fortunae restitutionem festivo convivio celebrant ; ita amicitiae foedus cum *felici* Iobo iterum ineunt, qui infelicem deseruerant ; o sortes humanas, o auram popularem ! Nunc animos pandunt commiseratione plenos, quod tanta debuerat sustinere ; hebr. *commoti sunt super eum* i. e. condoluerunt ei (cf. *Mar. Calm.*) ; textus lat. de capitis commotione potest in admirationis signum explicari (cf. *S. Greg.*), vel, ut alii volunt, in commiserationis habitum (cf. *S. Thom. Pin. Men.*). Demum ei in honoris testificationem, uti moris est apud orientales, munera dant.

קְשִׂיטָה (Gen. 33, 19 ; Ios. 24, 32) explicant veteres versiones *agnum, ovem ;* recen-

1. Cf. *Sym.* ὁ κύριος ἐπανέστρεψε ἀποστροφὴν τοῦ Ἰώβ ; *Theod.* vero de poenitentia Iobi explicat ; cf. cod. syr. hexapl.

tiores etymologicam significationem ex arab. spectantes *aliquid pensi seu ponderati* i. e. genus numi apud veteres, et si *R. Akibae* sit fides, etiam tempore posteriore apud Africanos (cf. *Fürst* C. *Del.*). De valore talis numi inanis tantum coniectura exstat apud *Ges.* et *Hitz.* esse aureum numum 4 siclorum; נֶזֶם annulum dicit vel aurium, vel narium (cf. Gen. 24, 47. Ex. 32, 2. Is. 3, 25. Prov. 11, 22). LXX τετράδραχμον vertunt.

Ab hominibus honoratus etiam ab ipso Deo praeterea maxima bonorum temporalium benedictione coram omnibus insignitur; v. 12 « *Dominus autem benedixit novissimis Iob magis quam principio eius; et facta sunt ei quatuordecim millia ovium et sex millia camelorum et mille iuga boum et mille asinae* »; — ulterior est v. 10 declaratio; *principium* est prior eius ante calamitatem prosperitas, prior illa vitae epocha; « desideraverat Iob supra (29, 2), ut esset iuxta menses pristinos; sed Dominus ei maiora restituit » (*S. Thom.*).

Ad haec bona accedit benedictio prolis v. 13 « *et fuerunt ei septem filii et tres filiae* »; — *S. Thom.* advertit: « filii ei restituuntur, sed non in duplum; cuius ratio duplex potest esse: una pertinens ad futuram vitam; quia scil. filii quos habuerat non totaliter ei perierant, sed reservabantur [1] in futura vita cum eo victuri; alia ratio potest esse quantum ad vitam praesentem: nam si duplicatis ceteris rebus etiam numerus filiorum esset duplicatus, non videretur fortuna domus augmentata fuisse, quia eandem quantitatem in bonis eius unusquisque filiorum habuisset quam prius; et ideo decentius fuit, ut proles ei augeretur non numero, sed magis in valore; quod occulte insinuatur in filiabus, quarum pulchritudini etiam nomina convenerunt »; v. 14 « *et vocavit nomen unius Diem, et nomen secundae Cassiam et nomen tertiae Cornu stibii* »; — *Dies* i. e. clara, lucida, pulchra [2] ut dies; *cassia* planta est aromatica, apud veteres maximi aestimata (cf. Ps. 44, 9), cinnamomi similis (*Laurus Cassia*, Linn. cf. *Winer*, s. v. *Fürst* C. *Fillion* l. c. p. 21); hebr. *cornu fuci*, vasculum pigmentorum; stibium adhibebant feminae ad oculorum supercilia pingenda, ut oculi pulchriores ac splendidiores apparerent; dicitur itaque filia Iobi natura et forma tam elegans ac venusta fuisse, ac si mulierum ornamenta arte et industria maxima applicuisset. Quare subditur v. 15 « *non sunt autem inventae mulieres speciosae sicut filiae Iob in universa*

1. Eandem rationem affert *Barh.* : « priores enim servabantur ad resurrectionem, neque perierant ».

2. Ita יְמִימָה etiam concipitur a LXX, *Chald.*; recentiores vocem ex arab. explicantes *columbam* vertunt (cf. *Hirz. Del. Hitz. Le Hir, Renan*), quo nomine utique virgo speciosa appellatur Cant. 2, 14; 5, 2; 6, 8. — *S. Ephraem*, quem *Barh.* fere sequitur, nomina refert ad Iobi prosperitatem; « quia egressus est ex nocte caliginis — sortitus est finem כְּצָא tentationis — cornu meum denuo exaltatum est ».

terra; deditque eis pater suus hereditatem inter fratres earum »; — hac re denuo proditur, Iobum non fuisse Israelitam, cum lege (Num. 27, 8) tum tantum filiae *hereditatem* acciperent, si filii non adessent.

Ipse demum benedictione longaevitatis abundanter potitur; v. 16 « *vixit autem Iob post haec centum quadraginta annis et vidit filios suos et filios filiorum suorum usque ad quartam generationem;* v. 17 *et mortuus est senex et plenus dierum* »; — *post haec* i. e. post calamitatem illam; LXX et *vet. lat.* addunt : « et omnes anni vitae eius fuerunt ducenti quadraginta octo ». Fruitur Iobus illa benedictione, quam Ps. 127 celebrat; inter alia : *et videas filios filiorum tuorum. Plenus dierum*, hebr. *saturatus diebus* non vitae taedium significat, sed vixit longam et felicem aetatem, saturam bonis omnibus, quae homini concessa sint (cf. *Malv. Pin.*); sim. Gen. 25, 8; 35, 29.

In textu graeco et in *vet. lat.* adduntur quaedam alia, ad Iobi vel Iobabi[1] genealogiam spectantia, quae tamen *S. Hier.* cum ab hebr. exsulent suae versioni minime addidit; et iure quidem optimo; nam illa non a libri sacri auctore, sed ab interprete graeco vel ab alio potius profecta esse, verba ipsa satis produnt : οὗτος ἑρμηνεύεται ἐκ τῆς συριακῆς βίβλου. Immo prima quae adnectuntur verba, aperte interpolatorem *Christianum* produnt : γέγραπται δὲ, αὐτὸν πάλιν ἀναστήσεσθαι μεθ' ὧν ὁ κύριος ἀνίστησιν. Quare prorsus negligenda sunt.

Placet explanationi libri Iob finem imponere verbis *S. Chrys.* : « quisquis igitur librum hunc legerit, athletam hunc strenuum tamquam exemplar archetypum intuens, fortitudinem eius imitetur, patientiam aemuletur, ut viam eandem insistens et fortiter contra omnes diaboli machinas dimicans, bonis quae diligentibus Deum promissa sunt, potiri mereatur ».

1. Censetur enim idem, qui Gen. 36, 33 Iobab.

O. A. M. D. G.

INDEX

PROLEGOMENA. 5
I. Quid sit libri argumentum 5
II. Qualem se Iobus in aerumnis praestiterit 10
III. Quis sit libri auctor, quae Iobi res gestae. 14
IV. Qui librum Iob commentati siut [1]. 18
V. Quale genus interpretationis sequendum sit. 28

PROLOGUS. Cap. 1 et 2. 33
a) Iobi eiusque familiae conditio, 1, 1-5 . . . . . »
b) Satanae in Iobum livor, 1, 6-12. 41
c) Iobus varie afflictus, 1, 13-22 47
d) Iobus ulcere percussus, 2, 1-13. 52

DISCEPTATIONIS EXORDIUM. Cap. 3. 58
a) Iobi dirae in diem natalem, 3, 1-10. . . . . »
b) Limbi requiem exoptat, 3, 11-19. 63
c) Querelis indulget, 3, 20-26 66

PRIMUS DISPUTANTIUM CONGRESSUS. Cap. 4-14. 72

I. DISCEPTATIO CUM ELIPHAZ. Cap. 4-7 . . . . . »

1. Sermo ab Eliphaz habitus. Cap. 4-5. . . . . »
a) Iobus arguitur impietatis, 4, 1-11. . . . . »
b) Visione idem probatur, 4, 12-21. 76
c) Solos puniri impios asseritur, 5, 1-7 84
d) Iobus Deum humiliter adeat, 5, 8-16. 88
e) Inde fructus exorituros praeclaros, 5, 17-27 90

2. Responsio a Iobo data. Cap. 6-7 95
a) Dolorum vehementiam declarat, 6, 1-13. . . . . »
b) De amicorum importunitate conqueritur, 6, 14-30. 101
c) Miseria vitae expenditur, 7, 1-10. 109
d) Querelis laxat habenas, 7, 11-21 113

II. DISCEPTATIO CUM BALDAD. Cap. 8-10. 117

1. Sermo a Baldad habitus. Cap. 8 . . . . . »
a) Deum iuste punivisse, at accepturum preces humiles, 8, 1-7 . . . . . »
b) Esse fluxam impiorum prosperitatem, 8, 8-19 119
c) Pio adfore spem, 8, 20-22. 124

1. Ibi simul explicata sunt nominum compendia quae in libro adhibita invenies v. g. *B.* (Bickell) *Br.* (Bruno) *W.* (Welte) etc.

2. Responsio a Iobo data. Cap. 9-10 126
a) Hominem non posse coram Deo consistere, 9, 1-13 127
b) Neque se velle cum Deo contendere, 9, 14-21 133
c) Pium aeque atque impium affligi, immo impium exaltari, 9, 22-24 . . 137
d) Se Dei maiestate et sanctitate opprimi, 9, 25-35 140
e) Anxie quaerit, cur Deus iustus pium affligat, 10, 1-7 144
f) Deum ad misericordiam flectere conatur, 10, 8-17 148
g) Ut paululum respirare liceat, petit, 10, 18-22 152

III. DISCEPTATIO CUM SOPHAR. Cap. 11-14 154

1. Sermo a Sophar habitus. Cap. 11 . . . . . »
a) Iobum pati minora quam mereatur, 11, 1-6 . . . . . »
b) Dei sapientiam et potentiam esse immensam, 11, 7-12 157
c) Iobo resipiscenti optima quaeque adfore, 11, 13-20 161

2. Responsio a Iobo data. Cap. 12-14 166
a) Iobus de amicis conqueritur, 12, 1-5 168
b) Impios saepe prosperitate frui, 12, 6-10 170
c) Varia etiam esse consideranda, 12, 11-13 173
d) Non una norma administrari cuncta, 12, 14-13,2 175
e) Esse amicos causidicos mendaces, 13, 3-12 180
f) Se posse innocentiam suam coram Deo tueri, 13, 13-21 184
g) Hac spe deiectus Deum misericordem implorat, 13, 22-28 187
h) Vitam esse miseram et ab origine immunda culpis obnoxiam, 14, 1-6. 190
i) Vitam hanc tantum semel concedi, 14, 7-12 193
k) Neque e limbo ad hanc vitam esse reditum, 14, 13-17 194
l) Spem humanam penitus collabi, 14, 18-22 197

ALTER DISPUTANTIUM CONGRESSUS. Cap. 15-21 199

I. DISCEPTATIO CUM ELIPHAZ. Cap. 15-17 . . . . . »

1. Sermo ab Eliphaz habitus. Cap. 15 . . . . . »
a) Iobus vehementer reprehenditur, 15, 1-6 . . . . . »
b) Ignorantiae et superbiae arguitur, 15, 7-13 201
c) Neminem esse iustum coram Deo, impios terroribus exagitari, 15, 14-24 203
d) Impiis ingruere ruinam, 15, 25-35 207

2. Responsio a Iobo data. Cap. 16-17 211
a) Molestos consolatores perstringit, 16, 1-6 . . . . . »
b) Suos proponit dolores aliorumque ludibria, 16, 7-18 213
c) Deum invocat innocentiae testem, 16, 19-17,10 217
d) Suam lamentatur conditionem, 17, 11-16 223

II. DISCEPTATIO CUM BALDAD. Cap. 18-19 227

1. Sermo a Baldad habitus. Cap. 18 . . . . . »
a) Lege stabili impium interire, 18, 1-6 . . . . . »
b) Impii ruinam esse multiplicem, 18, 7-14 229
c) Eam ruinam longe lateque extendi, 18, 15-21 232

2. Responsio a Iobo data. Cap. 19 235
a) Se affligi immerentem, 1, 19-6 236
b) Quam atrocia sustineat, 19, 7-12 238
c) Se destitutum et abominationi habitum conqueritur ab omnibus, 19, 13-20 240
d) Ad praeclaram exsurgit spem, 19, 21-24 243

e) 19, 25 (hebr.) 247
f) 19, 26 (hebr) 250
g) 19, 27 (hebr.) 253
h) Hunc vindicem timeant amici, 19, 28-29 257

III. DISCEPTATIO CUM SOPHAR. Cap. 20-21. 260

1. Sermo a Sophar habitus. Cap. 20. . . . . »
a) Se urgeri ad respondendum, 20, 1-3. . . . . »
b) Impii felicitatem esse perbrevem, 20, 4-10 262
c) Peccatis necessario pari ruinam, 20, 11-16. 264
d) Impium esse diris prosequendum, 20, 17-22 266
e) Omnia in eius interitum conspirare, 20, 23-29 269

2. Responsio a Iobo data. Cap. 21 272
a) Attente audiant, 21, 1-6 273
b) Impios saepe omni ex parte agere prospere, 21, 7-15. 275
c) Raro impios statim puniri, 21, 16-26. 278
d) Immo impios saepe servari incolumes et honorari, 21, 27-34. . . . 281

TERTIUS DISPUTANTIUM CONGRESSUS. Cap. 22-26. 285

I. DISCEPTATIO CUM ELIPHAZ. Cap. 22-24. . . . . »

1. Sermo ab Eliphaz habitus. Cap. 22 . . . . . »
a) Deum non tangi commodo vel incommodo, 22, 2-5. . . . . »
b) Iobum esse reum variorum criminum, 22, 6-11 287
c) Exemplum proponitur priscorum peccatorum, 22, 12-20. 289
d) Resipiscenti optima quaeque promittuntur, 22, 21-30 291

2. Responsio a Iobo data. Cap. 23-24 295
a) Deum vindicem non apparere Iobus conqueritur, 23, 1-10. 296
b) Anxius haeret, cur innocens puniatur, 23, 11-24, 1. 298
c) Impios dominari, pauperes affligi, 24, 2-12. 300
d) Multa in occulto patrari scelera, 24, 13-17. 303
e) Impios saepe non luere debitas poenas, 24, 18-25. 305

II. DISCEPTATIO CUM BALDAD. Cap. 25-26. 310

1. Sermo a Balbad habitus. Cap. 25. . . . . »
Neminem coram Deo summo esse a culpa immunem. Cap. 25. . . . . »

2. Responsio a Iobo data. Cap. 26. 312
a) Iobus interlocutorem ridet, 26, 2-4 . . . . . »
b) Dei sublimitatem magnifice effert, 26, 5-14. 313

IV. IOBI EPINICION. Cap. 27-31 319

1. PARS. Cap. 27-28. . . . . »
a) Se innocentem sollemniter protestatur, 27, 1-10 320
b) Amicorum doctrinam esse mancam, 27, 11-23 322
c) Hominem arte quidem valere plurimum, 28, 1-11 325
d) At veram sapientiam soli Deo esse notam, 28, 12-28. 330

2. PARS. Cap. 29-31 336
a) Vitae prioris cursum proponit, 29, 1-20 338
b) Olim honore, iam ignominiis se affectum profitetur, 29, 21-30, 14. . 343
c) Se cruciatibus tabescere, 30, 15-31. 348
d) Castitatem et iustitiam se coluisse, 31, 1-15. 353

e) Misericordiam et religionem sancte se servasse, 31, 16-28. 358
f) Et ceterarum virtutum testem Deum invocat, 31, 29-40. 362

V. **QUÆ SINT ELIU PARTES.** 368

Primus sermo ab eliu habitus. Cap. 32-33 369
a) Eliu novus interlocutor inducitur, 32, 1-5. . . . . »
b) Cur demum ipse loquatur, 32, 6-22. 371
c) Iobus attente audiat, 33, 1-7. 376
d) Cur Deus homines affligat, exponit Iobo de audacia reprehenso, 33, 8-22 377
e) Hominem malis erudiri docet, 33, 23-33. 381

Alter sermo ab eliu habitus. Cap. 34. 385
a) Iobi audacius dicta carpuntur, 34, 1-9. . . . . »
b) Deum esse iustum variis probatur, 34, 10-30. 388
c) Iobum audacius esse locutum, 34, 31-37. 394

Tertius sermo ab eliu habitus. Cap. 35 397
a) Hominem sibi ipsi, non Deo, prodesse vel obesse, 35, 1-8 398
b) Cur multi non audiantur, 35, 9-16. 399

Quartus sermo ab eliu habitus. Cap. 36-37 402
a) Deum agere provide, 36, 1-7. 403
b) Deum ope tribulationum homines erudire, 36, 8-15. 406
c) Quo animo igitur calamitates subire oporteat, 36, 16-21 407
d) Dei maiestas extollitur, 36, 22-33. 411
e) Dei maiestas commendatur, 37, 1-13 414
f) Quam debilis sit homo, 37, 14-24. 418

VI. **THEOPHANIA.** Cap. 38-41 424

Primus sermo divinus. Cap. 38-39. . . . . »
a) Iobus quaestionibus de creatione propositis exagitatur, 38, 1-11. . . 425
b) Iobus impar quoque est quaestionibus de mundi cursu ordinario, 38, 12-38. 428
c) Hominis impotentiam illustrari ex ipsis animalibus, 38, 39-39, 18 . . 435
d) Multis convictus Iobus audaciam deponit, 39, 19-35. 439

Alter sermo divinus. Cap. 40-41 444
a) Iobus infirmitatis humanae admonetur, 40, 1-9 445
b) Divinae potentiae documentum cernitur in Behemoth, 40, 10-19. . . 447
c) In Leviathan humana illustratur infirmitas, 40, 20-41, 2. 451
d) Eius robore et membris commendatur Dei potentia, 41, 3-15 453
e) Item terrore eius et virtute invicta, 41, 16-25. 457

CONCLUSIO. Cap. 42. 462
a) Iobum poenitet temeritatis, 42, 1-6. . . . . »
b) Iobi innocentia declaratur, restituitur prosperitas, 42, 7-16. 464

Parisiis. — Typis. G. Rougier et soc., via Cassette, 1.

3 0311 00015 7862